DELICIAE
ERVDITORVM.

Digitized by Google

DELICIAE ERVDITORVM SEV VETERVM ΑΝΕΚΔΟΤΩΝ OPVSCVLORVM COLLECTANEA

IO. LAMIVS

Collegit, illuſtravit, edidit.

32.5.B.6
6.40.B.39

FLORENTIAE. MDCCXXXVII.

Ex Typographio PETR. CAIET. VIVIANI
Ad Inſigne D. THOMAE AQVINATIS.

Cum adprobatione.

AMPLISSIMO ET REVERENDISSIMO

VIRO

SALVAT. ASCANIO

DOMINICANI ORDINIS

EX MALACITANO

BAETICAE PROVINCIAE COENOBIO

MONACHO ET MAGISTRO RELIGIOSISSIMO

DECORIQVE EXIMIO

PHILIPPI V.

MAXIMI ET CATHOLICI

HISPANIARVM REGIS

APVD SERENISSIMVM

MAGNVM ETRVRIAE DVCEM

AD XXX ANNOS

MINISTRO SPECTATISSIMO

ET-

ET PRVDENTISSIMO NEGOCIORVM

ARBITRO

HOC QVALECVMQVE

OBSEQVII ET VENERATIONIS

MONVMENTVM

I O. L A M I V S

DEDICO CONSECROQVE

MVlta quidem erant, & cuncta plane admiranda, REVERENDISSIME PATER, quae me hominem TIBI alias igno-

ignotum, & gratiam favoremque tuum titulo nullo promeritum; crebris, ac potentibus, invitamentis ad hoc munuſculum AMPLITVDINI TVAE fidenter obſeferendum, aut adlicere, aut impellere, potuiſſent. Tantae enim ac tam eximiae animi tui cultiſſimi virtutes ſunt; tanta ac tam illuſtria vitae decora; tantus dignitatis fulgor atque praeſtantia: ut veluti exoriens Sol, mortalium omnium oculos ad ſe convertant, & ſua luce praeſtringant. Et profecto, quem non attraheret illa adverſus Deum pietas, quae praeſertim in exornando Sacello vetuſtate paene conlapſo, & Hiſpanae genti reſtituendo, mirifice eluxit? Singularis illa ταπεινοφροσύνη, qua honores ocu-

lo irretorto deſpiciens, ter ſublime Epiſcopatus munus recuſaviſti? Verenda illa oris comitas atque ſuavitas, qua cunctos adfaris, & excipis? Beata in pauperes largitas, & miſeratio munifica? Beneficentia illa nobiliſſima & prodiga, qua conclave ampliſſimum in tuo coenobio exſtruxiſti, ſplendida ſupellectili ornaſti, in noſocomeion tuis Monachis deſtinaviſti? Sed licet his, aliiſque tot clariſſimis dotibus clueas, quibus Regibus tuis invictiſſimis, Carolo II. olim, Te ad negocia graviſſima tractanda uſo, & Philippo V. in praeſens, qui maxime tuo miniſterio confidit, vehementer probaris, & populorum amorem venerationemque demereris; duo tamen potiſſimum in

caussa

cauſsa fuere, cur TIBI hunc Libellum inſcribens tuo Nomine immortali inſignirem, & tuum illi patrocinium ſuppliciter implorarem. Vnum eſt, quod TV, ſacris initiatus, & verus Philoſophiae divinioris Sacerdos, Dominicanam familiam, in quam cooptatus es, ornamentis maximis augeas; & nonniſi Dominicani Scriptoris, quem ipſe primum, antea fere ignotum, in lucem protraho, commentarium hoc Volumine contineatur. Alterum vero, quod eo gratiorem iucundioremque pleriſque omnibus, & Florentino populo in primis, proditurum eſſe non dubito, quanto magis ampliſſimi Viri, & de eo tot titulis optime meriti, qualis TV quidem es, auſpicatiſſimo Nomine fulſerit, atque,

ut

ut ita dicam, ſuperbierit. Studium igitur, & obſequium, erga TE meum, aequi bonique conſule, REVERENDISSIME PATER; ac TIBI conſecratum Volumen, & hac ratione iam tuum, ab invidorum malignitate valida protectione tuere; dum TIBI interim ſecunda & fauſta omnia a DEO OPT. MAX. ex animo precor. Dabam Florentiae X. Kal. Iunias A. R. S. MDCCXXXVII.

PROLOGVS

GALEATVS.

ALterum illorum Voluminum, quae Analecta a me promiſſa comprehendunt, tempeſtive iam prodit, diligentiam meam, & ſolicitam fidei praeſtandae curam, luculenter, ut arbitror, teſtaturum. Nihil enim mihi antiquius, quam in laudabilibus coeptis perſiſtere, &, quod ſemel pollicitus ſum, ἀμεταμέλητον impigre exacteque adimplere; cum ut eruditi Viri, & ἀνεκδότων vetuſtorumque commentariorum conſequendi cupiditate flagrantes, minime ſpe concepta fruſtrentur; tum ut obtrectatores meos propriae inertiae blandientes, alienamque induſtriam, & ſedulitatem, elevantes, non concertatio verborum, ſed ipſa effecta res merito pudore ſubfundat. At quum

non

non unum maleferiatorum hominum, & vitilitigatorum, genus ſit; nec defuerint alii, qui, poſtquam & operi a me contente manus admoveri, & expectata Collectanea in lucem ſtato tempore, & certa ſucceſſione, edi conſpexere, noſtris laboribus quoquomodo oblatrare non erubuerunt; operae pretium fuerit meam hanc Editionem, quae certe ab honeſtis, candidis, doctiſque, Viris probatur vehementer, & commendatur omnimodis, a criminatorum quorumdam, & falſorum Eruditorum oppugnationibus, munimento aliquo obiecto, defendere, & Prologo adverſus ictus omnes galeato protegere.

Iam de Editionum huiuſmodi utilitate, poſt illa omnia, quae in primi Voluminis Praefatione late fuſeque diſſerui, alia in praeſens cumulare ſuperfluum eſt; & quot Viri eximii, ac doctrinae laude praecellentes, qui in hac eadem arena deſudavere, a me tunc commemorati ſunt, tot praedicati emolumenti teſtes locupletiſſimi fuerint; ac ſtipes caudexque, ut cum Terentio *loquar, ſit oportet, ſiquis illud minime intelligit, nec penitus animo comprehendit. Attamen haud abs re fore arbitror recentiſſimi etiam Scriptoris teſtimonium in medium adducere, quo a me iam opportune diſputata mirabiliter confirmentur; iſque ille eſt, qui* Floridi Hiſtoriam Eccleſiaſticam *continuat, quique ita* Tomo XXXIII *in praevia*

de

de ſcientiae hiſce temporibus incremento ac progreſſu Diſſertatione *praeclariter loquitur* : Cette recherche laborieuſe des anciens monumens, non ſeulement pour ce qui concerne l' hiſtoire de l' Egliſe, mais de toute eſpece, a été l' objet de l' occupation principale d' un grand nombre de Sçavans des deux derniers ſiecles, & ſe continue encore dans le nôtre ; & ques avantages n' en a t' on pas tirez? On a fait des voiages longs, penibles, & ſouvent dangereux, pour aller dans les païs les plus elóignez chercher des manuſcrits, déchiffrer des inſcriptions, acheter des medailles, viſiter des anciens monumens, lever des plans. On a parcouru toutes les Biblioteques, fouillè dans mille recoins d' un grand nombre de monaſteres, qui poſſedoient la plûpart beaucoup de ces richeſſes litteraires, &c.

Quum vero alii exſtantem, & manifeſtam, noſtri laboris, & operae, utilitatem impudenter inficiari, aut callide diſſimulare non valeant, derídiculo plane, & inhoneſto, timore correpti,

—veluti pueri trepidant, atque omnia caecis
In tenebris metuunt;

& ſic vel familiarum decori, vel civitatis alicuius gloriae, & laudibus, ne nos officiamus incon-

inconſulte formidant, tam multa in tenebris iam, & oblivione, ſepulta eruentes, & proferentes in lucem: adeoque auſa noſtra vel non omnino probant, vel etiam penitus damnant. His quidem, quacumque cenſura perſtringendi videantur, ridendo tantum reſpondere contentus fuero, & illa, quae Iuvenalis *vere ac ſapienter non uni Quiritium obgerebat, in memoriam opportune revocaverim:*

Et tamen ut longe repetas, longeque revolvas
Nomen, ab infami gentem deducis aſylo.
Maiorum primus quiſquis fuit ille tuorum,
Aut paſtor fuit, aut illud quod dicere nolo.

Non iis iam ſaeculis vivimus, quibus ſibi blandiens unuſquiſque,

Principiumque ſui generis, revolutaque quaerens
Saecula, cognatos venit ad uſque Deos.

Quod ſi cachinnis ulterius indulgere lubet, & mordaci vero aures delicatiſſimas radere, cur ſatyricum illud quoque non ingeram:

—— damnatus inani
Iudicio (quid enim ſalvis infamia nummis?)
Exul ab octava Marius bibit, & fruitur Dîs
Iratis?

Si

Si vero improbe facta, ac Maiorum noſtrorum ſcelera, & probra; litterarum olim monumentis conſignata, in lucem protrahenda non ſunt; ſed res tantum praeclare geſtae, & laude, honeſtaque commemoratione, digniſſimae: iam hiſtoriae bona pars deſit, fides deſideretur, utilitas & emolumentum plane depereat. Ideo enim hiſtoriam, *inquiebat* Cornel. Agrippa, tamquam vitae magiſtram, & ad eius inſtitutionem utiliſſimam cenſent ferme omnes; eo quod multarum rerum exemplis cum optimos quoſque ob laudis nominiſque immortalem gloriam ad praeclara quaeque facinora accendat, tum quod impios quoſque ac pravos perpetuae infamiae metu a vitiis deterreat. *Quae quidem divina etiam coeleſtium litterarum auctoritate mirifice confirmari videantur. In iis enim cum recte facta, ac virtutum clariſſimarum exempla, & illuſtria mortalium facinora, poſterorum memoriae tranſmiſſa ſunt; tum flagitia, & crimina, auſaque deteſtanda, aperte ac perſpicue narrantur: & neſcio quid moneant inſinuentque illa* Siracidae: Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, & in prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conſervabit, & in verſutias parabolarum ſimul introibit, &c. In terram alienigenarum gentium pertranſiet: BONA enim, & MALA, in hominibus

nibus

nibus tentabit. *Quae igitur vaecors trepidatio, qui Panicus timor, ubi quaedam mortalium hominum aliquando proferuntur in medium, reprehendenda quidem, & propudioſa; ſed ſine quibus hiſtoricus contextus ac fides conſtare non poteſt? Quibus numquam vitioſa humani generis imbecillitas caruit? Num ob huiuſmodi pauca doctae Scriptorum veterum lucubrationes ſubprimendae ſunt, & perpetuis tenebris cum magno Reip. litterariae detrimento damnandae? An non potius ob innumera prope alia pulcra, utilia, memoranda, in luce ſplendidiſſima collocanda ſunt? Si qua profecto eſſent, quae falſa aperte ac calumnioſa deprehenderentur: quae patria ſacra, ritus, ceremonias, religiones, aut deſtruerent, aut labefacerent: quae bonos civium mores ſui obſcenitate corrumperent, honeſtamque inſtitutionem exitialibus documentis everterent, atque id genus alia: tunc tantum illa cautione utendum eſſet, quam leges optimae praeſcribunt, & ſapientum hominum placita prudentiſſime decreverunt.*

Quum autem haec ita ſe habeant, conſectarium quoque eſt, ut cum Viris eminentiſſimis L. Holſtenio, Io. Mabillonio, Bern. Montefalconio, *de quibusdam aut ſubſpicacibus, aut timidis, aut negligentibus, hominibus, tempeſtive conquerar, qui quum egregiam librorum, veterumque monumentorum, ſupelle-*

ctilem

ſtilem comparaverint, vel a Maioribus ſuis, aliiſve, in laudabilem profecto uſum quaeſitam, hereditariam acceperint, proprio decore ac laude poſtpoſita, Maiorum ſuorum intentione contemta, communi utilitate inſuper habita, occluſam & inacceſſam ſervant, omnibuſque aditu interdictis, vana theſauri ignoti poſſeſſione gloriantur. Vtinam βιβλιοτάφοι *iſti, ut eos laudatus* Holſtenius *vocat, AEſopi fabulam LIX. legerent, & nobile illud* ἐπιμύθιον *perciperent, ac memoriter diſcerent,* ὅτι οὐδὲν ἡ κτῆσις, ἐὰν μὴ ἡ χρῆσις πρόσῃ. Fruſtra quidquam a nobis poſſideri, cuius nullus ſit uſus. *Niſi evolvantur libri, niſi lectitentur, & adſiduo uſu terantur, eos quaeſiviſſe*, non fuit, *ut cum* Seneca *loquar*, elegantia, aut cura, ſed ſtudioſa luxuria: imo ne ſtudioſa quidem, quoniam non in ſtudium, ſed in ſpectaculum comparaverant: ſicut pleriſque ignaris etiam ſervilium litterarum, libri non ſtudiorum inſtrumenta ſed coenationum ornamenta ſunt. *Hos equidem Nelei illius poſteris diſſimiles haud umquam dixerim, communi autem bono, & egregiarum artium incrementis etiam pernicioſiores adfirmaverim. Illi enim quum Theophraſti, & Ariſtotelis bibliothecam inter res hereditarias a Neleo Coriſci F. Scepſio, & memoratorum Philoſophorum auditore, Scepſin translatam accepiſſent, libros illos omnes, utpote ruſticani &*

ineruditi homines, incurioſe poſitos ſub clavibus retinuerunt; quumque Attalicorum regum ſtudium intellexiſſent, quibus Scepsis parebat, conquirentium libros ad inſtruendam Pergami Bibliothecam, ſub terra ſuos in foſſa quadam occultaverunt, ubi ab humore, & blattis, vitiati ſunt; *quae quidem* Strabonis *verba ſunt Latine converſa, rem omnem fuſe narrantis, & quanto ſcholae Peripateticae damno id evenerit late referentis: atque haec certe omnia etiam* Plutarchus *in* Vita Sullae *memoriae prodidit, atque* Athenaeus Libro V. *confirmavit. Perniciſiores Nelei poſteris, inquam, qui non Ariſtotelis, aut Theophraſti, libros tantum, ut illi; ſed innumerabilium prope Scriptorum praeclara monumenta, & laborioſas doctaſque commentationes, publicae hominum utilitati ſubducunt, & tenebris immeritis illiberaliter damnant. Horum profecto unumquemque, ut indoctum quemdam* Lucianus, *ſed alio ſenſu, lubenter inriderem, atque ita eius verbis adloquerer.* εἰ δὲ πάντως ἐμμένειν τῆ ὁμοίᾳ νόσῳ διέγνωσαι, ἴθι, ὠνοῦ μὲν βιβλία, καὶ οἴκοι κατακλείσας, ἔχε, καὶ καρποῦ τὴν δόξαν τῶν κτημάτων, ἱκανόν σοι καὶ τοῦτο· προσάψῃ δὲ μηδέπω, μηδὲ ἀναγνῷς, μηδὲ ὑπαγάγῃς τῇ γλώττῃ παλαιῶν ἀνδρῶν λόγους, καὶ ποιήματα, μηδὲν δεινόν σε εἰργασμένα. Si omnino decreviſti tuo

mor-

morbo blandiri, age abi: mercare libros, domi conclude, fruere partorum bonorum gloria, hac ſcilicet contentus: cave vero tangas, aut lecturus aliquid aperias, ne ſit in ore tibi veterum aliqua oratio, aut poema, nihil male de te meritorum. *Sed incautos hoſce Simiarum, dum arctius prae amore ſtringunt, natos ſuffocantium, imitatores miſſos faciens, Gallicam gentem laudibus ferre non deſinam, in cuius regione florentiſſima quum verſarer, facillimus in quaſcumque Bibliothecas mihi aditus patuit: praecipue autem doctiſſimos Monachos praedicare fert animus, in quorum inſtructiſſima, & ampliſſima, Sangermanenſi Bibliotheca, dum Lutetiae agerem, licuit mihi veluti arbitro quaecumque volumina inſpicere, evolvere, lectitare, & meae in ea Vrbe morae tempus incredibili cum voluptate tranſigere. De Germanis idem adfirmare poſſem, niſi me clariſſima noſtri ſaeculi decora,* Io. Lucas Pallavicinius, *Patricius Genuenſis, qui nunc apud Caeſarem honoribus ampliſſimis fungitur; &* *Heroes* Riccardii, *ad ſe raperent: quorum ornatiſſimae Bibliothecae, non tam privato Dominorum cultiſſimorum ſtudio, quam publico eruditorum hominum uſui, munificentiſſime deſtinantur. Hos autem potiſſimum commemoravi, quia utrorumque Bibliothecis, vel praefui, vel praeſum, ſingularem, & incre-*

dibilem illorum in hoc humanitatem, liberalitatem, & amplitudinem, demiratus: & ut privatorum etiam hominum exempla quaedam laude immortali digniſſima cunctis imitanda proponerem.

At Bibliothecae omnes, quidam inquient, tuae curioſitati, & indagini, pateant; quaenam, & qualia, inde eruis ac profers? Eane ſunt, quae Eruditorum vulgus adliciant, & quae conſequi ac comparare quilibet vehementer exoptet? Quidni, ipſe reſpondeo, niſi capite emoto quis ſit? Michaelis Glycae *Epiſtolarum portionem quamdam primo volumine edidi: an non laudandae illae fuerint? Si reſpicis argumentum; Theologicum eſt, adeoque praeſtantiſſimum: ſi linguam; Graeca, proptereaque elegans, & maxime nobilis, ne linguarum Helenam, ut inepte quidam a* Dion. Longino *merito ridendus, adpellem: ſi Auctorem; eruditus eſt, & diſertus, & quem Viri doctiſſimi commendaverunt: ſi Epiſtolas ipſas; eae ſunt, quas* Iac. Pontanus, & Bonav. Vulcanius, *Viri erudititiſſimi, publici iuris facere adgreſſi fuerant; de quibus* Car. Dufreſnius ὁ φιλοπονώτατος *prolixa diſquiſitione diſputare non dubitavit; quas denique* Leo Allatius, *Vir de litteris, & de religione optime meritus, crebro laudat, & advocat: ſi utilitatem; eam non videat oportet, qui mentem habeat Cimmeriis tenebris atriorem;*

& de

& de ea alibi non pauca tempeſtive diſſerui. Sed iure illa Hieronymi *eloquentiſſimi uſurpaverim :* Miſi librum benevolis placiturum, tamen invidis diſpliciturum non ambigo. Optima enim quaeque, ut ait Plinius, malunt contemnere plerique, quam diſcere. *Numquid litterariam Remp. maiori beneficio obligaviſſem, ſi amatoria carmina,*

Si verſus inopes rerum, nugaſque canoras,

ſi Mileſias obſcenas, ſi ieiunas litterationes, & id genus τερετίσματα, typis deſcribenda curaviſſem, & iis illuſtrandis oleum & operam perdidiſſem? Recte profecto ac ſapienter ſcribebat Euſtochio laudatus Hieronymus: Nullus imperitus Scriptor eſt, qui lectorem non inveniat ſimilem ſui. Multoque pars maior eſt Mileſias fabulas revolventium, quam Platonis libros. In altero enim ludus & oblectatio eſt; in altero difficultas, & ſudor mixtus labori. Denique Timaeum de mundi harmonia, aſtrorumque curſu, & numeris diſputantem, ipſe qui interpretatus eſt Tullius ſe non intelligere confitetur. Teſtamentum Grunnii Corocottae Porcelli decantant in ſcholis puerorum agmina cachinnantium. *At non erunt ſolae illae Epiſtolae noſtrorum materia voluminum: erunt opera omnigena, prout alibi dixi, erunt hiſtoriae, ſanctorum Patrum ſcripta, Philo-*

ſophorum commentationes, *Mathematicorum ſtudia laudatiſſima*, *aliorum doctorum hominum lucubrationes*, *quas mihi Bibliothecae alias memoratae ſufficient*; & *Regia in primis Medicea Laurentiana*, *inexhauſtus prope rariſſimorum codicum*, & ἀνεκδότων *commentariorum theſaurus*; *quae ut mihi in omnem meum uſum pateat Sereniſſimus Magnus Dux clementer voluit*, & *iuſſit*, *litterarum*, & *egregiarum artium*, *dum divorum Maiorum veſtigiis inſiſtit*, *ampliator munificentiſſimus*.

Et heic opportuna occaſio ſe praebet, *dum in tantae Bibliothecae commemoratione*, & *laudibus*, *verſor*, *eximium eius decus vindicandi*, *tuendique gloriam noſtrae Civitatis*, & *veritatem eorum*, *quae modo*, *aliaſque*, *de ineditorum monumentorum*, *quae in illa exſtant*, *copia adſeveravi*; *in propatulo collocandi*. *Nam* Ang. Mar. Riccius, *Graecarum litterarum in Florentina Academia Profeſſor*, & *Collega meus Humaniſſimus*, *neſcio qua incogitantia*, *aut credulitate*, *ductus*, *atque deceptus*, *hac ſuper re aliter ſenſit*; *dumque eam diligentius non explorat*, *in Praefatione quorumdam Graecorum Opuſculorum a ſe Italice converſorum ita ſcribere non dubitavit*: Io avea in idea eziandio di dar fuora uno Spicilegio ſacro di coſe Greche inedite, eſtratte da queſta celebre Libreria Medicea (perciocchè non è più lecito metter

quin-

quindi fuora Capi d'Opere; avendo quel campo, sì fertile e dovizioſo, mietutolo tanti e tant' altri, che appena alcuna ſpiga, quà, e là, vi è rimaſa) e meſſa mano all' opera, ec. *Porro, dum haec perlego atque conſidero, vereor ne nubecula illa, quam ipſe dicit oculis ſuis obverſatam ne Spicilegium abſolveret ſibi impedimento fuiſſe, denſo adeo vapore conſtiterit, ut viſum omnem interciperet: quare non ſpicas tantum hac atque illac diſperſas, ſed ne mergites quidem atque manipulos, ipſoſque manipulorum cumulos, viderit. Non enim arbitror eum ſpicas adpellaviſſe, ingentia illa ac ponderoſa volumina, quibus non brevia & exigua opuſcula, ſed prolixae, & amplae, vaſtaeque, commentationes ineditae continentur, quibus quidem Bibliotheca illa locupletiſſima abundat, vario linguarum, argumentorum, ſtili, & compoſitionis, genere diverſiſſimis. Sed quoniam ſacrum tantum Spicilegium ſe meditatum fuiſſe ille ait, Eccleſiaſticorum Scriptorum quaedam praegrandia volumina, & quidem Graeca, in praeſens, tamquam ſpecimen, obgeremus, ne innumerabilium prope commemoratione, praeſcriptos Praefationis fines excedere, illumque incautum, & nil tale expectantem, obruere videamur. Proclivius fuerit atque commodius haec omnia exacte penituſque cognoſcere, quum Opus adprime utile a praeſtantiſſimo* Bern. Monte-

 fal-

falconio *concinnatum*, *quo MSS. celebriorum Bibliothecarum Codices recenſet*, *in noſtra quoque Italia paruerit*; *&* *quum eruditiſſimus* Ant. Mar. Biſcionius *peculiarem* *&* *optatiſſimum*, *univerſorum Laurentianae Bibliothecae voluminum catalogum*, *a ſe accuratiſſime elaboratum*, *ediderit*. *Nam*, *ut id obiter dicam*, *qui Mediceae Laurentianae Bibliothecae catalogos hactenus ediderunt*, Henr. Ernſtius, Guil. Langius, Luc. Holſtenius, *aliique*, *mancos admodum atque imperfectos Reip. litterariae exhibuere*; *quod &* *eruditiſſimus* Io. Georg. Schelhornius *Tomo III.* Amoenit. Litter. *animadvertit*, *dum fallitur tamen*, *&* *Bibliothecam Laurentianam cum Medicea Palatina confundit*, *Librorumque Orientalium*, *qui in Palatina adſervantur*, *catalogum* Ant. Magliabechio, *eiuſmodi linguarum rudi & imperito*, *deceptus a catalogi titulo*, *vendicat*; *quum illum non* Magliabechius, *ſed* Euseb. Renaudotius, *Vir Orientali eruditione inſtructiſsimus*, *contexuerit*, *ut mihi adfirmavit* Bened. Breſcianius *Palatinae Mediceae Bibliothecae Praefectus longe doctiſsimus*. *Interea igitur haec*, Luca Holſtenio, *Viro multis nominibus ſubſpiciendo*, *duce*, *nobis indicanda fuerint*, Scamno *videlicet*, *ut ipſe ait*, *ſeu* Pluteo V. num. VIII.

Nicolai Archiepiſcopi Cypri, Catena expoſitionum in Eſaiam. Opus praeclarum

rum

rum, in quo multa exſtant fragmenta ſanctorum Patrum, quorum opera interciderunt. *Non tantum nulla eſt apud* Caveum, Oudinum, Fabricium, *ut alios omittam, huius operis plane ignoti mentio; ſed neque Nicolaus hic Archiepiſcopus Cypri, ullibi apud eos memoratur: adeoque non video cur inter Opera* ἀνέκδοτα *hanc* Nicolai Catenam *non recenſeam. Heic inſuper animadvertam incautum illum, & oſcitantem hominem, qui voluminis tegumento nomen Auctoris inſcripſit, pro* Nicolao *poſuiſſe* Cyrillum, *quod interiorem voluminis inſcriptionem perperam legerit, ubi habet:* τοῦ ἀρχιεπισκόπȣ κυροῦ Νικολάȣ, καὶ τλ. *Nam* κυρȣ̃ *honoris titulum pro ipſo nomine accepit, & τȣ̃* Κυρίλλȣ *contractum exiſtimavit. Scriptio autem Saeculi eſt XII.*

Num. IX. Catena in IV. Prophetas maiores, ex diverſis ſanctis Patribus. Opus plane admirandum ob antiquitatem, & elegantiam. *Huius quidem Catenae nullam alibi mentionem invenio, ne in* Fabricio *quidem, qui tamen, quae eſt hominis eruditio & diligentia, omnes Catenarum Scriptores, Catenas omnes editas, & ineditas, quae ad eius notitiam pervenere, percurrit; niſi quod Catenam quamdam in Prophetas maiores, & minores, ex* Montefalconio *commemorat, aitque exſtare MS. Pariſiis in Codice Regio Bombycino Saeculi XIII.*

Chri-

Num. XVI. Chriſtodulus Monachus, ſive Ioannes Cantacuzenus adverſus Palamae errores. *Tractatus iuſtae molis in Codice chartaceo, & a nemine, quod ſciam, memoratus; & quem fallitur* Holſtenius *dum cenſet eumdem eſſe cum ingenti volumine, quod exſtat* Pluteo VIII. num. VIII. *ipſum quoque* *ἀνέκδοτον, & eiusdem* Chriſtoduli *λόγους ἀντιῤῥητικοὺς adverſus* Palamam, Barlaamum, & Acyndinum, *continens, quos* Fabricius, & H. Warthonus *quoque, ἀνεκδότους adgnoſcunt. Hoc ἄνυμνον volumen, ſi Latine convertatur, & cum Graeco contextu typis publici iuris fiat, vix ei comprehendendo tria forma folii, ut vocant, volumina magna ſufficiant. Eiusdem Auctoris, quod obiter dictum ſit, Dialogi IX. adverſus Iudaeos in Bibliotheca Riccardiana MSS. adſervantur, pariter inediti; ut adfirmant laudatus* Fabricius, & Rob. Gerius *in* Appendice ad Guil. Caveum.

Pluteo IX. Nicetae Heracleenſis Expoſitio in Epiſtolas Pauli. Praeclarum Opus folio quadrato. *Ipſe addam, multis ignotum, nec* Caveo, *aut* Fabricio, *memoratum: ſed de quo tamen agit* Caſ. Oudinus, *qui huius etiam Codicis in Bibliotheca Laurentiana exſtantis mentionem facit, & inter ineditos collocat.*

Nicetae Choniatae Collectio diverſarum

opi-

opinionum ; & haereſum, cum refutatione a SS. Patribus. Magnum opus in folio in Tomos XXVII. diſtinctum, *quod apud* Oudinum *&* Fabricium Θησαυρὸς Ὀρθοδοξίας *inſcribitur, & cuius quinque tantum libri primores Latine editi ſunt* Pet. Morello *interprete Pariſiis MDLXI. & fragmentum ex libro XX. de ordine obſervando ab iis, qui a Saracenica ſuperſtitione ad Chriſtianam fidem tranſeunt, & Graece ac Latine exſtat in Auctarii Ducaeani Tomo II.* Totum Opus, *inquit Fabricius*, Graece exſtat MS. non uno in loco, & propter molem hactenus lucem, quam meret, haud vidit ; quoniam duo volumina in folio facile compleret. *Fallitur tamen* Caſ. Oudinus, *dum hunc Codicem Laurentianum memorat, & Nicetae eſſe Heracleenſis adfirmat. Error vero inde natus videtur, quod* συλλογὴν τῶν ὅλων σχεδὸν δοξῶν καὶ αἱρέσεων Collectionem omnium fere opinionum & haereſum, &c. *uti in Codice Laurentiano inſcribitur, non eamdem eſſe cum* Theſauro Orthodoxae Fidei *arbitratus ſit : nam hunc Nicetae Choniatae tribuit, quemadmodum* Caveus *etiam facit*.

Nicolai Methonenſis Explicatio, vel potius Everſio elementorum Theologicorum Procli Philoſophi, ne quis incaute in haereſim adducatur. Hoc opere examinantur dogmata Platonica ad amuſſim Theologiae

Chri-

Chriſtianae, *additque* Holſtenius *ſe Latinam eius interpretationem in Bibliotheca Batava Lugdunenſi vidiſſe*, *a* Bon. Vulcanio *ſcilicet elaboratam*, *ut* Fabricius, *&* Oudinus *memoriae prodiderunt*, *qui pariter hoc Opus* *ἀνέκδοτον* *latere adhuc adgnoſcunt*.

Sed longius iſta percurrendo ſpatiari non lubet, *&* *vel hoc ſpecimine Regiae Laurentianae Bibliothecae*, *&* *noſtrae Civitatis ſplendorem ac decus ſatis ſuperque vindicatum exiſtimo*: *ſatius fuerit in praeſens meam*, *&* *mei primi* Deliciarum Eruditorum *voluminis*, *famam ab eiusdem Graecarum litterarum Profeſſoris cenſura oppugnationibusque defendere*; *quando ille ſe a me eo volumine aſperius habitum conqueſtus*, *nec congrua*, *quam ſponte*, *ac aequo animo*, *&* *Chriſtiana* *ταπεινοφροσύνῃ*, *obtuleram*, *damni cuiuſque reparatione contentus*, *indulgere ulciſcendi libidini maluit*, *quam vereri*, *ne in exſequutione mandati illius Evangelici*: Diſcite a me quia mitis ſum, & humilis corde, *homo initiatus*, *&* *Deo ſacer*, *a profano homine vinceretur*. *Nam*, *nec reverentiae*, *quae erga Dominos Patronoſque meos adhibenda fuiſſet*; *nec aliqualis*, *quae inter nos iamdudum interceſſerat*, *amicitiae*; *nec meae ad omne obſequium facilitatis*, *&* *liberalitatis*, *ratione habita*; *quum imaginarios quosdam errores*, *mendaſque nonnullas typographicas*, *quos ſibi in memorato volumine*

ne

ne deprehendiſſe videbatur, in charta digeſtos adnotaviſſet; & benevoli amicique monitoris perſonam indutus, eos mihi, ad quorumdam tamen, quae obieceram, normam prius reformatos, tradidiſſet, me ingenuum hominem, & nil tale merentem, apud quoſdam minus idoneos intimae quaeſtionum Grammaticarum ſubtilitatis iudices ea de cauſa traducere non eſt veritus. Proh! quam egregie ac ſapienter Caecilius *olim admonuit:*

— Ii ſunt inimici peſſumi, fronte hilaro,
Corde triſti, quos neque ut adprehendas, neque ut mittas ſcias.

Atque id experientia ipſa edoctus ſum, dum nihil huiuſmodi ſubſpicatus, ſiniſtrum extemplo de me rumorem increbreſcentem accipio, & per trivia & compita, iuſtam in me cenſuram actam, manifeſtae oſcitantiae in multis, turpis ignorantiae in aliis, me revictum iactitari, & gloriabundum Grammatiſtam de me quodammodo triumphare. At ipſe tunc Terentiani illius effati memor:

An quiſquam iudex eſt, qui poſſit noſcere
Tua iuſta, ubi tute verbum non reſpondeas?

Et qui eo ingenio, *ut cum* Ennio *loquar*, natus ſum, ut amicitiam atque inimicitiam in fronte promtam geram, *famae inhoneſtae*

ſtae aperte & palam occurrere, atque omnimodis obſtare animum induxi meum: dolens interea, quod infamiae huiuſmodi ſemina clanculum fere, & in privatis quibusdam coetibus & colloquiis iacta fuiſſent, ut me reum actum omnes deinde reſcirent; calumnias autem apertiſſimas, ſuppreſſo accuſationis libello, nec cuiusvis examini permiſſo, non intelligerent. Heinc illa Hieronymi *Ruſinum exagitantis iure & opportune uſurpabam*: Scribuntur contra me libri, ingeruntur omnibus audiendi, & tamen non eduntur, ut ſimplicium corda percutiant, & mihi facultatem pro me auferant reſpondendi. Novum malitiae genus, accuſare quod prodi timeas, ſcribere quod occultes. Si ſunt vera, quae ſcripſit, cur publicum timuit? Si falſa, cur ſcripſit? Olim pueri legimus, Intemperantis eſſe arbitror, ſcribere quidquam, quod occultari velis. Rogo quis iſte dolor? Quid aeſtuant? Quid inſaniunt? Quod praeconem repuli figuratum? Quod nolim me ſubdolo ore laudari? Quod ſub amici nomine, inimici inſidias deprehendi? *Illa quoque eiusdem Scriptoris eloquentiſſimi ſuccurrebant*: Non eſt grande, mi Domnion, garrire per angulos, & medicorum tabernas, & de mundo ferre ſententiam: hic bene dixit, ille male; iſte Scripturas novit, ille delirat; iſte loquax, ille infantiſſimus

eſt.

eſt. Vt de omnibus iudicet, cuius hoc iudicio meruit? Contra quemlibet paſſim in triviis ſtrepere, & congerere maledicta, non crimina, ſcurrarum eſt, & paraſitorum. Moveat manum, figat ſtilum, commoveat ſe, & quidquid poteſt ſcriptis oſtendat: det nobis occaſionem reſpondendi diſertitudini ſuae. Poſſum remordere, ſi velim: poſſum genuinum dentem laeſus infigere. Et nos didicimus litteras. Et nos ſaepe manum ferulae ſubduximus, &c. *Cuius quidem Viri ſanctiſſimi diſertiſſimis verbis, & auctoritate graviſſima, etiam illis tempeſtive occurri exiſtimabam, qui meam hanc ἀπολογίαν publici iuris fieri, atque in propatulo collocari, non omnino probare viderentur; quum praecipue mihi per otium non liceat ad civium potentiorum limina accedere, & in feſtivis congreſſibus adverſus obtrectatores meos inſurgere, & vociferari; & malo iam publico, ex quacumque id cauſa profluxerit, publico quoque remedio obſtandum ſit: quod quidem leniter, & pacate, & verecunde, exſequar. Indignor ſiquidem illis, qui, ut* Ennius *ait,*

Non doctis dictis certantes, ſed maledictis,
Miſcent inter ſeſe inimicitias agitantes.

Quamquam probe novi pleroſque omnes aliter ſe habere, aliamque viam ineundam arbitrari, nimium

mium Lucianei illius praecepti exſecrabilis tenaces ac memores, τὰ δὲ ἄλλα χρὴ θαῤῥεῖν. ἡ τόλμα γὰρ, καὶ ἡ ἀναισχυντία, καὶ τὸ ψεῦσμα πρόχειρον, καὶ ὅρκος ἐπ᾽ ἄκροις ἀεὶ τοῖς χείλεσι, καὶ φθόνος πρὸς ἅπαντας καὶ μῖσος, καὶ βλασφημία, καὶ διαβολαὶ πιθαναί· ταῦτά σε ἀοίδιμον ἐν βραχεῖ, καὶ περίβλεπτον ἀποφανεῖ. At in reliquis confidere oportet. Etenim audacia, & impudentia, mendacium quoque promtum, ac ſemper in labiis ſummis deiurium, & invidia erga cunctos, odium quoque, & blaſphemia, necnon calumniae probabiles; haec te in brevi celebrem & conſpicuum reddent (Rhetorem *ſcilicet*, *&* hominem litteratum.) *Heic igitur, quaecumque meus* ἀντίπαλος *in meo volumine reprehendit, & virgula cenſoria notat, ad trutinam revocabuntur; & ubi eius criminationes aut falſas, aut futiles, aut iniuſtas, fuiſſe revicerimus, liberum aliis relinquemus arbitrium iudicandi, an nodum in ſcirpo quaerens, minus eas animo mihi detrahendi, quam amore veritatis, extuderit; & an huiuſmodi Cenſori elogium conveniat, nec ne, quo Antonium Iulianum praedicat* Gellius, *& quod doctis verisque Criticis univerſis aptari debere inficiabitur nemo.* Antonius Iulianus rhetor perquam fuit honeſti, atque amoeni, ingenii, doctrina quoque iſta utiliore, ac delectabili, veterumque elegantiarum

cura

cura, & memoria multa fuit. Ad haec ſcripta omnia antiqua tam curioſe ſpectabat, aut virtutes penſibat, aut vitia rimabatur, ut iudicium factum eſſe ad amuſſim diceres.

Itaque virgulam primum cenſoriam in Michaelem Glycam *adducto ſupercilio Grammatiſta memoratus adſumit*, *pertenditque in eius Epiſtola I. Non* νοητὸν ὄφιν, Serpentem, quem mente percipimus, *ut* Glycas *habet*, *ſed νοητικὸν ὄφιν dicendum eſſe*, *hoc eſt*, Rationalem ſerpentem; *eodemque tempore* Iac. Pontanum, *Virum doctiſſimum*, *ut eius praeclara opera oſtendunt*, *immerito exagitat quod νοητὸν legerit*, *& Latine verterit*, Serpentem, quem mente percipimus; *aitque :* E' un ſentimento freddo, e inetto, e contrario a quel, che Glica inſegna nell' Epiſtola IV, dove ſoſtiene che vero foſſe quel ſerpente, e non allegorico. *Quamquam cenſura haec me non vexat*, *tamen ut* Glycam, Pontanumque *defendam*, *animadvertere eſt*, *ſerpentem*, *qui Evam decepit*, *verum fuiſſe ſerpentem*, *non autem allegoricum*, *communem Patrum fere omnium eſſe ſententiam*, *ut* pag. 216. *ad eam Epiſtolam obſervavi: itaque Epiſtola IV. nihil novi*, *aut inſolentis*, Glycas *invexit*. *Sed hunc ſerpentem rationalem fuiſſe*, *non tam hebes & ineptus eſt* Glycas, *ut ridicule adfirmet: & ſi eo*, *inſtrumento*, *Diabolus ad deceptionem Evae uſus eſt*, *non*

tamen ideo rationalem illum effecit. Secus enim Circulatores etiam ſigillaria rationalia redderent, dum ea movent, & per ea clamdeſtini loquuntur. Adeo verum igitur eſt nihil in Glyca *heic, nihil in* Pontano *eſſe reprehendendum, ut Cenſor noſter, quo vellicandum aliquid inveniat, Circen perverſe imitatus, brutas & irrationales animantes, in rationales prodigioſe convertat. Ergo iuxta huius egregiam & admirabilem doctrinam, verus anguis, rationalis dici poterit, & ita a* Glyca *dictumfuiſſe credemus, eo quod verus, & non* ἀλληγορικὸς *ſit.*

——Credat Iudaeus Apella
Non ego ————

Certe ſi ita ex irrationalium cenſu ſerpentes expungit, iam amplius mirari ſubit, quod alibi hic idem Grammatiſta vel adpetitum quemdam innatum, & natura inſitum, Deum conditorem ſuum glorificandi, cunctis animalibus ratione carentibus contra Baſilii Magni *ſententiam denegaverit, quod inferius* pag. 178. *mature caſtigavimus. Sed quomodo ediſſerendus eſt* Glycas? *Et quomodo, quum ille ſerpens Evae deceptor, verus & non allegoricus fuerit, ſerpens heic quidam intelligibilis memoratur? Ecce iam.* Glycas *laudata Epiſtola I.* quum ſerpentem intelligibilem *nominat, non de ſerpente agit, qui Evam tamquam inſtrumentum ſeduxit; ſed Diabolum primarium deceptionis auctorem denotat, eum-*

que

que ἀλληγορικῶς ſerpentem, *ſacrarum litterarum ritu, Patreſque imitatus, adpellat, ſuper quo conſulantur adnotata ad laudatam Epiſtolam* pag. 213. *Iam quum Daemones incorporeos idem* Glycas *exiſtimet, ut ex Epiſtola II. luculenter conſtat, ideo allegoriam ſuam declaraturus,* νοητὸν intelligibilem, *addidit, quod quidem, vere, adpoſite, & eleganter, dictum eſt. Nonne iam liquido patet,* Iac. Pontanum *recte* νοητὸν *in Glyca legiſſe? Recte* Serpentem quem mente percipimus *Latine vertiſſe? Recte MSS. codicum fidem eſſe ſequutum* νοητὸν *conſtanter habentium? Temere, & inconſulte, Criticum noſtrum codices Graecos corrumpere auſum; inepte vero & inſcite ridiculum* Serpentis rationalis *commentum Glycae eruditiſſimo adfingere? Quis modo* Io. Clerici, *Viri doctiſſimi, & acutiſſimi Critici, verba ex* Tom. XXII. Biblioth. ſelectae *non uſurpet?* On voit par-là le peu de jugement de ce grand Critique, ſon mauvais goût, & ſa hardieſſe ridicule a changer ce qu' il n' entend pas, quoique tout le Monde l' entende. *Sed de his quaedam etiam inferius* pag. 94. *praelibavimus.*

Ad alia deinde Criticus tranſit, & ad ea, quae Epiſtola II. pag. 90. *in hunc modum habentur:* ταῦτα γὰρ σύμφωνά εἰσι, καὶ πάνυ προσάλληλα, *ita a* Pontano *converſa:* Iſta enim non cohaerent, & parum inter

ſe congruunt, *haec adnotat*: La traduzione è contraria al teſto. *At ſi* Pontanus *ita ex ad aures Latinas tranſtulit, quid ad me? Ipſe Graecum tantum textum adpoſui, & codex Riccardianus MS. quo uſus ſum, ita habet. Sed nonne aliter potuit habere codex MS. ex quo ſua tranſtulit* Pontanus, *quum ſententiae id nihil obſiciat? Quid ſi* Pontano *paullo liberius vertere adriſit, quum nullum inde ſententiae detrimentum adferri intelligeret? Nam Graecus contextus recte ſe habet, ſi ad unam partem praecedentis orationis referatur;* Pontani *autem interpretatio pariter irreprehenſibilis eſt, ſi referatur ad aliam. Oratio praecedens haec eſt:* Si a principio ita conditus eſſet Adamus, ut morti deberetur, non diceret Salomon, Deus mortem non fecit. *Iuxta Graecum contextum ſequeretur:* Iſta enim cohaerent, & omnino inter ſe congruunt; *hoc eſt, conſectarium exſiſtit Salomonem eo modo loquuturum non fuiſſe. Iuxta* Pontani *vero interpretationem ſequitur:* Iſta enim non cohaerent, & parum inter ſe congruunt; *hoc eſt, non cohaeret neque congruit, Adamum conditum eſſe mortalem, & Deum mortem non feciſſe, ut Salomon ait: quod profecto idem eſt, neve ſententia immutatur. Quanti nunc faciendum eſt illud:* La traduzione è contraria al teſto. *Non igitur hac de cauſa* Pontanus *exagitandus fuit,*

quum

quum interpretis munus ſit , non verbis ſemper religioſe haerere atque inſervire , ſed eamdem ſemper exprimere & ſervare ſententiam , ut Grammaticus eximius Agellius Lib. IX. Noct. Attic. cap. IX. *&* ὁ πάνυ Hieronymus *inferius laudandus, luculentiſſime docent . Vtinam Criticus hic non adeo ſuo otio in Viris magni nominis facile criminandis abuteretur , & graviſſimo prudentique Scriptori* Sept. Tertulliano *ita Praxean monenti auſcultaret :* Malo te ad ſenſum rei , quam ad ſonum vocabuli, exerceas .

Mox alium eiusdem Epiſtolae locum , qui pag. 97. *habetur , calumniatur Grammatiſta , atque ita ſcribit :* Può eſſere che τόγε νῦν ἔχον voglia dire *in praeſens* , ma a me giunge nuovo : non dubito che quello ἔχον ſia di più . *Mihi vero novum omnino , & inſuetum , inauditumque eſt , publicum Graecarum litterarum Profeſſorem , talem aut negligentiam , aut oblivionem , aut ignorantiam , prae ſe ferre potuiſſe , ut quod ipſe , quum diſcipulorum ſubſellia adhuc tererem , probe noveram , illum tamquam novum & inauditum admiratione & ſtupore percellat . At dic , ſodes , nonne participium* ἔχων *amat , ut ita dicam, abundare in oratione Graeca , & ſuperfluere , elegantiae cuiusdam gratia , ex notiſſima eiusdem linguae proprietate? Id quidem frequentia claſſicorum Scriptorum exempla*

manifeſte probant : id Grammaticorum clariſſimi docent Guill. Budaeus *in* Linguae Graecae Commentariis, H. Stephanus *in eiusdem linguae* Theſauro, *ut* Ia. Gretſerum *cunctorum manibus tritum & ludimagiſtris omnibus familiarem, omittam,* Lib. II. Grammat. Graec. Cap. II. & XVI. *Quid igitur mirum ſi etiam diſertus* Glycas *eodem participio ad redundantem quemdam orationis ornatum, optimos imitatus auctores, uſus eſt? At ipſiſſima* Henr. Stephani *verba deſcribamus, quae decretoria ſunt, quum quaeſtionem noſtram attingant atque definiant. Scribit igitur* Tomo I. Theſaur. col. 1318. Interdum vero abundat participium, ut λῆρεῖς ἔχων, & παίζεις ἔχων, quae cum aliis vide ibidem. Item ἔχον neutro genere ſimiliter vacans, quum dicitur ΤΟ ΝΥΝ ΕΧΟΝ pro NVNC, ibidem invenies.

Vlterius tamen ille Criticus in ſecundam Epiſtolam calumniaturus inquirit, & ubi illa, μὴ τὸ τῆς ἐκκλησίας δόγμα ὀρθοδόξῳ στοιχοῦντες φρονήματι, ad Latinas aures tranſtuli, Neque Eccleſiae dogma orthodoxa cogitatione coniiciunt, *ipſe haec adnotat:* A me pare che tornaſſe molto meglio, *neque ſecundum Eccleſiae dogma orthodoxa cogitatione ambulant.* In queſto ſenſo è adoperato il verbo στοιχέω negli Atti Apoſtolici XXI. 24. e altrove nel nuovo Teſtamento, a'quali

li luoghi per avventura alluſe Glica. Forſe egli ſcriſſe κατὰ δόγμα. *Vt quanti haec caſtigatio facienda ſit probe intelligatur, per ſingulas partes penſiculate examinanda eſt. Et ab extrema quidem initium ſumere adridet, quae ita habet:* Forſe egli ſcriſſe κατὰ δόγμα. *Reſpondeo igitur exploratae fidei eſſe, Codicem Epiſtolarum* Glycae *MS. quo uſus ſum, illud* κατὰ *non habere, adeoque audaces manus ei inferendas non eſſe, ne non tam corrigi quam corrumpi videatur.* Ie croi que peu de gens, *inquit* Io. Clericus ὁ κριτικώτατος, Tomo. XXII. Biblioth. Selectae, ont oui parler des ſemblables hardieſſes a changer les paroles des anciens Auteurs. *Et praecipue quum nulla heic neceſſitas adſit. Nam etſi* ϛοιχοῦντες ambulantes, *vertendum eſſet, Analogia ſatis oſtendit accuſativum caſum, ſine ulla praepoſitione, huic verbo tribui poſſe, ut habent alia eundi & ambulandi verba: nam apud clariſſimos Scriptores, ut* Demoſthenem, ὁδὸν βαδίζειν *inveneris: apud* Iſocratem μακρὰν ὁδὸν πορεύεσθαι: *apud* Xenopontem δύσβατα πορεύεσθαι: *apud Auctorem Libelli* De Mundo πορεύεται διττὰς πορείας. *Sic Latini* viam ingredi *dicunt, &* Propertius *iam dixit* iter proficiſci.

Magnum iter ad magnas proficiſci cogor Athenas.

Quod ſi noſter Criminator pertenderet, heic

non de via aut itinere agi, ſed de dogmate, adeoque στοιχοῦντες *metaphorice uſurpari; ipſe quidem lubenter adſenſerim, & tunc* Philo Iratum *advocaverim, apud quem figurate pariter occurrit, non multo aliter atque apud* Glycam, σοφίαν ταύτην βαδίζειν; *quamquam* Plutarchus *adverſus Stoicos ſcribens allegoriam variavit, & dixit:* τὴν τῶν δογμάτων ὁδὸν βαδίζειν. *Quorſum nunc illud* κατὰ *nullo modo neceſſarium? Hactenus igitur noſter Antagoniſtes parum proſpere egit Grammaticum: videamus iam an melius illi ſuccedat, dum Interpretem agit. Vertit igitur ille:* Neque ſecundum Eccleſiae dogma orthodoxa cogitatione ambulant. *Iam quum illud* κατὰ *iure exculcaverimus, interpretandum fideliter eſſet:* Neque Eccleſiae dogma orthodoxa cogitatione ambulant. *Sed quis non videat, quam Latinis auribus ingrata ſit, & quam inſolens, haec loquutio? Et quis ignoret boni Interpretis munus eſſe, orationem, quam vertit, linguae, in quam vertit, genio adcommodare, nec quidquam violentius transferre? Id eleganter ac praeclariter docet Grammaticus & Criticus eminentiſſimus* Gellius Lib. IX. Noct. Attic. Cap. IX. Quando ex poematis Graecis, *inquit*, vertendae mutandaeque ſunt inſignes ſententiae, non ſemper aiunt enitendum, ut omnia omnino verba in eum, in quem dicta ſunt, modum ver-

ta-

tamus. Perdunt enim gratiam pleraque, ſi quaſi invita & recuſantia violentius transferantur. *Sed nequis hanc* Agellii *regulam, & auctoritatem eludat, alia auctoritate confirmanda ac roboranda eſt, eaque eſt doctiſſimi Interpretis, & Patris graviſſimi*, Euſebii Hieronymi, *ita ad Suniam, & Fretellam, prudentiſſime ſcribentis*: Dum interpretationis κακοζηλίαν ſequimur, omnem decorem translationis amittimus: & haec eſt regula boni interpretis, ut idioma alterius linguae ſuae linguae exprimat proprietate, quod quidem & Tullium in Protagora Platonis, & in Oeconomico Xenophontis, & in Demoſthenis contra Aeſchinem oratione feciſſe convincimus, & Plautum, Terentium, Caeciliumque, eruditiſſimos viros, in Graecis comoediis transferendis, &c. *Nam, ut ipſe ex intervallo ait*, non debemus ſic verbum de verbo exprimere, ut dum ſyllabas ſequimur, perdamus intelligentiam. *Ut igitur obſcuram & inſuetam apud Latinos phraſin, & metaphoram, evitarem, qualis eſſet*, dogma *vel* decretum ambulantes, *ad aliud verbum confugi, quod certe rem ſignat, & ſententiam ſartam & tectam inviolatamque conſervat; loquutionemque neglexi, quam certe apud Latinos Auctores numquam offendiſſe me memini, & ne in novi quidem Teſtamenti tabulis Vulgatae editionis, niſi ſemel, ſed*

alio

alio ſenſu, aliique verbo Graeco aptatam in Epiſtola ad Coloſſenſes, Cap. II. verſ. 18. *ubi Vulgata habet :* Quae non vidit ambulans. *Sed verbum* ἐμβατεύων, *quo* D. Paulus *utitur, nil aliud ſignificat hic, quam* inquirere, ſcrutari, penetrare : ἐμβατεῦσαι *enim explicatur* ἐπιβῆναι, τὰ ἔνδον ἐξερευνῆσαι ἢ σκοπῆσαι. Ingredi, quae intus fiunt ſcrutari, & ſpeculari. Phavorinus *praeterea interpretatur* ἐξετάζειν inquirere; Heſychius ζητῆσαι, ἐπιβαθμῶσαι, quaerere, penetrare quoad licet. *Itaque ſignificat inquirere, introſpicere in id quod arcanum eſt ; & ideo Vulgatus Interpres non ſatis commode, & ſignificanter*, ambulans *reddidit. Et quidem reliqui Interpretes adeo ab huiuſmodi verbo, & phraſi, abſtinendum eſſe cenſuerunt, ut* Auguſtinus *Epiſt. LIX. legerit*, quae non vidit inculcans, *quaſi Graece legiſſet* ἐμβαθεύων ; Ambroſius *legerit*, ea quae non vidit extollens. *Et, ut ad recentiorum quoſdam deſcendam*, Eraſmus *vertit* : Ingrediens ea, quae non novit. *Et, ſi haereticorum auctoritate abuti fas eſt, Iac. Capellus* : Ingerens ſeſe in ea, quae non vidit. *H. Grotius :* penetrans in ea quae non vidit, *ideſt* non novit. Hammondus *autem* παραφράζει : Adgreſſus ea docere quae nullo modo novit. *Quid quod* Budaeus στοιχεῖν *exponit & interpretatur* συμφωνεῖν, conſentaneum eſſe, & conſequutione quadam

co-

coniunctum? *Adeo verum eſt licentia quadam in hoc verbo interpretando uti fas eſſe, ut expoſitio molliter & congruenter Latinis auribus adcommodetur. Quare illa* Baſilii εἴ τινας εὕρομεν τῷ παραδοθέντι κανόνι τῆς εὐσεβείας ςοιχῦντας, *vertere ille amaviſſet*: Si quos invenimus traditae pietatis regulae conſentientes; *quod quidem ſenſit etiam Vulgatus Interpres, ubi* Ad Galatas Cap. VI. *illud*, Καὶ ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ ςοιχήσουσιν, *quod* Baſilius *reſpexit, ita vertit*: Et quicumque hanc regulam ſequuti fuerint. *Apertiuſque Interpres Arabs*: Omnes qui canonem, & ordinem hunc adprobant. *Aethiops vero habet*: Omnes facientes ſecundum hanc regulam. *Idem Vulgatus Interpres* Ad Philip. Cap. III. verſ. 16. *ſimilem phraſin* τῷ αὐτῷ ςοιχεῖν κανόνι, *non aliter Latine transfert, quam*, In eadem permaneamus regula: *Syriaca interpretatio exprimit*, Eadem perficiamus regula. *Arabica*: Contenti ſimus eadem illa in menſura. *Aethiopica*. Confirmemur. *Et* Ad Romanos Cap. IV. verſ. 12. τοῖς ςοιχῦσι τοῖς ἴχνεσι, qui ſectantur veſtigia, *eſt in Vulgata. Verſio autem Syriaca ſonat*: Qui ſe conformant ad veſtigia. Io. Hammondus παραφράζει: Imitantur. *Quid quod Vulgatus Interpres* Epiſt. ad Galat. Cap. VI. 25. συςοιχεῖ *vertit*, qui coniunctus eſt ei, *quum de monte Sina agatur, qui certe ambulare non*

non poteſt. Theophylactus *vero interpretatur*: γειτνιάζει, ἅπτεται, vicinus eſt, attingit? *Quamquam non diffitetur ſignificare quoque hoc verbum*, comitari, una incedere. *Cur igitur, ubi hi Viri ſummi tam varie ac diverſe pro ſubiecta materia, & ubique recte ac ſapienter*, τὸ στοιχεῖν *expoſuerunt, a me per ſummam iniuriam exigitur, ut inſolenter, & inficete, & ridicule propemodum*, ambulare *transferatur? Quare, & ſi* Glycas *ad haec arcanarum Scripturarum loca adludere voluiſſet, ut Criticus minus vere ait, tamen non video cur potius* ambulare *convertere debuiſſem, quam alio prorſus modo, illorum Interpretum maximorum veſtigiis inſiſtens. Sed ad illa loca non adluſit* Glycas, *quum nulla ſimilis ſyntaxis aut phraſis id ſuadeat, ut perſpicuum eſt: ſecus enim univerſa vocabula, quibus* Glycas *utitur, aliquem ſcripturae locum reſpicere vere dicerentur, quum illa omnia ſparſim in caeleſtibus litteris offendere ſit. Minus autem ad alia duo Bibliorum loca reſpicere potuit, ubi pariter verbum* στοιχεῖν *uſurpatur: abſolute enim ponitur, & alio prorſus intellectu, eoque ſenſu, quo vitae inſtitutionem ſignificet. Primus locus eſt* Cap. XXI. Actor. *ubi*: ἀλλὰ στοιχεῖς καὶ αὐτὸς τὸν νόμον φυλάσσων: Sed ambulas & ipſe cuſtodiens legem. *Alter eſt in* Epiſtola ad Galatas Cap. V. *atque ita habet*: εἰ ζῶμεν πνεύματι, πνεύματι καὶ στοιχῶμεν.

Si

Si ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus. *Obſervante enim doctiſſimo* H. Grotio, *in huiuſmodi Scripturarum locis, verba* ϛτοιχεῖν, περιπατεῖν, *& id genus alia, Ebraeo* הלך *reſpondent, &* vitae inſtitutum aliquod perſequi *Ebraico loquendi genere ſignificant, ut ex* Proverbiorum Cap. VIII. verſ. 20. *elucet atque eminet, & infinita prope exempla, ex arcanis litteris petita adcumulare poſſem, niſi brevitati conſulerem. Atque haec metaphora non valde ab uſu Graecae, & Latinae, linguae abhorret, quum illa* βίου ὁδὸν *&* τρίβον *apud probatos Auctores, ut* Poſidippum *in* Anthologia, *reperiamus; &* ὁδὸν ἐπὶ τὸν βίον τρέπεϛθαι *apud* Xenophontem Lib. II. Ἀπομνημ. *Quae* Cicero *interpretatur*, vivendi viam ingredi. Vitae viam *autem dixerunt cum alii, tum* Horatius Epiſt. XVII. Lib. I.

Utinam Cenſor hic in ſuis potius caſtigandis, & corrigendis, quam in alienis carpendis calumniandiſque, occupatus tempus inſumeret; quando tam multis illa erroribus ſcatent, ut campi ſentibus, & ſilicibus, obſiti videantur. Quis enim neſciat, dum ad Graeca quaedam in noſtram, ſeu Latinam, linguam transferenda animum adiecit, non ea tam vertiſſe, quam evertiſſe? Cuius quidem rei ſpecimen aliquod heic praebere fert animus, nam haud inconſulte doctiſſimus Io. Clericus *monuit*: Certe

te eſpece de gens meritent d'etre un peu etrillez, a fin qu'ils apprennent a en uſer autrement; en ſentant, par leur propre experience, ce qu'ils font aux autres. *Itaque ab Aeſopi Fabulis, quas rudibus illepidiſque verſiculis in Tuſcum ſermonem tranſtulit, exordium ſumamus, & Fabula IX. quid* γυμνασιαρχεῖν *ſignificet, ab eo non animadverſum reperiemus. Verba Fabulatoris ſunt:* πολλὰ δὲ τῦ Κροκοδείλου ὑπερήφανα περὶ τῆς προγόνων διεξιόντος λαμπρότητος, ὡς γεγυμνασιαρχηκότων. *Ille igitur ita vertit:*

Il Cocodril vantava
Lo ſplendor de' Maggiori,
E il valore eſaltava,
Che ſempre vincitori
Nelle lotte gli fe,
E chiari li rendè.

Quum enim γυμνασιαρχὴς ludorum praeſes *ſit, &* γυμνασιαρχία ludorum praefectura, *ut Lexica, & Calepinus, docent, ne laudem* Cuiacium ad Tit. Digeſt. De Excuſ. Tutor. & Petr. Fabrum Agoniſt. Lib. I. Cap. XXII. & Io. Potterum Lib. I. Archaeolog. Graecae Cap. XV. *& antiqua Monumenta apud* Reineſium, & Iac. Sponium Itinerar. *& illud praecipue, in quo cuiuslibet menſis* γυμνασιαρχαὶ *recenſentur, & incipit:*

ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΑΙ ΚΑΘΩΣ ΕΓΥΜΝΑΣΙ-
ΑΡΧΗΣΑΝ.
ΒΟΕΔΡΟΜΙΩΝΑ κτλ.

quis

quis non videat γεγυμνασιαρχηκότων, Eorum qui palaeſtrae praefectura functi eſſent, *vertendum fuiſſe, quod maxime ad gloriam, & nobilitatem facit? Quare Latini horum Apologorum interpretes* Exercitiorum principes, *& quidem recte, tranſtulerunt. Fabula vero* XIII σαγήνη *Italice* Giacchio *convertitur, quum heic aliud omnino retis genus ſit. Et quamquam Poetae multa permittuntur, tamen nulla licentia admittitur, ubi abſurdum conſequitur, ut in hac Fabula; habetur enim deinde* οἱ δ' ἐπὶ τῆς ἠϊόνος ταύτην ἑλκύσαντες, Quum autem illud ad littus traxiſſent: *quod de retis genere, quod* Giacchio, Rete iaculum, *a iaciendo vocatur, Graecis* ἀμφίβληστρον, *dici non poteſt; ad littus enim ripamve non trahitur; ſed de* verriculo *intelligendum eſt, quod* σαγήνη *ſignificat, & quod Piſcatorum noſtratium quidam* Tramaglio *aut* Buleſtriche *adpellant; a* Petri *autem* Creſcentii *Interprete* Scorticaria, *&* Traverſaria *nuncupatur. Id confirmatur etiam* Matthaei Cap. XIII. *ubi:* Simile eſt regnum coelorum ſagenae miſſae in mare, & ex omni genere piſcium congreganti; quam quum impleta eſſet educentes, & ſecus littus ſedentes, &c. *Et adeo verum eſt,* ſagenam *eſſe* verriculum, *& rete, quod nos* Tramaglio *vocitamus, vel huius generis aliud, ut* Oppianus Lib. I. Κυνηγετ. *caſſes etiã, & plagas, quibus quadrupedes ferae capiuntur, ſagenam*

nam adpellaverit: nam ſagenae, *ſeu* del Tramaglio, *ritu indagines illae contextae ſunt*, *ac tenduntur*. Oppiani *verba ſunt quae ſequuntur*:

Σπαρτόδετον μήρινθον, εὔπλεκτόντε ποδάγρην,
Ἅμματάτε, σάλικάστε, πολύγληνόντε σαγήνην.

quae Rittershuſius *vertit*:

E ſparto tortam formidinem, & beneplexam pedicam,
Et ligamenta, valloſque, multiforamque ſagenam.

Ant. Mar. Salvinius *autem*, *vir in Graecis proprie vertendis*, *ut in ceteris*, *incomparabilis*, *ita egregie interpretatur*:

E di canapa fune, e bene attorta
Paſtoia, e nodi, e pali, ampia ſagena.

Ἀμφίβληστρον *autem eſſe proprie* rete iaculum, *& non* verriculum, *uti* Valla *vertit*, *ipſa indicat nominis etymologia*; *&* Calepinus, *quem* Facciolatius *edidit*, *docet in* Funda; *&* Rittershuſius Lib. III. Ἁλιευτικ. Oppiani *recte interpretatur*; *&*, *quod multo pluris facio*, *ille idem* Salvinius, *qui veram Graecorum vocabulorum ſignificationem tam exacte ac ſubtiliter exſculpere ſolet*, *& ſuis dictionibus Etruſcis exprimere*. *Ecce* Oppiani *verſus*:

Δίκτυα δ' αὖτ' ἄλλοισι μέλει πλέον ἐντύνασθαι,
Τῶν τὰ μὲν ἀμφίβληστρα, τὰ δὲ γρῖφοι καλέονται,

Γαγ-

Γάγγαμάτε, ἠδ' ὑποχαὶ περιηγέες, ἠδὲ
σαγῆναι.

Ecce pariter Ritterſhuſii *interpretationem.*

Retia rurſus aliis curae magis eſt adparare;
Quorum alia quidem retia iacula, alia vero griphi vocantur,
Gangamaque, atque hypochae rotundae, atque ſagenae.

Ecce denique translationem Salvinii.

Parte aman più d' apparecchiarſi reti:
Delle quai parte s'addimandan GIACCHI,
E parte Grifi, Gangame, ed Ipoche
Fonde, e Sagene.

Vbi per occaſionem corrigendum typographicum illud erratum Fonde, *legendumque* Tonde. *Quod ſi* Salvinius *in Scholiis* γάγγαμον *exponit* verriculum; *id non prohibet quominus & ſagena verriculum ſit: nam verriculorum non unum eſſe genus in piſcatione notavi, varieque verricula, etiam a noſtratibus adpellari. Quod ſi Academici doctiſſimi in ſuo Vocabulario Italico* Giacchio *Graece* σαγήνη *efferunt; animadvertendum eſt ab eis etiam* δίκτυον *explicari, hoc eſt* rete *tantum, nomen generale: quo quidem aperte inſinuatur non multum eos ex Graecarum dictionum proprietate ſolicitos eſſe, ut in Etruſcis vocibus certe ſunt. Nec obiiciatur propterea* Giacchio *generale nomen*

eſſe pariter poſſe ; quum eius deſcriptio , quam Academici diligentiſſimi adferunt , & adpoſita quoque Latina vocabula , Funda , Rete iaculum, *id minime patiantur . Et ſi* σαγήνη *apud Laconas , naſſam , vel naſſae genus ex calamis contextum , ut* Heſychius *auctor eſt , ſignificabat ; id forte eorum peculiare fuit ; neve huic Aeſopi Fabulae ullo modo aptari poteſt . Nam trahi , dici proprie de uerriculo ,* Valerius Maximus , *&* Servius Honoratus *ſatis oſtendunt . Ille* Lib. IV. Memorab. Cap. I. *ubi ait :* A Piſcatoribus in Mileſia regione verriculum trahentibus , &c. *Hic in* I. Aeneid. *inquiens :* Verrere eſt trahere , a rete , quod verriculum dicitur . *Nihil dicam de Epimythii Fabulae XV. interpretatione , quae veram ſententiam multum pervertit . Sed quis riſum teneat , quum Fabula XXIX vaegrandem Simiam eo retis genere , quod a textorum Aranearum tenuiſſimorum ſimilitudine* Ragna *nuncupamus , & perticis longis adpenſam in aere ad aviculas capiendas extendimus , illaqueari , & capi facit ? Num Simia alata erat , ut Pegaſus , & Hippogryphus , & Scrofa illa , quam gemma IX exhibet in* Tabul. LXXXXIV. Tom. II. Muſei Florentini ? *Sed & ſi volucris fuiſſet , filis tam tenuibus retineri non potuiſſet , quae ſaepe vel turdus ficedulaque perrumpit . Adeatur* Petrus Creſcentius

tius Lib. X. cap. XIX. & *id totum , etiam qui auceps non eſt , facile intelliget . Neve heic interpres ſigurate loqui dici poteſt , quum id fabulae contextus minime patiatur . Quid quod ipſe Apologus ait , carnem* ἐν παγίδι *poſitam fuiſſe , ad feras adliciendas , quod de illo retis genere pronunciari non poteſt ?* Παγὶς *igitur , non rete huiuſmodi , ſed laqueus eſt , & ita potius vertendum fuerat . Non me latet tamen a Latinis* Caſſes , *& pro* Ragna , *& pro plagis , quibus quadrupedes ferae capiuntur , indiſcrete uſurpari : at id non eſt apud Etruſcos uſitatum . Nec minus ridendum videatur ad Fabulam XXXV. ubi illa* εὗρεν ἄνω ἐπὶ τοῦ δώματος τὸν κύνα καθεύδοντα , *convertuntur :*

Trovò il Cane sdraiato ,
Poichè della magione
Era ſuſo montato
Lo ſcaltrito al balcone .

Quamquam enim Balcone , *a* Balco *deducitur , ut Academici eruditiſſimi in illo ſuo docto & laborioſo Vocabulario , & eximio Italicae linguae Theſauro , ſapienter docent ; tamen nil aliud , iisdem pariter auctoribus , quam* Feneſtram *ſignificat ; & ſi aliud quidquam deſignaret , certe id non ſatis probari , quod in eo Dictionario non exſtet , elucet atque eminet . Quare res profecto miranda eſt , Canis in feneſtra iacens , & dormiens , ac de ea*

proſpectans ac loquens. Sed Graeca ita vertenda ſunt : Invenit ſuperius in ſolario, ſeu tecto, canem dormientem. *Nam aedium tecta, qualia antiquitus in uſu erant, δώματα adpellabantur, quod praeclariter confirmat locus* Lucae Cap. V. 19. *ubi :* καὶ μὴ εὑρόντες διὰ ποίας εἰσενέγκωσιν αὐτὸν, διὰ τὸν ὄχλον, ἀναβάντες ἐπὶ τὸ δῶμα διὰ τῶν κεράμων καθῆκαν αὐτόν. Et non invenientes qua parte illum inferrent prae turba, adſcenderunt ſupra tectum, & per tegulas ſubmiſerunt eum. *Et eae erant ſolaria, ut Latini vocitaſſent, in quibus veteres inambulare ſolebant, ut* H. Grotius *etiam animadvertit, & in quae alia quam per domum adſcendi, aut deſcendi, poterat, per ſcalas nimirum in publicum proiectas, quales deſcribit in Phoeniſſis* Euripides. Ariſtoteles *quoque* Oeconom. II. *ait fuiſſe, ut* ὑπερῷα, *ita &* ἀναβάθμους ὑπερέχοντας εἰς τὰς δημοσίους ὁδοὺς, Scalas, quae in publicum prominerent. *Et apud* Plautum *in* Milite Glorioſo *ſervus quum dixiſſet nullum eſſe ex aedibus, quas habitabat, in vicinas commeatum, cauſam reddit quod nec* ſolarium eſſet, nec hortus. *Et hinc intelligitur quod* Matthaeus XXIV. 17. *ait :* ὁ ἐπὶ τοῦ δώματος μὴ καταβαινέτω ἆραί τι ἐκ τῆς οἰκίας αὐτοῦ. Et qui ſuper tectum, ne deſcendat in domum, nec introeat ut tollat quid de domo ſua. *Item illuſtratur locus* Lucae *laudatus*

tus ; nam apud Iudaeos etiam ſcalae hae extrinſecus aedibus adpoſitae in uſu erant , ut ad citata loca doctiſſimus Bern. Lamius *in* Harmonia Evangelica *obſervat. Melius igitur illud* δῶμα Terrazzo *verti potuiſſet , quod quidem Fabula CXXXIX fecit interpres , quamquam & ibi* Balcone *perperam , ut videtur , admiſcuit . Quam lepidum autem eſt quod Fabula XLI de Columba , & Formica , ait ,*

Troncò un ramo d' arboſcello,
E a lei porſelo bel bello ,

contra omnem quidem veriſimilitudinem? Eam tamen ſervat Graecus contextus , qui habet : κλῶνα δένδρου περικλῦσα εἰς τὴν πηγὴν ἔῤῥιψεν. Quum arboris ramum decerpſiſset , in fontem illum proiecit . *Quamquam enim in Apologis multa brutis animalibus adfinguntur, veriſimilitudo tamen in pleriſque , quoad fieri poteſt , ſervanda eſt . In Fabula XLIV. illud* ἐπιφανεὶς *tantae eruditionis verbum , quantae* Ph.Bonarotius *Vir longe eruditiſſimus oſtendit, neve adumbravit quidem ſaltem , ſed* ἐπιφανεὶς ὧν ὁ Ἑρμῆς κἀκείνῳ, *ieiune & languide vertit :*

Di lui Mercurio udì
I lamenti altresì,
E nel fiume gettoſſi , ec.

Vbi nec τὸ πρέπον *ſervat Numinis maieſtati conveniens* , gettoſſi *interpretatus verbum* καταβὰς , *quod* quum deſcendiſſet , *vel ſi-*

mili modo fuerat transferendum. In Fabula vero LXXVI. ἀλλὰ τὸ μὲν σὸν κάλλος τὴν ἐαρινὴν ὥραν ἀνθεῖ, *quum eleganter ſignificet:* Sed tua pulcritudo verno tempore floret; *ſyntaxim totam Interpres pervertens, & nihil de pulcritudine loquutus, contra nativam elegantiam interpretatur:*

— Ma ſolo
Tu per l'aer diſpieghi il volo
Nell'età, che l'anno infiora.

Quid autem de Apologo LXXXVIII. *dixerim, ubi Sunium, ex Oppido Atticae, & Promontorio, ut* Strabo, Stephanus, Heſychius, Meurſius, & Sponius, *docent, in ſimplicem montem transformat; quum tamen vox* ἀκρωτήριον, *qua* AEſopus *adpoſite uſus eſt, Promontorium eſſe ſatis indicet, quod nunc* Capo Colonna *adpellatur? Piraeeum vero* Arſenale *tantum eſſe dicit, quum Portus, & Pagus, & Emporium Athenarum fuerit, ut apud* Meurſium *videre eſt:* ἐπίνειον enim dicitur πόλισμα παραθαλάσσιον ἔνθα τὰ νεώρια τῆς πόλεως ἦν, ut Piraeeus Athenienſium, Niſea Megarenſium, Cyllene Eleorum. Sic apud Thucydidem Libro I. Καὶ Κυλλήνην τὸ Ἠλείων ἐπίνειον ἐνέπρησαν. Necauſim adfirmare id Latinum nomen habere. Navalia enim ſunt ea, quae Graecis νεώρια dicuntur. Cicero Lib. I. Offic. Muri, navalia, portus, aquarum ductus. Haec *Bayſius* ex Thucydidis Scholiaſte, qui adnotat etiam ἐπίνειον uſurpari poſſe ἐπὶ παντὸς ἐμπορίου καὶ πα-

ρα-

ραθαλαπίου, & ſuo tempore a vulgo *κατάβολον* id adpellatum fuiſſe, &c. *Quae ſunt verba* H. Stephani, *qui multa deinde exempla optimorum auctorum aggerat, quo id demonſtret*. Arſenale *autem proprie eſt locus fabricandis navibus, earumque inſtrumentis, deſtinatus, ut ſatis conſtat ex uſu quotidiano loquendi & ex ipſo Vocabulario Italico ab Academicis egregie, & utiliter concinnato, ubi Latine redditur* Navale, *& quidem recte. Quod ſi Graece* ναυςαθμὸς *exponunt, quod proprie* Navium ſtationem *ſignificat, & de illa Portus parte intelligi poteſt, quam nos* Molo, *ſeu* Darſena *nuncupamus; iam tempeſtive monuimus eruditiſſimos Academicos non videri nimium de rigida vocum Graecarum proprietate ſolicitos*. Arſenale *enim proprie Graece* νεώριον *eſt, aut* νεώσοικος, *&* νεώλκιον, *&* νεὼν, *ut Grammaticus ſummus* H. Stephanus *docet. Quare iam elucet,* τὸ ἐπίνειον *heic ſignificare aliud, quam* Arſenale. *Iam totam Fabulam CIII. duplici vocis* φάρμακον *poteſtate non animadverſa ita deformavit, ut nec ſenſus communis eiuſmodi interpretationem ferat, quum nulla in ea ſit praecedentium & conſequentium apta connexio: quod & ipſe Interpres, olim a me monitus, publica diſſertatione faſſus eſt: & conſuli poſſunt ad veram huius fabulae intelligentiam, quae de veneni, & pharmaci ſignificatione adnotat* Fr. Redius *ad ſuum elegantiſſimum* Dithyrambum. *Fabula*

*CV narrationis veriſimilitudinem deſtruit, &
ea dicit, quae prudens Aeſopus neque per
ſomnium cogitavit. Sed ſi Aeſopi Fabellas re-
linquere adrideat, & ad* Andreae *Creten-
ſis Homiliam a Critico noſtro editam, &
Latine converſam, tranſire, quam mul-
ta in medium adferre poſſum, digna meri-
taque cenſura caſtiganda! Verum iſtorum quae-
dam mature iam ad trutinam revocavi, ut
inferius* pag. 77. *&* 84. *videre eſt. Nonnulla
igitur tantum in praeſentiarum attingam, &
illud in primis quod* θεοπάτωρ Dei atavus
verterit, quum Dei pater *debuiſſet. Quum
enim ibi de Davide agatur, nonniſi Chriſti, &
Dei, pater iuxta Scripturarum phraſin dici po-
teſt; nam Chriſtus Davidis filius in iis paſ-
ſim occurrit, atnepos numquam. Vtinam di-
cti illius Evangelici* Lucae Cap. I. *meminiſſet*.
καὶ δώσει αὐτῷ κύριος ὁ θεὸς τὸν θρόνον Δα-
βὶδ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ: Et dabit illi Dominus
Deus ſedem David patris eius. *Quod ſi non
Theologum, ut conſtat ex iis, quae inferius* pag.
42. 77. 84. 94. *&* 178. *animadverti, ſed Gram-
maticum agit, quis adeo in Grammaticis caecu-
tiat, ut* θεοπάτωρ Dei pater *transferendum eſſe
non videat? Mirum profecto, quod quum* An-
dreas *ſtatim, matrem cum patre collaturus,* Μα-
ρίαν θεομήτορα *vocet, & ſubdat;* Mariam Dei
matrem, *& non* Mariam Dei ataviam *interpre-
tetur: quod quidem eius interpretandi ratio re-*

qui-

quirere videbatur. Sed taedet iam ulterius proſequi, & huiuſmodi alia ex tam copioſa ac luxurioſa meſſe ſeligere, quum ſpecimen tantum heic praebere ἀκριβείας, & eruditionis, & mirabilium interpretamentorum Grammatiſtae, mihi propoſuerim, ut ille tandem intelligat & a me Virgilianum illud uſurpari poſſe,

Et nos tela, Pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, & noſtro ſequitur de vulnere ſanguis.

Quis enim modo illa Perſii *congruenter non exclamet?*

Dixeris haec inter varicoſos Centuriones,
Continuo craſſum ridet Vulpenius ingens,
Et centum Graecos curto centuſſe licetur.

At videamus iam quid aliud in nobis Criminator noſter caſtigandum offenderit. Ad paginam 181. *ea obſervat, quae neſcio an riſum magis, vel ſtomachum, moveant. Contendit Latinae interpretationis interpunctionem, Graeci textus interpunctioni quodam loco non reſpondere. Ipſe quidem herbam porrigo: Quid inde? Sententia ne invertitur, & corrumpitur? Haudquaquam. Eadem eſt. Quorſum igitur haec cenſura? Numquid Cenſor hic adeo perſpicax, &* τετρόφθαλμος, *qui puncta, &*

com-

commata ſpeculatur, numquam Latinam Gregorii Nazianzeni Operum interpretationem a doctiſſimo Iac. Billio *tam exacte, tam eleganter, elaboratam legit, aut ſaltem inſpexit? Certe de ea* Io. Clericus *ὁ κριτικώτατος illud iudicium protulit, quo adfirmare non dubitavit nullam aliam SS. Patrum Graecorum Latinam interpretationem adeo venuſtam, politam, abſolutamque, hactenus paruiſſe. At in tota hac tam longa tam ampla interpretatione, fere numquam Latinae verſionis interpunctio Graeci contextus interpunctioni reſpondet, quod quidem lippis & tonſoribus notum eſt, & a laudato quoque* Clerico *animadverſum. Contemnenda igitur iſta ſunt ab hominibus doctis, qui de ſententia in primis debent eſſe ſoliciti.*

Minus autem calumniandum fuerat Typothetarum mendum ἔλεγε τὸ, pro ἐλέγετο, quum ex interpretatione evidenter conſtet Auctorem recte legiſſe, & convertiſſe, Dictum eſt; *quod hic Cenſor haudquaquam reticere debuerat. Qui inſuper locum alium* pag. 186. *in quo duo typographica menda irrepſerant, ἐντεῦθα pro ἐνταῦθα, &* heinc *pro* heic, *iniuſte calumniatur. Eſſe enim illa pura puta menda typographica manifeſte elucet ex eo, quod alibi recte ſcriptum ſit ἐνταῦθα; &* heic, *vel* hoc loco, *Latine converſum, ut exempli gratia* pag. 115. 183. 270. *Idem dicendum eſſet de πολλάχις, nam* pag. 63. πολλάκις *habetur, niſi Lexicon a Frellonio*

Baſi-

Baſileae editum πολλάχις *etiam recte ſcribi admoneret , ut in hac voce videre eſt . Idem quoque ſtatuendum de aliis omnibus typographicis mendis , ſi qua a noſtro Cenſore ſparſim deprehenſa ſunt ; nam eadem vocabula recte ſcripta alibi occurrunt . Vere quidem ſcribit , & prudenter obſervat , doctiſſimus* Clericus Tom. XXVII. Biblioth. Selectae Quand il les ecrit ſeulement une fois bien, il eſt a preſumer, que c' eſt par la faute des Imprimeurs qui il ſe trouvent mal ecrits en d'autres endroits . *Non tamen adeo leniter iudicandum eſt de noſtro Critico , qui Fabulæ Aeſopi III. ter conſtanter* Ι'έραξ , *& Fabulis XIII. XVII. CXXIV.* ἀλιεὺς *prima vocali non adſpirata ſcripſiſſe deprehenditur. Et quidem* Flaccus *ait :*

> Vt ſcriptor ſi peccat idem librarius uſque
> Quamvis eſt monitus venia caret , & Citharoedus
> Ridetur , chorda qui ſemper oberrat eadem .

Ad Epiſtolam deinde III. gradum facit , & pag. 206. *phraſin illam criminatur ,* Gloria , quam vultu ſuo Dei contemplator Moſes coruſcabat , *& quaſi quomodo* coruſco *conſtruatur ignoret , audaciorem atque poeticam adpellat . At unde nam coniectat eſſe eam audaciorem ? Si coruſco* Virgilio , *Poetarum*

Lati-

Latinorum principe , auctore vibro , iac-
lorque, *ſignificat , & tam ſaepe hoc intelle-
ab eo uſurpatur , oportet profecto* Virgiliu-
quoque audaciorem fuiſſe . Ecce Aeneid
VIII.

——duo quiſque Alpina coruſca-
Gaeſa manu .

Eiusdem autem operis Lib. X.

——ſtrictumque coruſcat
Mucronem .

Et ,

——telumque coruſcat
Ingens arboreum .

Et ,

Cunctanti telum Aeneas fatale c-
ruſcat .

Et Lib. XII.

——Oditque moras, haſtamque c-
ruſcat .

Eodem modo ac ſenſu hoc verbo utitur Sili-
Italicus ; *utitur inter recentiores &* Hiero-
nym. Vida *Poeta elegantiſſimus . Sed aud-
cius hoc verbum in pedeſtri oratione uſurp-
tum numquam dixiſſet , ſi quam apte , & pr-
prie , & ſignificanter , quum de fulgore r-
diiſque agitur, hoc verbum adhibeatur , conſ-
deraviſſet . Si quid gloria vultus Moſis fuerit
& quo pacto interpretanda veniat apud* Gly-
cam , *qui verbum phraſinque a* LXX. *Inter-
pretibus* Exod. Cap. XXXIV. 29. 30. 3-

& a

& a B. Paulo II. ad Corinth. Cap. III. verſ. 7. *mutuatus eſt, intellexiſſet. Habent enim illi*. Δεδόξασθαι ἡ ὄψις τοῦ χρώματος τοῦ προσώπου αὐτοῦ, *quod Chaldaeus Paraphraſtes explicat* כאפיתו ארי פני ויו יקרא quod multiplicatus eſſet ſplendor gloriae vultus ſui. *Et id omne confirmant Interpretes, Samaritanus, Syrus, & Arabs. Verba autem* Beati Pauli *ſunt quae ſequuntur*: εἰ δὲ διακονία τοῦ θανάτου ἐν γράμμασιν, ἐντετυπωμένη ἐν λίθοις, ἐγενήθη ἐν δόξῃ, ὥστε μὴ δύνασθαι ἀτενίσαι τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ εἰς τὸ πρόσωπον Μώσεως, διὰ τὴν δόξαν τοῦ προσώπου αὐτοῦ. Quod ſi miniſtratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria; ita ut non poſſent intendere filii Iſrael in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius. *Sed etsi* coruſco *cum quarto caſu poeticum verbum eſſet, illud Oratorem non dedecere, imo maxime convenire deprehenditur. Nam ſummus Praeceptor* Quinctilianus Lib. X. Inſtit. Oratoriarum, *ita ſcriptum reliquit*: Omnibus enim fere verbis, praeter pauca quae ſunt parum verecunda, in oratione locus eſt. *Et mox*: Omnia verba (exceptis de quibus dixi) ſunt alicubi optima. *Quod ſi non ita eſt, cur* M. Tullius Lib. III. De Oratore, *cur idem eodem loco* Quinctilianus, *adeo Poetarum lectionem Oratori formando commendant? Cur iſthuc ipſum* Lucianus *diſer-*

tiſſimus in Lexiphane *inculcat? Cur Oratorum, atque eloquentiſſimorum hominum, praecipui, non tam orationes, quam poemata, ſcripſiſſe, ut Plato & Democritus*, Ciceroni *viſi ſunt? De quorum primo idem quoque ſummus Criticus* Dionyſius *Halicarnaſſeus* Epiſtola ad Cn. Pompeium *luculenter teſtatur. Cur Gorgias, cur Lycimnus, cur Polus, cur Thucydides ipſe, & plerique alii Attici Rhetores facundiſſimi, phraſes formaſque poeticas uſurpaverunt, & clariſſimis verborum luminibus, eodem* Dionyſio περὶ ὀνομάτων συνθέσεως *auctore, orationes ſuas illuſtraverunt? Cur de ſuaviſſimo Iſocrate idem ille Criticus Halicarnaſſeus in* Iſaeo *ſcriptum reliquit:* τὴν μὲν ποιητικὴν κατασκευὴν, καὶ τὸ μετέωρον δὲ τοῦτο καὶ πομπικὸν εἰρημένον, οὐδεὶς Ἰσοκράτους ἀμείνων ἐγένετο? *Cur Cicero ipſe, Latinorum Oratorum facile princeps, tam multa poetica & nomina & loquutiones in libros, orationeſque ſuas, tranſtulit, ut ob id ipſum a* Seneca, *ſed temere & inepte, reprehenderetur? Audiamus de hoc loquentem & iudicantem* Agellium Lib. XII. Noct. Attic. Cap. II. Poſtea hoc etiam addidit inſulſiſſime (*ſcilicet* Seneca). Apud ipſum quoque, inquit, Ciceronem invenies etiam in proſa oratione quaedam, ex quibus intelligas, illum non perdidiſſe operam, quod Ennium legit. Ponit deinde quae apud Ciceronem reprehendit quaſi Ennia-

nia-

niana, quod ita ſcripſerit in libris de Republica, quod Menelao Laconi quaedam fuit ſuaviſſima iucunditas: & quod alio in loco dixerit, Breviloquentiam in dicendo colat. Atque ibi nugator homo Ciceronis errores deprecatur, &c. *At mea cauſſa illa Ciceronis potior forte videatur, quod non ex Ennio, ſed ex Virgilio, poeta nobiliſſimo, phraſin & vocabulum ſumſerim: ſi ita tamen, ubi de M. Tullio agitur, loqui fas eſt. Adderepoſſem exempla quaedam etiam ex* Philoſtrato, *qui ſuos Rhethoras paſſim commendat quod orationem poetico adparatu, vocabuliſque florentem & exſultantem, habuerint: ſed tempus eſt ut bonam Cenſoris mei fidem deſiderem, quando ipſe hanc eamdem phraſin, quam inſulſe modo criminatur, alias in hac eadem Glycae Epiſtola, quum primam editionem meam recenſeret, bene ſapienterque probaverat. Quanto melius, ſi otio ſuo abuti volebat, pedeſtria quaedam, incondita, & claudicantia carmina, quae dudum circumferuntur,*

Hercules hac venit; confecto itinere, magna
Iamque ſiti exarſit, praecepsque per arva ruebat
Dulcem aquam quaerens, licuit quam cernere nuſquam, &c.

quam poeticas in proſa oratione phraſes, & voces adpoſite & eleganter adhibitas, ſua cen-

ſura

ſura vexaviſſet! At licet cum Flacco *in* Arte Poetica *exclamare.*

Non quivis videt immodulata poemata iudex,
Et data Romanis venia eſt indigna Poetis.

At non heic veſtigia premit Cenſor; maius opus movet, & quaſi de Trophonii ſpecu recens exierit, divinare Tireſias alter audet, ſed ſolito huiuſmodi oraculorum exitu, fallaci videlicet. Nam ad Epiſtolam *IV.* pag. 214., *quum Typothetarum incuria φευκτέατο, tranſpoſita virgula, pro φευκτέα, τὸ, exciderit, ſtatim a me pro imperfecto paſſivo acceptum eſſe nugatorie clamat, quaſi & ſyllabicum incrementum adfuerit, aut aliquod imperfectum paſſivum in εατο deſinere ſoleat, quibus in errorem facile inducerer. Ad rem quidem* M. Tullius De Oratore *ſcriptum reliquit:* Plura multo homines iudicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut laetitia, aut ſpe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quam veritate, &c. *Idem reſpondendum ubi παράγεται criminatur, non animadvertens, virgulae poſtpoſitione id pariter factum, quum παράγει, τὸ, Typographi exſcribere debuiſſent, quod ipſe Cenſorem hunc moroſiſſimum tempeſtive monueram, quum ille rem manifeſtam non deprehenderet: & tamen deinde hoc*

idem

idem in ſuis in me animadverſionibus poſuit. *Legendum eſt enim* pag. 27 . τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου παράγει, τὸ διὰ τὴν παράβασιν, κτλ.

Deinde pag. 237. τὸ ἐνδέον *carpit , ac calumniatur, in* Glyca, *quaſi uſitatum non ſit ; haudquaquam conſiderans* Glycam *eſſe ſequioris aevi Scriptorem , & quum* τὸ δέον *ſimplex apud probatiſsimos Auctores frequentiſsimum ſit , licitum* Glycae *videri potuiſſe etiam* τὸ ἐνδέον *compoſitum uſurpare. Fruſtra igitur contendit Cenſor audax, & praeceps, contra Codicis MS. fidem,* τὸ ἐνδεὲς *ſubſtituere : quod quidem nulla ratione permittendum, niſi magnis de cauſſis, ſuperius tempeſtive monuimus. Et merito quidem ; nam ab omnibus viris doctis huiuſmodi audacia ſemper improbata eſt, ut ab* H. Boeclero , Ioſ. Scaligero , And. Schotto , Chriſt. Ad. Ruperto , *quemadmodum apud* Crenium *videre eſt* Animadverſ. Philolog. part. III. *qui* Scaligeri *de H. Stephano & Dalechampio, hominibus in hoc audaciſsimis , agentis , & temeritatem tantam in eis uti litterariae Reip. exitialem damnantis , verba refert ; quod quidem facit etiam* Io. Conrad. Zeltnerus Theatro Virorum Eruditorum, qui Typographiis laudabilem operam praeſtiterunt, *in* H. Stephano .

Miſerationem autem excitat illa cenſura, qua ad pag. 269. *interpretationem meam optimam*

mam deformat atque corrumpit ; & praefracte vult , ut πρὸς τὰ παιδία inter puerulos agens *vertatur , profecto ridicule : quamquam ipſe praecedenter monui , mendum typographicum irrepſiſſe , & τὰ πεδία legendum , ut habet Codex MS. & Latina interpretatio luculenter indicat , & ipſa orationis ſententia exigit ; ne Glycae textus indigne habeatur , & riſus lectoribus inextinguibilis excitetur. Et quidem in legendo ,* Participavit enim vere *inter puerulos agens* carnem & ſanguinem , quum vere homo effectus eſſet , *riſum teneatis amici ? Nam praeter loquendi modum humilem & ineptum , ſtulta etiam & ſuperflua eſſet eiusdem rei repetitio , quum ſit idem* inter puerulos agere , *atque hominem eſſe . Sed haec numquam effutivit* Glycas , *& prudenter & caſtigate , ut ipſe interpretatus ſum , dixit :* Participavit enim vere ad terreſtre ſolum (πρὸς τὰ πεδία) delapſus carnem , & ſanguinem , quum vere homo effectus eſſet .

At poſtremum poſt tot tantaſque hallucinationes , poſtquam tam ſaepe in meridie tamquam in tenebris offendit , aliquid , Deo neſcio quo auſpice & duce , deprehendit , quod vere ſciteque , ſed in quo nullo iudicio , & doctrina opus erat , ſupplendum obſervavit . Invenit enim pag. 270. *verba quaedam in Graeco contextu deeſſe , quae tamen in Latina interpretatione leguntur : & ad* pag. 58. *iam in*

in anteceſſum animadverterat, *Graeca quidem verba alicubi exſtare*, *Latinam autem interpretationem deſiderari*. *Illa ſunt*: ἄλλος τρόπος τότε ζωῆς ἀρρητόςτε καὶ ἐπινόητος. *Haec vero*: Etenim tamquam Ethnici reputati ſunt. Niſi vero converſi fuerint, & ipſis vae, & iis, qui illos participes faciunt. *Haec quidem ipſe non inficior*, *& memini interdum* τὸν πάνυ Ant. Mar. Salvinium, *ipſo mihi id fatente*, *in ſimilibus quoque peccaſſe*, *quum animi intentionem aliquando*, *& humanam curam*, *fugiat in exſcribendis*, *vertendiſque Scriptoribus*, *continua verborum ſeries*, *& mediis omiſſis ad diſtantia quaedam oculorum celeritate tranſiliatur*; *quae quidem ſemper cavere prope eſt impoſſibile*. *Nam*

——quandoque bonus dormitat
Homerus,
Verum opere in longo fas eſt obrepere
ſomnum.

Sed quid de Cenſore noſtro dicemus, *qui non opere in longo*, *nec in iuſtae molis volumine*, *ſed in brevi admodum Andreae Cretenſis Homilia*, *ſimile peccatum peccavit*, *&* pag. XLIII. *illorum verborum*, τί ὡραιώθησαν σιαγόνες σου, *interpretationem omiſit? Dicemus quod vere* Menander *dixit*.

Ἅπαντες ἐσμὲν εἰς τὸ νουθετεῖν σοφοὶ,
Αὐτοὶ δὲ ἁμαρτάνοντες οὐ γιγνώσκομεν.

Omnes ſumus in admonendo ſapientes,
Nos vero ipſi aberrantes non cognoſcimus.

In qua quidem exigua, & coacta, Homilia, centum & decem menda, & amplius, quibus textus Graecus foedatur, deprehendi, & adnotavi; & commiſſa quidem ab illo vitilitigatore, qui in primo Deliciarum Eruditorum *volumine, errata quaedam typographica, non adeo multa, illiberali ſedulitate venari potuit, & perquirere, & adnotare, & deſcribere, ut de me triumphum ſibi agere videatur. In Fabularum autem Aeſopicarum editione ad ducenta, & quod excurrit, σφάλματα obſervavi; ut haud iniuria iam Evangelicum illud effatum apte in huiuſmodi Criticum uſurpari poſſit:* Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui: trabem autem, quae in oculo tuo eſt, non conſideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater ſine eiiciam feſtucam de oculo tuo, ipſe in oculo tuo trabem non videns? . . . . eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc proſpicies ut educas feſtucam de oculo fratris tui. *Quod ſi ridere malimus, cur lepidiſſimum* Epigramma *Ab*biano *tributum ex* Lib. II. Anthologiae *in eum non intorqueam?*

Ἑπτὰ σολοικισμοὺς Φλάκκῳ τῷ ῥήτορι δῶρον

Πέμ-

Πέμψας, ἀντέλαβον πέντε διακοσίους.
Καὶ νῦν μὲν φησιν τούτους ἀριθμῷ σοι ἔπεμψα
Τοῦ λοιποῦ δὲ μέτρῳ, πρὸς Κύπρον ἐρχόμενος.
Ipſe ſoloeciſmis donavi Rhetora ſeptem
Flaccum, ſed retulit mihi prodigus ille ducentos
Quinque: ſoletque idem, numero nunc, dicere, miſi;
Menſura poſthac, quum primum advenero Cyprum.

Cur Horatianum illud non ingeram?

Quum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quantum Aquila, aut Serpens Epidaurius?

Quid autem de huiuſmodi ſtulto ineptiarum labore, nugiſque difficilibus dicam, quales fuere, Paedagogorum ritu, indaganter inveſtigare ac ſcrutari, an apex ullus, an accentus, an ſpiritus, an litterula, an punctum, a Typographo omiſſa fuerint, ut deinde Auctori vitio id per ſummam iniuriam verteretur? Certe ſi diſertiſſimus, & graviſſimus auctor, M. Tullius *Hieronymo Peripatetico indignatus eſt, quod verſus quosdam ex iucundiſſimo*

Oratore Iſocrate excerpſiſſet, & propterea illum criminaretur; quid nam de calumnioſa, & ignobili, Cenſoris mei πολυπραγμοσύνῃ iudicaviſſet? Verba M. Tullii *in* Oratore *ſunt quae ſequuntur*: Elegit ex multis Iſocratis libris triginta fortaſſe verſus Hieronymus, Peripateticus in primis nobilis, pleroſque ſenarios, ſed etiam anapaeſticos; quo quid poteſt eſſe turpius? *Et profecto turpiſſimae ſunt, viroque gravi indignae, huiuſmodi typographicorum mendorum criminationes, quod quidem varie demonſtratur. Primo quia celebriores etiam editiones, & quae maxime commendantur, ut* Manutiorum, Stephanorum, Frobeniorum, Plantinorum, Elzeviriorum, *aliorumque illuſtrium Chalcographorum, mendis huiuſmodi foedari interdum deprehenduntur; fruſtraque ab iis cura illa ac diligentia exigitur, qua antiquos quosdam Librarios praeſtitiſſe indicat* Gellius Lib. I. Cap. VII. Lib. II. Cap. III. & Lib. V. Cap. IV. *itaut nulla errata in eorum ſcriptione deprehenderentur. Secundo quia ex re non omnino neceſſaria ſoliciti ſumus, quum ſpiritus & accentus, & puncta, & virgulae, apud antiquiſſimos Graecos in communi uſu non fuerint, ut marmora antiqua, & pervetuſti codices, fidem faciunt. Quamquam enim* Ariſtophanes *Byzantius Grammaticus, qui Olympiade CXLV. ſub Ptolemaeo Epiphane*

phane floruit , ſigna quaedam diſtinctionis , & προσῳδίαν *, commentus eſt ; tamen haec omnia ante ſeptimum ſaeculum a Librariis neglecta fuiſſe videntur , & in ſolis Grammaticorum libris obſervata , ut ſcribit Graecae palaeographiae conſultiſſimus auctor* Bern. Monsfalconius Lib. I. Cap. IV. *quem quum Cenſor noſter in Appendice Fabularum Aeſopicarum* pag. 332. *citare non dubitet , tamen contraria prorſus iis , quae ipſe dixit , ab eo memoriae tradita comminiſcitur , & iniuſte illi errorem adfingit . Ecce* Riccii *verba* : Crede il Montfaucon , che cominciaſſero a ſcrivergli i Grammatici circa al ſettimo ſecolo , ec. *Ipſiſsima autem* Montisfalconii *verba , quum ab Ariſtophane Byzantio id coepiſſe dixiſſet , ſunt quae ſequuntur* : Verum haec omnia ante VII. ſaeculum a Librariis neglecta prorſus videntur : nam Codices vetuſtiſſimi quincti ſextive ſaeculi iis prorſus carent : quare ante ſeptimum ſaeculum IN SOLIS GRAMMATICORVM LIBRIS obſervata fuiſſe videntur . *Sed mirari non ſubit , ſi homo minime malus Librarios a Grammaticis non diſtinguit , quum in ſua* Calligraphia *inter amatorem , & cinaedum nullum diſcrimen faciat . Immo quum accentuum utilitas , vera iam pronunciandi ratione deperdita , apud nos iam nulla ſit , quod forte* H. Stephanum *induxit ad certis ſignis in Homero a ſe magni-*

ſicis typis deſcripto breves & longas ſyllabas indicandas ; iam quidam eos adhibere haud temere deſierunt , & ſpecimen aliquod in Litterariis *eruditi* Schelhornii Amoenitatibus *alicubi occurrit . Quin popularis noſter* Bened. Averanius , *quem Graece peritum , & diſertum doctumque hominem , eius opera luculenter oſtendunt , nullis accentibus , ſpiritibus nullis , in Graeca ſcriptione uſus eſt , ut* Ant. Maria Salvinius , *qui illius fuit auditor , & maximum decus , mihi ſaepe adſeveravit : cuius rei ſpecimen do diſtichon , quod* αὐτοσχεδιάζων *in Platonis operum fronte ille ſcripſit , ludens in eo quod volumen illud plurium dominorum fuiſſet , ut* Cyriaci Strozzae , Valerii Chimentellii , &c. *tandemque in* Salvinii *manus perveniſſet .*

Η γεγονεν πολλων , ην κτημα σφον ευχεται ειναι
Ουτος ανηρ , οντως ουδενος εςι βιβλος .

Tertio , quia ſi alicubi a Typographis peccatum eſt , tamen haec menda conſtantia non ſunt , adeoque minime calumnianda , ut iam ſuperius ſcite animadvertimus ; & huc faciunt illa Horatii.

Sunt delicta tamen , quibus ignoviſſe velimus.
Nam neque chorda ſonum reddit , quem vult manus & mens ;

Po-

Poſcentique gravem perſaepe remittit acutum :
Nec ſemper feriet, quodcumque minabitur arcus.
Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis : quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura.

Quod ſi nulla vindictae libidine actus infelici hac typographicos errores indagandi occupatione detineri noſter Criticus voluit; cur me potius impetiit, meumque volumen inſectatus eſt, quam aliorum multorum, qui ſua alienaque commentaria typis Florentiae vulgavere, & mendas huiuſmodi innumeras lectoribus propinaverunt? Cur potius Ben. Averanii *Diſſertationes, ſcriptaque alia, laborioſa ſua & inani curioſitate non caſtigavit, in cuius Diſſertatione II. primique Anthologiae Epigrammatis vel primo verſiculo, quinque exſtantia errata, etiamſine ſpecularibus vitris, primore adſpectu deprehendiſſet?*

Audiamus tandem Cenſorem noſtrum ſuis, ſi Deo placet, caſtigationibus coronidem hiſce verbis imponentem. Ho tralaſciato di notare altre piccole minuzie, come ſarebbe l'accento, e lo ſpirito, poſto molte volte ſulla ſeconda lettera del dittongo, e non ſulla prima; molti punti o tralaſciati, o

meſſi

meſſi dove non vanno, e ſimili erroruzzi. *Sed ſtatim Criticum manifeſtae oſcitantiae reum teneo, quum ſpiritus & accentus a me in ſecunda diphthonghi littera non ſaepe, ſed perpetuo & conſtanter, collocati fuerint; nam vera atque optima orthographiae ratio ea eſt. Quod ut pateat, prius de accentibus verba faciamus. Itaque accentum ſuper ſecunda diphthongi littera ſcribendum eſſe, & ratio evincit, & auctoritas exemplaque confirmant. Ratio eſt, quam mihi vir in omnibus, ſed in his praecipue rebus, ſummus,* Ant. Mar. Salvinius, *Praeceptor meus, ſaepe attulit, demonſtrans accentum ſignandum eſſe in littera iam perfecta, & abſoluta: diphthongus autem, quum ex duabus vocalibus coaleſcat, nonniſi ſecunda vocali abſolvitur atque perficitur. Auctoritas vero eſt Codicum MSS. celebriorumque Editionum. Et quod Codices MSS. attinet.*

I. Codex Homiliarum in Evangelium Neapolitanus, ſeptimi, ut putatur, ſaeculi, apud Montemfalconium Lib. III. Palaeograph. Graec. Cap. V. *accentus habet in ſecunda diphtongi littera collocatos.*

II. Codex quatuor Evangeliorum Colbertinus octavi ſaeculi, apud eumdem Auctorem Cap. VI. *accentus eodem pariter modo poſitos habet.*

III. Codex Colbertinus Operum Sancti Dionyſii Areopagitae, VIII. aut IX. ſaeculi,

accen-

accentus eodem loco ſcriptos pariter exhibet, ut ibidem videre eſt.

IV. Codex Evangeliſtarii Graeci Baſilianus Romae, VIII aut IX. pariter ſaeculi, ſimiliter ſe habet quoad accentus. Ibidem.

V. Codex Operum Gregorii Nazianzeni ſub Baſilio Macedone exaratus, IX. videlicet ſaeculo, eadem orthographia ſcriptus eſt. Ibidem Cap. VIII.

VI. Codex Plutarchi Sanctae Mariae Benedictinorum Florentiae, IX. ſaeculo ſcriptus, & a me quoque conſultus, accentus eodem loco notatos habet, ſicuti alia Codicum *MSS. ſpecimina, quae* Lib. IV. Cap. I. *proferuntur. Specimina vero XII. Saeculi, quae praebet* Cap. VI. *eodem pariter modo ſe habent. Nunc* Montisfalconii *veſtigiis relictis ad proprias meas obſervationes progrediar.*

VII. Codex Laurentianus Catenae Nicolai Cyprii in Eſaiam, a me ſuperius pag. XXIV. *memoratus, accentus in ſecunda conſtanter habet.*

VIII. Codex Laurentianus Operum Dionyſii Areopagitae Pluteo V. num. XIII. *X, ut videtur, ſaeculo ſcriptus, accentus conſtanter exhibet in ſecunda. Codex Florentinus* Bibliothecae *D. Marci continens Orationes Gregorii Nazianzeni, ſaeculo X. ut videtur, pereleganter exaratus, accentus habet*

in

in ſecunda, ſpiritus vero aut in ſecunda, aut in utraque.

IX. Sexaginta circiter Codices Graeci MSS. in Bibliotheca Riccardiana exſtantes, omnes pariter accentus in ſecunda diphthongi littera exhibent Duodeviginti vero circiter Codices, inter quos & Plutarchi Codex X ſaltem ſaeculo exaratus, qui quidem ſunt privatae ac peculiaris Bibliothecae Illuſtriſſimi & Reverendiſs D. Canonici Gab. Riccardii, *qui optimos quoſque Codices MSS. cuiusvis doctrinae ac linguae, egregius Maiorum ſuorum imitator, comparat atque perſequitur, & iam ad mille collegit: hi omnes, inquam, eamdem prae ſe ferunt orthographiam. Sed iam ad Codices typis excuſos tranſeamus, ab iis, qui XV. ſaeculo deſcripti fuerunt, exordium ſumentes, utpote qui ut plurimum non minoris, quam MSS. aeſtimandi ſint.*

X. Et primum ſeſe obferunt Anthologia, Callimachi Hymni, Apollonii Rhodii Argonautica, Euripidis Tragoediae, uncialibus litteris deſcripta omnia, atque in Riccardiana Bibliotheca adſervata, quae accentus in ſecunda diphtiongi littera conſtanter habent. Et iſtae quidem editiones fere omnes a doctiſſimis Graecis procuratae ſunt, ut Laſcari, &c.

XI. Iſocrates ex emendatione Demetrii Chalcondylae Mediolani editus anno MCC-

MCCCCLXXXXIII. accentus fere ſemper in ſecunda adſcriptos exhibet.

XII. Simplicius in Ariſtotelis Categorias Venetiis editus anno MCCCCLXXXXIX. opera Zachariae Calliergi Cretenſis, accentus in ſecunda conſtanter collocat.

XIII. Pſalterium Davidicum, Iuſtino Decaduo curante, in aedibus Aldi ſub exitum, ut videtur, ſaeculi XV. editum; & Ariſtophanis Comoediae, Ariſtoteliſque Ethica & Politica, in aedibus Aldi pariter excuſa anno MCCCCLXXXXVIII. & Tabula Cebetis eiusdem circiter aetatis, quae quidem apud me exſtat, ſicuti & Pſalterium Davidicum laudatum, eodem modo quoad accentus ſe habent.

XIV. Aeſopi Fabulae cum aliis Opuſculis, anno MDV. Aphthonii Progymnaſmata cum Syriano, Sopatro, & Marcellino in Hermogenem, anno MDIX. Vlpianus & Harpocration, anno MDXXVII. omnes in aedibus Aldi excuſi; Ariſtidis Orationes, apud Iunctas, MDXVII. Opera Io. Chryſoſtomi Veronae typis deſcripta anno MDXXIX accentus eodem pariter modo in ſecunda conſtanter habent.

XV. Editiones omnes H. Stephani, Viri doctiſſimi, & Grammatici ſummi, non tam elegantiſſimae ſunt, quam accentus in ſecunda littera ſemper notant; & eiuſdem Home-

merus ſplendide & magnificenter excuſus in primis. Idem de Turnebi, & Frobenii editionibus dicendum: idem de Commelinianis, de Plantinianis, de Elzevirianis, de Regiis Lutetiae Pariſiorum, quae quidem incluta ſpecimina uſque ad XVIII. ſaeculum, uſum optimum a me uſurpatum, & intentionem meam, mirabiliter probant. Quod autem vertens ſaeculum attinet, quinque tantum exemplis contentus fuero, Ant. Mar. Salvinii *ſcilicet, qui & ſi minus ratione niteretur, omnes tamen alios ſola auctoritate frangeret;* Angeli Quirini, *Viri doctrina & dignitate Eminentiſſimi, & S. R. E. Bibliothecarii, qui Sancti Benedicti Vitam Latine & Graece edidit;* Bern. Montisfalconii, *qui quum Graece peritiſſimus ſit, etiam Graecae Orthographiae praecepta, & obſervationes, in ſua Graeca Palaeographia litterarum monumentis conſignavit;* Alex. Politi, *qui Euſtathii in* Homerum παρεκβολὰς *Latio donavit, & Graecas litteras in Piſana Academia profitetur; tandem* Ang. Mariae Riccii, *Cenſoris mei, qui id quod in me ſui immemor iniuria reprehendit, in editione Homiliae Andreae Cretenſis, & Fabularum Aeſopi, conſtantiſſime ſervavit; quare ab illo, ſui oblito, & altiſſimum ſoporem ſtertente, ad eumdem expergefactum iam, & ad ſe reverſum, non ad alium iudicem, aequiſſimo animo provoco. Nam*

Sic

Sic agitur cenſura, & ſic exempla parantur,
Quum iudex alios quod monet ipſe facit.

Non diffiteor tamen Codices quosdam MSS. accentus inconſtanter habere: quidam enim in medio duarum diphthongi vocalium collocant, ut,

XVI. Codex Dioſcoridis Regius perantiquus apud Montemfalconium Lib. II. Palaeographiae Graecae Cap. VII. *Item*,

XVII. Codex Bibliorum Laurentianus Plut. V. n. I.

XVIII. Codex catenae in IV. Prophetas maiores, cuius a me ſuperius pag. XXV. *mentio facta eſt. Quidam autem Codices MSS. accentus etiam in prima diphthongi littera habent, ut,*

XIX. Codex Iobi pervetuſtus Laurentianae Bibliothecae Plut. VII. *&*

XX. Codex Operum Gregorii Nazianzeni Riccardianus ſatis antiquus, licet inconſtanter.

XX*I. Codex Operum Hippocratis chartaceus pariter Riccardianus, non admodum vetuſtus. Sed quum non multum frequentia eiuſmodi exempla ſint, & uſu iam antiquorum, recentiorumque Philologorum contrario, penitus exoleverint, ſequenda nobis haudquaquam ſunt.*

Sed iam tempus ut de ſpiritibus quoque non-

nonnulla delibemus. Et eos quidem in ſecunda diphthonghi littera collocandos eſſe oſtendunt luculenter exempla ſummorum Virorum, & Typographorum celeberrimorum, Iuſtini Decadui, Aldi Manutii, H. Stephani, Plantini, Frobenii, Commelini, Elzeviriorum, Ioſ. Scaligeri, Iſ. Caſauboni, Cl. Salmaſii, Ant. Mariae Salvinii, Bern. Montisfalconii, Alex. Politi, *ipſiuſque Criminatoris noſtri, ut ſexcentos alios ſummates Sapientiae viros, qui idem ſervaverunt, ſilentio tranſiliam. Et ita praecipue habent editiones recenſitae ſub* num. XII. XIII. XIV. & XV. *Ita pariter Codices MSS. qui ſuperius ſub* num. I. II. V. VI. VII. IX. *collocati fuerunt; & egregius, ac plurimi faciendus Codex MS. Florentinus Bibliothecae D. Marci, qui continet Opera Dionyſii Areopagitae, & ſcriptus videtur IX. circiter ſaeculo; non tamen id praefert in contextu, qui minuſculis litteris exaratus eſt, ſed in ſcholiis unciali charactere elegantiſſime ſcriptis; & paſſim Codices MSS. fere omnes qui poſt Saeculum XIII exarati fuerunt, ut in MSS. voluminibus Bibliothecae Laurentianae, S. Mariae Benedictinorum, Riccardianae, & S. Marci, videre eſt: in quarum prima, teſte doctiſſimo* Montefalconio, *Codices Graeci exſtant circiter mille; in ſecunda, eodem recenſente, ad CXV. in tertia, ad LXXXV. in quarta*

ta

ta vero XXXV. Sed quoniam in veritatem tantummodo inquiro, nec contentionis funem circunducere eſt animus, ingenue fatendum eſt multos alios Codices MSS. & quidem optimae notae, ſpiritus vel in prima diphthongi littera, vel ſuper utraque, adſcriptos exhibere. Primi generis ſunt Codices, quos ſub num. III. *memoravi; Codex Evangeliſtarii Graeci Baſilianus, alius a memorato ſuperius ſub* num. IV. *apud* Montemfalconium Lib. III. Palaeograph. Graec. Cap. VI. *Codices pariter, qui ab eodem Auctore in ſpecimen ſcriptionis XII. Saeculi adferuntur* Lib. IV. Cap. VI. *Codex Bibliorum Laurentianus, quem* n. XIX. *recenſui. Item Codices Riccardiani ſub* n. XX. & XXI. *Utinam etiam Codex* λόγων ἀντιῤῥητικῶν Io. Cantacuzeni, *de quo* pag. XXVI. *ita ſe haberet, ut monerem, falſo ab* Holſtenio *hunc Codicem adverſus Palamam ſcriptum adſeri, quum contra Barlaamum & Acyndinum ſit; & me quoque falſum, dum a* Warthono, & Fabricio, *memoratum dixi; quum iis aliiſque ignotus penitus fuerit. Eodem pariter modo quoad ſpiritus ſe habent, Codices uncialibus litteris excuſi, quorum ſub* num. X. *mentionem feci. Item Codices Iſocratis, & Tabulae Cebetis qui* n. XI. & XII. *adferuntur. Secundi vero generis ſunt Codex Dioſcoridis Regius* n. XVI. *memoratus; Codex Evangeliorum Campenſis apud* Monfauc. Lib. III. Cap. VIII.

*††††† *Ca-*

Catena in IV. Prophetas maiores n. XVIII. *Codex Florentinus N. Teſtamenti Bibliothecae D. Marci, XI. ut videtur, ſaeculo exaratus. Codex Protagorae Platonis e Bibliotheca privata D. Canonici* Gab. Riccardii, *quamquam inconſtanter. Sciendum enim eſt in antiquis* Codicibus *MS. Graecis orthographiam ſaepe eſſe inconſtantem, vel quoad accentus, vel quoad ſpiritus, ſuper diphthongo collocandos; & exempla praebent Codex Colbertinus ſaeculi, ut aeſtimatur), VIII. apud* Montemfalconium Lib. III. Palaeographiae Cap. V. *Codex Evangeliſtarii ſub* num. IV. *Codex Operum Gregorii Nazianzeni ſub* num. V. *Specimina ſaeculi X. quae laudatus* Monsfalconius Lib. IV. Cap. III. *profert. Codex Operum Gregorii Nazianzeni Riccardianus ſub* num. XX.

Quum igitur res ita ſe habeat, & non multi ſint Codices MSS. in quibus ſpiritus ſecundam diphthongi vocalem antecedat; plerique autem habeant ſuper utraque; quidam etiam inconſtanti orthographia quoad hoc ſcripti ſint; reliqui autem fere omnes ſpiritus in ſecunda perpetuo conſtanterque habeant: atque id uſu iam invaluerit, in optimis, caſtigatiſſimis, & celebratiſſmis, editionibus a Viris longe doctiſſimis recenſitis; quis non videat, quam iniuſte ob hoc ipſum me meus Antagoniſtes calumnietur, qui ſui prorſus immemor, ut videtur,

—le-

——lethaei ad fluminis undas
Securos latices, & longa oblivia potat?

Atque haec in preſentiarum ſufficiant, dum multa alia adverſus noſtrum Cenſorem in tempore olim proferenda, & obſervanda, ſilentio tranſilio, quibus magis atque magis ea omnia, quae a me huc uſque diſputata ſunt, ſatis ſuperque confirmabuntur; ratus ex hiſce etiam, quae modo commentatus ſum, illum Ovidii *monitum verum, & memoriter retinendum, tandem ab eo intellectum iri:*

Corrigere at res eſt tanto magis ardua, quanto
Maior Ariſtarcho magnus Homerus erat.

Interim ad meum Ἀντίπαλον *haec ex* Auguſtini *ad Paſcentium Epiſtola, dirigo*: Da veniam, ſiquid liberius dixi, non ad contumeliam tuam, ſed ad defenſionem meam. Praeſumſi enim de gravitate & prudentia tua, quia poteſt conſiderare, quantam mihi reſpondendi neceſſitatem impoſueris: aut ſi hoc non recte feci, & huic da veniam. *Amicos autem & benevolos meos ita cum* Hieronymo, Epiſt. ad Domnion. & Rogatianum, *laetus & intrepidus adloquor*: Itaque licet hydra ſibilet, victorque Sinon incendia iactet: numquam meum iuvante Chriſto ſilebit eloquium: etiam praeciſa lingua balbutiet. Legant, qui volunt; qui no-

lunt, abiiciant; eventilent apices, litteras calumnientur: magis veſtra caritate provocabor ad ſtudium, quam illorum detractione, & odio, deterrebor. *Tandem omnes monituro ita cum* Plauto *in* Poenulo *proteſtari lubet*:

Viam qui neſcit qua deveniat ad mare,
Eum oportet amnem quaerere comitem ſibi.
Ego male loquendi vobis neſcivi viam.
Nunc vos mihi amnes eſtis, vos certum eſt ſequi.
Si bene dicetis, voſtra ripa vos ſequar.
Si male dicetis, voſtro gradiar limite.

CA-

CATALOGUS EORUM

Qui poſt primi Voluminis editionem ſocietatem nobiſcum inierunt.

ARRETII.

Lambardi. Illuſtriſs. D. Alexander Eques D. Stephani.

AVENIONE.

Illuſtriſs. Dom. Marchio de Caumont.

BRIXIAE.

Cappello. Illuſtriſs. Dom. Marcus.

CARPENTORATI.

Illuſtriſs. Dom. Bimard de la Baſtie.

CORTONAE.

Vagnucci Illuſtriſs. Dom. Nicolaus.

DIVIONE.

Illuſtriſs. Dom. Praeſes Bouhier.

EMPORII.

Pandolfini. Perilluſtris Dom. Ioannes Franciſcus.

FLORENTIAE

Attavanti. Illuſtriſs. Dom. Pandulphus.
Del Corona. Reverendiſs. Dom. Nicolaus Protonot. Apoſtol.
Gherardi Piccolomineus ab Aragonia. Illuſtriſs. Dom. Rupertus.
Landi. Adm. Rev. D. Ioſeph.
Mercantelli. Perilluſtris Dominus Caietanus.
Marchi. Perilluſtris Dom. Caietanus
Migliorucci Illuſtriſs. D. Comes Andreas Melior Eques D. Stephani.

Orlandi. Perilluſtris Dom. Caſimirus.
Petrini. Admod. Rev. Dom. Ferdinandus S. Theol. Doctor, & in Seminario Flor. Theol. Mor. Lector.
Rimbotti. Illuſtriſs. Dom. Andreas Eques D. Stephani.
Zannoni. Perilluſtris Dom. Ioannes Baptiſta.

GENVAE.

Adm. Rev. P. Benedictus Maria a S. Andrea Carmelita Diſcalc.

LVTETIAE PARISIORVM.

De Saint Aubin. Illuſtriſs. & Reverendiſs. Dom. Michael, Sorbonicus ſocius, & Sorbonicae Bibliothecae Praefectus.

MONTE POLITIANO.

Benci. Illuſtriſs. Dom. Franciſcus.

ROMAE.

Torelli. Illuſtriſs. D. Coſmas Emin. Cardinalis Bellugae Auditor.

SANCTO MINIATE.

Gucci. Illuſtriſs. Dom. Carolus.

SENAE.

Gauggio. Adm. Rev. Pater Petrus Andreas S. Theologiae Lector Carmelita.
Morotti. Perilluſtris Dom. Ioſeph. Maria Philoſophiae Doctor, & Publicus Arithmeticae Profeſſor.
Piccolomineus. Illuſtriſs. D. Piccolominus Eques D. Stephani.
Pandini. Adm. Rev. D. Franciſcus S. Theol. Doct.
Valleſi. Perilluſtris D. Paulus Maria S. Theol. Doctor, & in Regio Sorbonico Nobilium Collegio Latinarum Litterarum Profeſſor.

De

DE LEONE

VRBEVETANO.

LEO, patria, ut ipſe in Prooemio ait, Vrbevetanus, quod oppidum *Herbanum* a *Plinio Lib. III. Cap. V.* dici, ſunt qui exiſtiment; profeſſione vero Monachus, & quidem ex Dominicana familia, fuit. Quod ſi Leo in Nicolao III. S. Franciſcum, Patrem noſtrum adpellat, id facere videtur ob amicitiam arctiſſimam, qua Dominicanus, & Franciſcanus, Ordines inter ſe foederati ſunt, ut quaſi unus & idem ordo ab eis cenſeantur: quare in Kalendario Dominicano Hiſpanienſi Pridie Non. Octobr. legitur: *S. Pater Noſter Franciſcus*. Hic ſub XIV. saeculi initium floruiſſe videtur, quum Chronicon Pontificum uſque ad Clementem V, qui anno MCCCXIV naturae conceſſit, tantum deducat; Imperatorum autem

Chronicon (nam duo haec Chronica ſcripſit Leo noſter) uſque ad Henricum Luxemburgenſem, qui anno MCCCVIII. Imperator renunciatus eſt, protrahat. Cupido huiuſmodi Chronica contexendi Praedicatores Monachos inceſſiſſe ea aetate videtur. Nam quum *Martinus* Polonus, qui anno MCCLXXVIII. diem obiit, exemplum primus ſuo Chronico concinnato praebuiſſet: protinus & *Ptolemaeus* Lucenſis, qui anno MCCCIII. claruiſſe deprehenditur, & Leo Vrbevetanus, & *Bernardus Guido*, qui anno MCCCXXXI occubuit, illius veſtigiis inſiſtentes, Chronica ſimilia compoſuerunt. Leo noſter, ut ipſe teſtatur in Prooemio, Martini Chronica κατὰ πόδα ſequutus eſt, niſi quod ea in Epitomen contraxit, brevioraque edidit diverſis abſciſſis; & quaedam interdum de ſuo, vel ex aliis Scriptoribus compilata, idemtidem inſeruit. Eius ſtilus illius aevi barbariem redolet; hiſtoria, ignorantiam. His tamen non obſtantibus haec Chronica publici iuris facere animum haud difficulter induxi, quod de aliis plane ſimilibus idem factum a Viris doctiſſimis viderim: quaedam enim idemtidem in eis occurrunt, unde aut hiſtoria temporum augeri, aut certe illi lux nova foenerari facile poſſit. Quid, quod *Martinus* nonniſi ad Nicolaum III.

ſuam

ſuam hiſtoriam perduxit; & in LEONE noſtro uſque ad Clementem V. eam continuatam habemus? Idem de Imperatorum Chronico dici poteſt. Inſuper, quum Scriptor hic adeo ignotus latitaret, ut a nemine illum memoratum invenerim, & ne ab *Echardo* quidem, qui Dominicanam Bibliothecam ſcripſit diligentiſſime; optime me de Dominicano Ordine meriturum arbitratus ſum, ſi religioſiſſimam, & doctiſſimam, familiam novo hoc Scriptore donaviſſem. Quin, quum diu eſſet quod animo verſarem ineditas quasdam Romanorum Pontificum Epiſtolas in lucem proferre, & eruditiſſimorum Virorum *Cherubinii*, *Baluzii*, aliorumque, Collectiones quodammodo auctum, & illuſtratum ire; varia ulterius Imperatorum Edicta, & Diplomata in tenebris ſepulta, & hactenus univerſis incognita, quibus Collectanea, & Corpora, ut inſcribunt, Diplomatica, magis in dies abſoluerentur, eruere; viam aliam rationemque ea edendi commodiorem a me iniri haud poſſe exiſtimavi, quam ſi Epiſtolas, & Diplomata quaelibet, Principis, ſui auctoris, Vitae ſubiicerem, quam quidem methodum obviam atque facillimam LEONIS Vrbevetani Chronica obferunt. Sed quia Chronica haec nonniſi ad ſaeculi XIV. initia deſcendunt, ut poſteriorum etiam Ponti-

ficum

ficum & Imperatorum Bullae & Privilegia eadem ratione edi poſſent, Pontificiam & Auguſtam hiſtoriam uſque ad ſaeculi XVI. initium producere lubuit, conquiſitis in hunc finem variis variorum Auctorum Opuſculis, quibus Pontificum Caeſarumque res geſtae deſcribuntur & illuſtrantur, iiſque pariter ineditis, variaque eiusdem generis monumenta adſuendo luculenter explicatis, & auctis. Ceterum Epiſtolas Pontificias, & alia antiqua monumenta, quibus hoc Leonis Chronicon Pontificum exornavi, & quarum pleraque, ſi minus omnia, ἀνέκδοτα eſſe inficiabitur nemo, humanitati, et liberalitati, doctiſſimi & reverendiſſimi Viri, *Fulgentii Nardii*, Abbatis Vallumbroſani Coenobii S. Trinitatis Florentini, cuius quidem ſaepius honeſtam pro merito mentionem alibi feci, fere omnia me debere ingenue profiteor: ille enim incredibili labore, & vigili ſedulitate, omnia prope ſui Ordinis ſcrutatus Archiva, & opes illas aut ignotas aut neglectas laudabiliter populatus, in ingentia ac multa volumina ſua manu transſcripſit; unde haec omnia in meum uſum ſeligere licuit. Quamquam autem pleraque Vallumbroſani Ordinis negocia reſpiciunt, tamen mirum quantum quicumque ingenio ac diligentia pollet ex eis utilitatis ad Eccleſiaſticam

pro-

profanamque hiſtoriam locupletandam illuſtrandamque percipere poſſit, & barbari aevi mores, ritus, diſciplinam, iudicia, atque iura ipſa, deprehendere. Quid ipſe in hac editione praeſtiterim, facile eſt animadvertere: multa quidem illuſtravi; multa caſtigavi; ſed multa etiam intacta reliqui: tum; quia nimis eſſet operoſum barbaros Scriptores huiuſmodi perpetuo caſtigare, & ad ſinceram hiſtoriae fidem & normam exigere: tum quia iam res Pontificum geſtae a tot Viris doctiſſimis in clariſſima luce collocatae ſunt, ut verendum non ſit nequis ab huiuſmodi minus diligentibus, minusque cultis, Hiſtoricis, ſeduci ſe decipique patiatur. Indictum tantum heic nolim, me in Chronologica Pontificum ſerie, anniſque digerendis, *H. Graveſonii* in primis veſtigia ſectatum, quaedam vero etiam ex aliis Chronologis, ſed parce hauſiſſe. Eam ſeriem vero praemiſiſſe, ne annos a LEONE noſtro notatos in Operis decurſu tractim, ubi opus eſſet, emendare compellerer. Adnotavi quidem interdum varias de aetate ſententias, & ex *Anaſtaſio*, & *Platina*, praecipue: ſed non tamen omnes variantes numerorum in *Anaſtaſio* lectiones produxi quas facile quis in caſtigatiſſima veteris Pontificalis editione, a doctiſſimo *Vignolio* procurata, offendere queat. Pauca quaedam nunc animadvertenda ſunt,

quae

quae a me in Scholiis adfirmata, luculentiori declaratione opus habent. Et primum *Pag.* 22. aio ante Gelaſium I. nullam Cardinalium mentionem occurrere; nam Acta Concilii Romani ſub Silveſtro, in quibus Cardinalium mentio habetur, tamquam genuina cum doctiſſimo *Tillemontio Tom. VI. in Concil. Nicaen. Art. XX.* non admitto. *Pag.* 28. *Io. Diaconus* in *Deſcriptione Eccleſiae Lateranenſis*, quam *Mabillonius* edidit in *Appendice ad Ordinem Romanum*, §. *VIII.* quaedam habet de ſeptem Epiſcopis hebdomadariis ſcitu digna, & huc facientia. *Pag.* 40. D. Marcus minus proprie, & lato modo Apoſtolus adpellatur. *Pag.* 62. De Fabuloſa XI. millium Virginum hiſtoria conſulendus etiam *Dan. Papebrochius Conat. Chron. Hiſtor. Diſſert. V. Pag.* 65. Vbi de corporis S. Stephani Papae translatione Piſas agitur, conſideranda *Papebrochii* de hoc admiratio, quae habetur in *Conatu Chronico Hiſtorico*. *Pag.* 82. Martyrium S. Felicis II. parum veriſimile oſtendit *Papebrochius* Opere laudato *Diſſert. X. Pag.* 115. Vſum Indulgentiarum, qualis nunc eſt, Vrbani II. aetate antiquiorem non eſſe, oſtendere conatur *Papebrochius* Opere ſaepius citato *Diſſert. VIII. & XVII.* Sed etiam ex IIX. ſaeculo repeti poſſe, ſatis probat exemplum a *Mabillonio* adlatum in *Itinere*

Ita-

Italico, ex vetuſto *Sacramentario Romano.* *Pag.* 148. Danos a Scriptoribus barbari aevi Dacos adpellatos fuiſſe, non tantum ex Leone noſtro conſtat, ſed etiam ex Epiſtola *Innocentii III.* inter eas, quae a *Baluzio* collectae ſunt. *Pag.* 245. Pro vera tamen cenſura accipienda videtur illa excommunicatio, quam in quasdam Sanctimoniales intentaviſſe D. Benedictum narrat *D. Gregorius in Vita Cap. XXIII.* quum eas illa ſecundum obitum fidelium communione privaverit, ut ipſe refert: niſi illa viſio divinitus oſtenſa eſt, ad D. Benedicti ſanctitatem, & auctoritatem, tantum commendandam. Nam in mentem revocanda quae *pag.* 240. obſervaveram, & quae confirmantur a *Vaneſpenio part.* I. *Iur. Eccleſ. Tit. XXXI. Cap. III. num.* 24., *&c.* Quae autem dixi de Monacho qui Theodoſium Imperatorem excommunicavit, illuſtrari poſſunt iis, quae diſputat laudatus *Vaneſpenius Part III. Tit. XI. Cap. III.* Et obſervandum quoque eſt, me non ſatis expli caſſe *pag.* 245. ubi dixi olim poenas quasdam vocatas fuiſſe excommunicationes, alio ſenſu, quam nunc cenſuras intelligimus, dicendum enim fuerat, *etiam poenas quasdam*, &c. ne vera excommunicatio quodammodo ab antiquo uſu excludi videretur. Ceterum quod dixi de excommunicatione a privatis

vatis, laicisve hominibus inrogata, illuſtrari poteſt veteri inſcriptione apud *Reineſium Claſs. XX. num. CCXC.* ubi anathema dicitur ſepulcrum violanti; nam moris erat huiuſmodi hominibus diras quasdam imprecari, ut ex inſcriptione CCCCXL. & CCCCXLI. ibidem elucet. *Pag.* 276. In ſubſcriptione Innocentii IV. Paulus Apoſtolus Apoſtolorum principi Petro praefertur, quod non mirum: nam ſi *Baronio* credimus ad annum 213. *n.* 6. *&* 325. *n.* 52. in ſacris, & Eccleſiaſticis rebus ſiniſtra olim prae dextera parte tum in Oriente, tum in Occidente praecelluit. Quod tamen minime compertum fuiſſe videtur *Petro Damiani*, qui in *Tractatu de Picturis Apoſtolorum Petri, & Pauli*, diſceptans quorſum depingi ſoleret Petrus ad ſiniſtram, & Paulus ad dexteram, ſolicite Pauli ſupra Petrum praerogativas excogitat. Heic opportune monendum *pag.* 219. *&* 253. illa S. P. A. S. P. A. corrigenda eſſe, uno A in E converſo. Superius ad *p.* LIV. animadvertendum eſt adeo verum eſſe ἐπίνειον, quod in Aeſopo Piraeeus ad Strabonis Lib. IX. imitationem dicitur, non eſſe *Navale* Latinorum, neque noſtrum *Arſenale*, ut ab eodem Geographo, *Pauſania*, *&* *Euſtathio*, Cherroneſus quoque, Cretae urbs, ac deinde Epiſcopi ſedes, Licti ἐπίνειον vocetur. Quod

autem

autem diximus cum *Bayſio*, & *H. Stephano* *Arſenale* proprie eſſe quod Graeci νεώριον adpellant, diſerte docet Etymologicon in νεώσοικοι. Verba ſunt: Νεώσοικοι, καταγώγιά εἰσιν ἐπὶ θαλάσσης οἰκοδομούμενα πρὸς ὑποδοχὴν τῶν νεῶν. νεώρια δὲ ἡ τῶν ὅρων περιβολή. Hoc eſt, Νεώσοικοι *ſunt* καταγώγια *iuxta mare aedificata ad ſubductas naves recipiendas*. νεώρια *vero ipſa horum terminorum complexio*. Nam νεώσοικοι ſunt diſtincta navium tecta, capacia ſingula triremis unius, uniusque biremis, & fabrorum navalium, qui eas commode vel ἐκ δρυόχων aedificent, vel conquaſſatas reficiant, ut praeclariter docet eruditiſſimus *Bayſius De re navali*; Navale vero, aut *Arſenale*, dicitur ambitus harum manſionum, quodque eas circumdat ſeptum, atque univerſa complexio. Id a *Suida* confirmatur loco inferius adducendo, qui coniungendus cum ſequenti eiusdem auctoris: Νεώσοικοι, οἰκήματα παρὰ τῇ θαλάσσῃ οἰκοδομούμενα εἰς ὑποδοχὴν νεῶν, ὅτε μὴ θαλαττεύοιεν. Νεώσοικοι, *aedificia iuxta mare exſtructa, ad naves ſuſcipiendas, quum in mari non verſantur*. Ναυσταθμὸς vero, vel ναύσταθμον, eſſe quod nos *Molo*, aut *Darſena*, ſive etiam *Baia*, adpellamus, exſiſtit ex *Iulio Polluce Lib. I. Onom. Cap. IX. ſect.* 104. ubi ναύσταθμον a νεωρίοις aperte diſtinguitur: στήσασθαι ἐπὶ τοῦ αἰ-

για-

γιαλȣ̃, ςήσασθαι ἐπὶ τȣ̃ ναυςάθμȣ, ἐν τοῖς νεωρείοις, ἐν τοῖς νεωσοίκοις. *Ad littus ſtatuere, ad portum deducere, in navali, in portibus*, habet Interpres Latinus, & in ora libri, illo νεωρείοις indicato, *Arſenale* ſcripſerat ὁ πάνυ *Salvinius*. Patet etiam ex *Suida* qui ναύςαθμον explicat τὸν λιμένα, hoc eſt *portum*, quod & Lexicographorum doctiſſimus *Heſychius* confirmat. Quamquam autem idem *Suidas* in νεώρια videtur haec cum ναυςάθμῳ confundere, tamen paulo poſt quodammodo ſe corrigit, & ναυςάθμȣ a νεωρίοις diſtinctionem mirabiliter inſinuat. Μήποτε, ait, νεώρια λέγεται ὁ τόπος ἅπας εἰς ὃν ἀνέλκονται αἱ τριήρεις, καὶ πάλιν ἐξ αὐτȣ̃ καθέλκονται, ὡς ὑποσημαίνȣσι Λύκουργος, καὶ Α'νδοκίδης. *Sed vide ne forte νεώρια dicatur totus ille locus, in quem triremes ſubducuntur, & ex quo rurſus deducuntur, ut ſubindicant Lycurgus & Andocides*. Quod quidem verum eſſe ea, quae ſupra ex *Etymologico & Polluce* protulimus, evidenter oſtendunt; acceditque *Harpocrationis* auctoritas, cuius verba *Suidas* transſcripſit. Sed quo maxime haec omnia adſtruuntur, eſt inſignis *Strabonis* locus *Lib. XIII.* ubi de ναυςάθμῳ verba facit, ſicuti vocatus eſt Portus Troianus iuxta Sigaeum, eo quod Graeci navibus in eum adpuliſſent, &c.

FINIS.

CHRONOLOGICA ROMANORVM PONTIFICVM SERIES

Cum Ordine Succeſſionis, Tempore Pontificatus, & Anno Chriſti quo ſedere cœperunt.

SAECVLVM PRIMVM.

Ord. Succ.		*An. Chr.*
1	Petrus ann. -- menſ. -- d. --	54
2	Linus ann. 1. menſ. -- d. --	66
3	Clemens I. ann. 9. menſ. 11. d. 6.	67
4	Cletus ann. 6. menſ. 10. d. 3.	76
5	Anacletus ann. 12. menſ. 10. d. 3.	83
6	Evariſtus ann. 12. menſ. -- d. 2.	95

SAECVLVM SECVNDVM.

7	Alexander I. an. 8. m. 25. d. --	108
8	Xyſtus I. ann. 9. menſ. 10. d. 3.	116
9	Teleſphorus ann. 11. menſ. 9. d. --	126
10	Hyginus ann. 4. menſ. -- d. 28.	137
11	Pius I. ann. 10. menſ. 4. d. 3.	141
12	Anicetus an. 10. menſ. -- d. --	151
13	Soter ann. 9. menſ. -- d. --	161
14	Eleutherius an. 15. menſ. d. 23.	170
15	Victor I. ann. 12. menſ. 1. d. 16.	185

SAECVLVM TERTIVM.

Ord. Succ.		An. Chr.
16	Zephyrinus an. 19. menſ. 11. d. 5.	197
17	Calliſtus I. ann. 5. m. 2. d. 10.	217
18	Vrbanus I. ann. 7. m. -- d. --	222
19	Pontianus ann. 5. m. 3. d. 7.	230
20	Anterus ann. -- m. 1. d. 13.	235
21	Fabianus ann. 14. m. -- d. 10.	236
22	Cornelius an. 1. m. 3. d. 10.	251
23	Lucius I. ann. -- m. 5. d. 10.	252
24	Stephanus I. an. 4. m. 2. d. 20.	252
25	Xyſtus II. an. -- m. 11. d. 6.	257
26	Dionyſius an. 10. m. 5. d. 4.	259
27	Felix I. an. 4. m. 11. d. 25.	269
28	Eutychianus ann. 8. m. 11. d. 3.	275
29	Caius an. 12. m. 4. d. 7.	283
30	Marcellinus an. 8. m. 3. d. 25.	296

SAECVLVM QVARTVM.

31	Marcellus I. ann. 3. m. 3. d. 25.	308
32	Euſebius an. -- m. 4. d. 16.	310
33	Melchiades an. 3. m. 6. d. 9.	310
34	Silveſter I. ann. 21. m. 11. d. --	314
35	Marcus ann. -- m. 8. d. 20.	336
36	Iulius I. ann. 15. m. 2. d. 6.	337
37	Liberius an. 14. m. 3. d. 3.	352
38	Felix II. an. 1. m. 2. d. 7.	366
39	Damaſus I. an. 18. m. 2. d. 10.	366
40	Siricius ann. 13. m. 11. d. 5.	384
41	Anaſtaſius I. an. 3. m. -- d. 10.	398

SAECVLVM QVINTVM.

Ord. Succ.		An. Chr.
42	Innocentius I. an. 15. m. 2. d. 20.	401
43	Zoſimus an. 1. m. 9. d. --	417
44	Bonifacius I. an. 3. m. 8. d. 6.	418
45	Caeleſtinus I. an. 9. m. 10. d. 9.	422
46	Xyſtus III. an. 7. m. 11. d. 2.	432
47	Leo I. Magnus an. 21. m. 1. d. 13.	440
48	Hilarius an. 6. m. 3. d. 10.	461
49	Simplicius an. 15. m. -- d. 6.	468
50	Felix III. an. 8. m. 11. d. 18.	483
51	Gelaſius I. an. 4. m. 8. d. 18.	492
52	Anaſtaſius II. an. 1. m. 11. d. 24.	496
53	Symmachus an. 15. m. 7. d. 27.	498

SAECVLVM SEXTVM.

54	Hormisdas an. 9. m. -- d. 11.	514
55	Joannes I. an. 2. m. 9. d. 6.	523
56	Felix IV. an. 4. m. 2. d. 6.	526
57	Bonifacius II. an. 2. m. -- d. 26.	530
58	Ioannes II. ann. 2. menſ. 4. d. 26.	532
59	Agapetus I. an. -- m. 10. d. 19.	535
60	Silverius ann. 3. m. -- d. --	536
61	Vigilius ann. 15. m. 6. d. 10.	538
62	Pelagius I. an. 4. m. 10. d. 18.	555
63	Ioannes III. ann. 12. m. 11. d. 26.	560
64	Benedictus I. an. 4. m. 1. d. 28.	574
65	Pelagius II. ann. 11. m. 2. d. 10.	578
66	Gregorius I. Magnus an. 13. m. 6. d. 10.	590

SAECVLVM SEPTIMVM.

67	Sabinianus an. 1. m. 5. d. 9.	604
68	Bonifacius III. an. -- m. 8. d. 23.	606

Ord. Suec.		An. Chr.
69	Bonifacius IV. an. 6. m. 8. d. 13.	608
70	Deusdedit an. 3. m. -- d. 20.	615
71	Bonifacius V. an. 5. m. 10. d. --	618
72	Honorius I. an. 12. m. 11. d. 16.	625
73	Severinus an. -- m. 2. d. 4.	640
74	Ioannes IV. an. 1. m. 9. d. 18.	640
75	Theodorus I. an. 6. m. 5. d. 19.	642
76	Martinus I. an. 6. m. 1. d. 21.	649
77	Eugenius I. an. 2. m. 8. d. 24.	654
78	Vitalianus an. 14. m. 5. d. 27.	657
79	Adeodatus an. 4. m. 6. d. 5.	672
80	Donus I. ann. 1. m. 5. d. 10.	676
81	Agatho an. 3. m. 6. d. 15.	678
82	Leo II. an. -- m. 10. d. 17.	682
83	Benedictus II. an. -- m. 11. d. 22.	684
84	Ioannes V. an. 1. m. -- d. 10.	685
85	Conon an. -- m. 11. d. 3.	686
86	Sergius I. an. 13. m. 8. d. 23.	687

SAECVLVM OCTAVVM.

87	Ioannes VI. ann. 3. m. 2. d. 12.	701
88	Ioannes VII. ann. 2. menſ. 7. d. 17.	705
89	Siſinius an. -- m. -- d. 20.	708
90	Conſtantinus an. 7. m. -- d. 15.	708
91	Gregorius II. an. 15. m. 8. d. 23.	715
92	Gregorius III. an. 10. m. 8. d. 10.	731
93	Zacharias an. 10. m. 3. d. 14.	741
94	Stephanus II. an. -- m. -- d. 3.	752
95	Stephanus II. ann. 5. m. -- d. 29.	752
96	Paulus I. an. 10. m. 1. d. --	757
97	Stephanus IV. an. 3. m. 5. d. 27.	768
98	Adrianus I. an. 23. m. 10. d. 18.	772
99	Leo III. ann. 20. m. 5. d. 17.	795

SAECVLVM NONVM.

Ord. Succ.		Ann. Chr.
100	Stephanus V. an. -- m. 7. d. --	816
101	Paſchalis I. an. 7. m. -- d. 17.	817
102	Eugenius II. an. 3. m. -- d. --	824
103	Valentinus an. -- m. 1. d. 10.	827
104	Gregorius IV. an. 16. m. -- d. --	827
105	Sergius II. ann. 3. m. -- d. --	844
106	Leo IV. an. 8. m. 3. d. 6.	847
107	Benedictus III. an. 2. m. 6. d. 10.	855
108	Nicolaus I. Magnus an. 9. m. 6. d. 20.	858
109	Adrianus II. an. 5. m. -- d. --.	867
110	Ioannes VIII. an. 10. m. -- d. 2.	872
111	Martinus II. an. 1. m. 5. d. --	882
112	Adrianus III. an. 1. m. 4. d. --	884
113	Stephanus VI. an. 6. m. -- d. 9.	885
114	Formoſus an. 4. m. 7. d. 10.	891
115	Bonifacius VI. an. -- m. -- d. 15.	897
116	Stephanus VII. an. 1. m. 1. d. --	897
117	Romanus an. -- m. 4. d. --	898
118	Theodorus II. an. -- m. -- d. 20.	898
119	Ioannes IX. an. 2. m. -- d. 15.	898

SAECVLVM DECIMVM.

120	Benedictus IV. an. 3. m. 2. d. --	900
121	Leo V. an. -- m. 1. d. 26.	903
122	Chriſtophorus Schiſmat. an. - m. 8. d. -	903
123	Sergius III. an. 7. m. 3. d. --	903
124	Anaſtaſius III. an. 2. m. 2. d. --	910
125	Lando an. -- m. 6. d. 10.	913
126	Ioannes X. an. 14. m. 2. d. 15.	914
127	Leo VI. an. -- m. 7. d. 5.	929
128	Stephanus VIII. ann. 2. m. 1. d. 12.	929

Ioan-

Ord. Succ.		An. Chr.
129	Ioannes XI. an. 4. m. 10. d. 15.	931
130	Leo VII. ann. 3. m. 6. d. 10.	936
131	Stephanus IX. an. 3. m. 4. d. 15.	939
132	Martinus III. an. 3. m. 6. d. 13.	942
133	Agapetus II. an. 10. m. 7. d. 10.	946
134	Ioannes XII. an. 7. m. -- d. --	956
135	Benedictus V. an. -- m. 6. d. 5.	964
136	Leo VIII. Schiſmaticus an.--m.19.d.--	964
137	Ioannes XIII. an. 6. m. 11. d. 5.	965
138	Benedictus VI. an. 1. m. 2. d. --	972
139	Donus II. ann. -- m. 3. d. --	972
140	Bonifacius VII. an. -- m. 7. d. 15.	974
141	Benedictus VII. an. 9. m. 1. d. 10.	975
142	Ioannes XIV. an. -- menſ. 8. d. --	984
143	Ioannes XV. an. 10. menſ. 4. d. 12.	985
144	Ioannes XVI. an. - m. 4. d. -	996
145	Gregorius V. an. 3. m. 8. d. -	996
146	Ioannes XVII. Schiſmat. an.-m.10. d.-	997
147	Silveſter II. an. 4. m. 1. d. 9.	999

SAECVLVM VNDECIMVM.

148	Ioannes XVIII. an. - m. 5. d. -	1003
149	Ioannes XIX. an. 5. m. 7. d. 28.	1003
150	Sergius IV. an. 2. m. 8. d. 13.	1009
151	Benedictus VIII. an. 12. m. - d. -	1012
152	Ioannes XX. ann. 9. m. -- d. 9.	1024
153	Benedictus IX. an. 11. m. -- d. --	1033
154	Silveſter III. Schiſmat. an.-m.1.d.19.	1044
155	Gregorius VI. Schiſmat. an.1.m.6.d.-	1044
156	Clemens II. an. -- m. 9. d. 15.	1046
157	Damaſus II. an. -- m. -- d. 23.	1048
158	Leo IX. an. 5. m. 2. d. 7.	1049
159	Victor II. an. 2. m. 3. d. 15.	1055

Ste-

Ord.Succ.		*Ann.Chr.*
160	Stephanus X. an. -- m. 7. d. 8.	1057
161	Benedictus X. Schiſm. an.--m.9.d.20.	1058
162	Nicolaus II. an. 2. m. 6. d. 25.	1058
163	Alexander II. an. 10. m. 6. d. 22.	1061
164	Gregorius VII. an. 10. m. 1. d. 3.	1073
165	Victor III. ann. 1. m. 3. d. 24.	1086
166	Vrbanus II. an. 11. m. 4. d. 18.	1088
167	Paſchalis II. an. 18. m. 5. d. 7.	1099

SAECVLVM DVODECIMVM.

168	Gelaſius II. an. 1. m. -- d. 4.	1118
169	Calliſtus II. an. 5. m. 10. d. 12.	1119
170	Honorius II. an. 5. m. 1. d. 17.	1124
171	Innocentius II. an. 13. m. 7. d. 10.	1130
172	Caeleſtinus II. an. -- m. 5. d. 13.	1143
173	Lucius II. an. -- m. 11. d. 14.	1144
174	Eugenius III. an. 8. m. 4. d.10.	1145
175	Anaſtaſius IV. an. 1. m. 4. d. 29.	1153
176	Adrianus IV. an. 4. m. 8. d. 29.	1154
177	Alexander III. an. 21. m. 11. d. 10.	1159
178	Lucius III. an. 4. m.2. d. 18.	1181
179	Vrbanus III. an. 1. m. 10. d.25.	1185
180	Gregorius VIII. an. - m. 1. d.27.	1187
181	Clemens III. an. 3. m. 3. d. 15.	1187
182	Caeleſtinus III. an. 6. m. 9. d. 9.	1191
183	Innocentius III. an.18. m.6.d.9.	1198

SAECVLVM DECIMVM TERTIVM.

184	Honorius III. an. 10. m. 8. d.-	1215
185	Gregorius IX. an. 14. m. 5. d. 3.	1227
186	Caeleſtinus IV. an. - m. - d. 17.	1241
187	Innocentius IV. an. 9. m. 5. d. 14.	1243

Ord. Succ.		*An. Chr.*
188	Alexander IV. an. 6. m. 5. d. 4.	1255
189	Vrbanus IV. an. 3. m. 1. d. 4.	1261
190	Clemens IV. an. 3. m. 9. d. 25.	1265
191	Gregorius X. an. 14. m. 4. d. 10.	1271
192	Innocentius V. ann. -- m. 5. d. 5.	1276
193	Adrianus V. an. -- menſ. 1. d. 9.	1276
194	Vicedominus dictus Gregorius XI. vixit aliquot horas.	1276
195	Ioannes XXI. an. -- m. 8. d. 8.	1276
196	Nicolaus III. ann. 2. m. 8. d. 27.	1277
107	Martinus IV. ann. 4. m. 1. d. 7.	1281
198	Honorius IV. ann. 2. m. -- d. 1.	1285
199	Nicolaus IV. an. 4. m. 1. d. 14.	1288
200	Caeleſtinus V. an. -- m. 5. d. 8.	1294
201	Bonifacius VIII. an. 8. m. 9. d. 18.	1294

SAECVLVM DECIMVMQVARTVM.

202	Benedictus XI. an. -- m. 8. d. 7.	1303
203	Clemens V. an. 8. m. 10. d. 16.	1305
204	Ioannes XXII. an. 18. m. 4. d. --	1316
205	Benedictus XII. an. 7. m. 4. d. 6.	1334
206	Clemens VI. an. 10. m. 7. d. --	1342
207	Innocentius VI. an. 9. m. 8. d. 20.	1352
208	Vrbanus V. ann. 8. m. 3. d. --	1362
209	Gregorius XI. an. 7. m. 2. d. 24.	1371
210	Vrbanus VI. an. 11. m. 6. d. 8.	1378
211	Bonifacius IX. an. 14 m. 11. d. --	1389

SAECVLVM DECIMVMQVINTVM.

212	Innocentius VII. an. 2. m. -- d. 22.	1404
213	Gregorius XII. an. 3. m. 7. d. 5.	1406
214	Alexander V. an. -- m. 10. d. 8.	1409
215	Ioannes XXIII. an. 5. m. -- d. 16.	1410

Mar-

Ord. Succ.		*An. Chr.*
216	Martinus V. an. 13. m. 3. d. 12.	1417
217	Eugenius IV. an. 15. m. 11. d. 21.	1431
218	Nicolaus V. an. 8. m. -- d. 19.	1447
219	Calliſtus III. an. 3. m. 3. d. 28.	1455
220	Pius II. an. 5. m. 11. d. 27.	1458
221	Paulus II. an. 6. m. 10. d. 26.	1464
222	Xiſtus IV. an. 13. m. -- d. 5.	1471
223	Innocentius VIII. an. 7. m. 10. d. 27.	1484
224	Alexander VI. an. 11. m. -- d. 8.	1492

SAECVLVM DECIMUM SEXTUM.

225	Pius III. an. -- m. -- d. 26.	1503
226	Iulius II. an. 9. m. 3. d. 21.	1503
227	Leo X. an. 8. m. 8. d. 20.	1513

SERIES CHRONOLOGICA

Schiſmatum, & Antipaparum.

1	Novatianus Romanus Presbyter.	251
2	Vrſicinus.	366
3	Eulalius.	418
4	Laurentius.	498
5	Dioſcorus Diaconus.	530
6	Petrus, & Theodorus.	686
7	Theodorus, & Paſchalis.	686
8	Theophylactus.	757
9	Conſtantinus Totonis frater Romanus.	768
10	Philippus Monachus.	768
11	Zinzinus.	824
12	Anaſtaſius.	855
13	Sergius.	892

Bo-

Ord.Succ.		*An.Chr.*
14	Bonifacius	897
15	Leo & Benedictus.	964
16	Ioannes Epiſcopus Placentinus.	997
17	Gregorius Cardinalis.	1012
18	Silveſter, & Ioannes, & Gregorius VI.	1044
19	Benedictus, qui Mincius antea vocabatur.	1059
20	Honorius, qui Cadalous antea dicebatur.	1061
21	Clemens, qui antea Guibertus.	1075
22	Albertus, & Theodoricus.	1099
23	Gregorius, antea vocatus Burdinus.	1124
24	Caeleſtinus II, antea Theobaldus.	1124
25	Anacletus II. antea Petrus Leonis Romani F.	1130
26	Victor, antea Octavianus; & Calliſtus.	1159
27	Nicolaus V, antea Petrus Corbaro Franciſcanus.	1325
28	Clemens VII. iam Robertus.	1378
29	Benedictus XIII, antea Petrus Lunenſis vocatus.	1394
30	Clemens VIII, antea Aegidius Mumon.	1424
31	Felix V, antea Amadeus Sabaudiae Dux.	1439

A L-

ALPHABETICA ROMANORUM PONTIFICUM SERIES

Cum Ordine Succeſſionis, & Anno Chriſti, quo ſedere coeperunt.

Ord. Succ.		An. Chr.
	A	
79	Adeodatus	672
98	Adrianus I.	772
109	Adrianus II.	817
112	Adrianus III.	884
176	Adrianus IV.	1154
193	Adrianus V.	1276
59	Agapetus I.	535
133	Agapetus II.	946
81	Agatho	678
7	Alexander I.	108
163	Alexander II.	1061
177	Alexander III.	1159
188	Alexander IV.	1255
214	Alexander V.	1409
224	Alexander VI.	1492
5	Anacletus.	83
41	Anaſtaſius I.	401
52	Anaſtaſius II.	496
124	Anaſtaſius III.	910
175	Anaſtaſius IV.	1153
12	Anicetus.	156
20	Anterus.	230
	B	
64	Benedictus I.	574
83	Benedictus II.	684
107	Benedictus III.	855
120	Benedictus IV.	900
135	Benedictus V.	964
139	Benedictus VI.	972
141	Benedictus VII.	975
151	Benedictus VIII.	1012
153	Benedictus IX.	1033
161	Benedictus X.	1058
202	Benedictus XI.	1303
205	Benedictus XII.	1334
44	Bonifacius I.	418
57	Bonifacius II.	530

Ord.

Ord. Succ.		An. Chr.
68	Bonifacius III.	606
69	Bonifacius IV.	608
71	Bonifacius V.	618
115	Bonifacius VI.	897
140	Bonifacius VII.	974
201	Bonifacius IIX.	1294
211	Bonifacius IX.	1389

C

Ord. Succ.		An. Chr.
29	Caius.	283
17	Calliſtus I.	217
169	Calliſtus II.	1119
219	Calliſtus III.	1455
45	Caeleſtinus I.	422
172	Caeleſtinus II.	1143
182	Caeleſtinus III.	1191
186	Caeleſtinus IV.	1241
200	Caeleſtinus V.	1294
122	Chriſtophorus.	903
3	Clemens I.	67
156	Clemens II.	1046
181	Clemens III.	1187
190	Clemens IV.	1265
203	Clemens V.	1305
206	Clemens VI.	1342
4	Cletus.	76
85	Conon.	686
90	Conſtantinus.	708
22	Cornelius.	251

D

Ord. Succ.		An. Chr.
39	Damaſus I.	367
157	Damaſus II.	1049
70	Deusdedit.	615
26	Dionyſius.	259
80	Donus I.	676
139	Donus II.	972

E

Ord. Succ.		An. Chr.
14	Eleutherius.	170
6	Evariſtus.	95
77	Eugenius I.	654
102	Eugenius II.	824
174	Eugenius III.	1145
217	Eugenius IV.	1431
32	Euſebius.	310
28	Eutychianus.	275

F

Ord. Succ.		An. Chr.
21	Fabianus.	236
27	Felix I.	269
38	Felix II.	357
50	Felix III.	483
56	Felix IV.	526
114	Formoſus.	891

Ge-

Ord. Succ.		An. Chr.

G

Ord. Succ.		An. Chr.
51	Gelaſius I.	492
168	Gelaſius II.	1118
66	Cregorius I.	590
91	Gregorius II.	715
92	Gregorius III.	731
104	Gregorius IV.	827
145	Gregorius V.	996
155	Gregorius VI.	1044
164	Gregorius VII.	1073
180	Gregorius IIX.	1187
185	Gregorius IX.	1227
191	Gregorius X.	1271
209	Gregorius XI.	1371
213	Gregorius XII.	1406

H

Ord. Succ.		An. Chr.
10	Hyginus.	137
48	Hilarius.	461
72	Honorius I.	625
170	Honorius II.	1124
184	Honorius III.	1215
198	Honorius IV.	1285
54	Hormiſdas.	514

I

Ord. Succ.		An. Chr.
42	Innocentius I.	401
171	Innocentius II.	1130
183	Innocentius III.	1198
187	Innocentius IV.	1243
192	Innocentius V.	1276
207	Innocentius VI.	1352
212	Innocent. VII.	1404
223	Innocent. VIII.	1484
55	Ioannes I.	523
58	Ioannes II.	532
63	Ioannes III.	560
74	Ioannes IV.	640
84	Ioannes V.	685
87	Ioannes VI.	701
88	Ioannes VII.	705
110	Ioannes VIII.	872
119	Ioannes IX.	898
126	Ioannes X.	914
129	Ioannes XI.	931
134	Ioannes XII.	956.
137	Ioannes XIII.	965
142	Ioannes XIV.	984
143	Ioannes XV.	985
144	Ioannes XVI.	997
146	Ioannes XVII.	997.
148	Ioannes XVIII.	1003
149	Ioannes XIX.	1003
152	Ioannes XX.	1024
195	Ioannes XXI.	1276
204	Ioannes XXII.	1316
215	Ioannes XXIII.	1410
36	Iulius I.	336
226	Iulius II.	1503

L

Ord. Succ.		An. Chr.
125	Lando	913
47	Leo I.	440
82	Leo II.	682
99	Leo III.	795
106	Leo IV.	847
121	Leo V.	903
127	Leo VI.	929
130	Leo VII.	936
136	Leo VIII.	964
158	Leo IX.	1049
227	Leo X.	1513
37	Liberius.	352
2	Linus.	66
23	Lucius I.	252
173	Lucius II.	1144
178	Lucius III.	1181

M

Ord. Succ.		An. Chr.
30	Marcellinus.	296
31	Marcellus I.	308
35	Marcus	336
76	Martinus I.	649
111	Martinus II.	882
132	Martinus III.	942
197	Martinus IV.	1281
216	Martinus V.	1417
33	Melchiades.	310

N

Ord. Succ.		An. Chr.
108	Nicolaus I.	858
162	Nicolaus II.	1058
196	Nicolaus III.	1277
199	Nicolaus IV.	1288
218	Nicolaus V.	1447

P

Ord. Succ.		An. Chr.
101	Paſchalis I.	817
167	Paſchalis II.	1099
96	Paulus I.	757
221	Paulus II.	1464
62	Pelagius I.	555
65	Pelagius II.	578
1	PETRUS.	54
11	Pius I.	141
220	Pius II.	1458
225	Pius III.	1503
19	Pontianus.	230

R

Ord. Succ.		An. Chr.
117	Romanus.	897

S

Ord. Succ.		An. Chr.
67	Sabinianus.	604
86	Sergius I.	687

Ser-

Ord. Succ.		An. Chr.
105	Sergius II.	844
123	Sergius III.	908
150	Sergius IV.	1009
73	Severinus.	638
34	Silveſter I.	314
147	Silveſter II.	999
154	Silveſter III.	1044
60	Silverius.	536
53	Symmachus.	498
49	Simplicius.	468
40	Siricius.	384
89	Siſinnius.	708
13	Soter.	161
24	Stephanus I.	252
94	Stephanus II.	752
95	Stephanus III.	752
97	Stephanus IV.	768
100	Stephanus V.	816
112	Stephanus VI.	885
115	Stephanus VII.	897
128	Stephanus VIII.	929
131	Stephanus IX.	939
160	Stephanus X.	1057

T

9	Teleſphorus.	126
75	Theodorus I.	642
118	Theodorus II.	898

V

Ord. Succ.		An. Chr.
103	Valentinus.	827
194	Vicedominus dictus aliquot horis Gregorius XI.	1276
15	Victor I.	185
159	Victor II.	1055
165	Victor III.	1086
61	Vigilius.	538
78	Vitalianus.	657
18	Vrbanus I.	222
166	Vrbanus II.	1088
179	Vrbanus III.	1185
189	Vrbanus IV.	1161
208	Vrbanus V.	1362
210	Vrbanus VI.	1378

X

8	Xyſtus I.	116
25	Xyſtus II.	257
46	Xyſtus III.	432
222	Xyſtus IV.	1471

Z

93	Zacharias.	741
16	Zephyrinus.	197
43	Zoſimus.	417

LEONIS VRBEVETANI
CHRONICON.

Incipit Chronica Summorum Pontificum compilata per Fratrem Leonem Vrbeveteranum, Ordinis Fratrum Praedicatorum: & etiam ſummorum Imperatorum.

QVia Doctor ſanctae Scripturae non ſolum provectos debet inſtruere, ſed ad eum etiam pertinet incipientes erudire, ſecundum illud Apoſtoli I. *ad Corinthios* III. *Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ideo tamquam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam.* Gloſſa (1): *lac*, ideſt, *facilem*

doctrinam. *Parvulis in Chriſto*, ideſt, *cognitione Dei*. Figura ad hoc eſt in veteri Teſtamento *Geneſi* XXIV. ubi legitur quia Laban frater Rebeccae non ſolum adpoſuit panem, quo veſceretur puer Abrahae, & viri, qui venerant cum eo; ſed etiam paleas, & foenum dedit camelis eorum. Laban interpretatur *candidus*, vel *candidatio* (2), & poteſt ſignificare Praedicatorem, ſive Doctorem Eccleſiaſticum. Vnde dicitur *Eccleſiaſtici* XXXIV. *Ab immundo quis mundabitur?* Rebecca interpretatur *patientia* (3), quae coniungi habet Praedicatori, iuxta illud *Pſalmi*: *Bene patientes erant, ut adnuntient*. Per panem intellige doctrinam ſubtilem. Per puerum Abrahae, & viros cum eo, intellige provectos. Per foenum, & paleas, intellige croſſa (4) exempla, & res geſtas. Per camelos, intellige huius doctrinae novitatem, ſive novitios rudes, & minus capaces. Vnde Gloſſa: *Non ſolum puero, & comitibus eius, ſed camelis potum tribuit; quia verbum vitae non ſolum prudentibus, ſed etiam ſtultis praedicatur; ſecundum illud Apoſtoli, Ad Romanos* I. *Sapientibus, & inſipientibus debitor ſum*.

(1) Γλῶσσα tam ſonat *Linguam*, quam *Interpretationem*; quare *Quinctilianus*: *Secretioris linguae expoſitiones, Gloſſae ſunt*.

(2) לבן

(2) לבן *Albus*, *candidus*; *&* *albedo*, *candor*.

(3) Potius *ſaginata* a רבק quod eſt *ſaginare*, *pingueſcere*.

(4) *Croſſa*, pro *craſſa*, quo vocabulo utitur etiam *Bernardus De Conſideratione ad Eugenium*.

Propoſitum meae intentionis in hoc Opuſculo eſt *De temporibus*, *&* *geſtis ſummorum Pontificum*, *&* *Imperatorum*, aliqua magis utilia, & memoriae commendanda, accepta de Chronicis Fratris *Martini Poloni* (1) Ordinis Praedicatorum, necnon & aliorum Doctorum, inſerendo in eisdem quosdam viros illuſtres, ſub brevi ſtilo prout potero copulare prius praedicta humiliter, & devote, haurienda cum gaudio de fontibus Salvatoris; ac demum in Chriſto parvulis propinare. Igitur in principio Ego Frater *Leo*, natione Vrbevetanus, minimus inter Fratres Ordinis Praedicatorum, oro, & recurro ad beatam, & glorioſam Virginem Mariam matrem Filii Dei, & ad eius paranymphum (2) Apoſtolum, & Evangeliſtam, Ioannem, ut in praenominato labore mihi eorum ſervulo dignentur adſiſtere.

(1) *Martinus Polonus* ex Praedicatorum familia a Nicolao III anno MCCLXXVII Capellanus Apoſtolicus, & maior Poenitentiarius, conſtitutus eſt, & anno inſequenti Archiepiſcopus Gneſnenſis in Polonia electus; quo etiam, dum in Poloniam proficiſceretur,

tur, Bononiae naturae conceſſit. Scripſit Chronicon Pontificum & Imperatorum, quod uſque ad annum MCCLXXVII perduxit. Adeundi *Voſſius*, *Caveus*, *Echardus*, *Oudinus*, &c.

(2) Παράνυμφος proprie eſt Auſpex, & qui nuptiis celebrandis praeeſt.

Et (1) quia duplex eſt regimen, videlicet ſpirituale, & temporale: ſpirituale quidem fuit per Pontifices; temporale vero, per Imperatores. Pontificale regimen in Vrbe, & Orbe, incepit primum a Chriſto, qui fuit Pontifex praeſentium, & futurorum bonorum. Imperiale vero incepit ab Octaviano qui fuit primus Imperator Vrbis, & Orbis (2). Hi ſunt duo gladii, videlicet, ſpiritualis, & materialis, qui ſufficiunt ad regimen Eccleſiae. Vnde poſtquam dixit Petrus Apoſtolus: *Domine ecce duo gladii hic*, Chriſtus reſpondit: *Satis eſt*. Haec ſunt duo luminaria magna, quae poſuit Deus in firmamento coeli, ideſt, in univerſali Eccleſia; quae ſunt Pontificalis auctoritas, & Imperialis poteſtas. Inter quae, ſicut luminare maius eſt Sol, minus autem Luna, ſic Spiritualis poteſtas eſt maior, & Imperialis minor. Propter quod, primo agendum eſt de Pontificali, tamquam de luminari maiori, quod praeeſt diebus, ideſt ſpiritualibus, in primo volumine; poſt de Imperiali, tamquam de minori, quod prae-

eſt noctibus, ideſt temporalibus, in ſequenti volumine (3).

(1) Haec quae ſequuntur, ex *Martino Polono* deſumta, reperi etiam in duobus Codicibus MSS. Bibliothecae Riccardianae, quorum unus ſcriptus fuit a *Voglino* (nomine forte διὰ μεταθέσεως ex *Vgolino* corrupto) quodam, Clerico Emporienſi, anno MCCCLXXXI, & ſequenti; qui quidem *Voglinus* erat Cubicularius Petri Corſinii Cardinalis Florentini, Epiſcopi Portuenſis, & S. Rufinae, ſub Clemente VII, & Avenione morabatur. Alius Codex ſcriptus eſt, Saeculo XV: & in utroque Codice exſtat opus, quod *Provinciale Romanae Curiae* inſcribitur, & in quo Tituli Cardinalium recenſentur, ut factum eſt a *Martino*, & a *Leone* noſtro, & ulterius omnes Orbis Chriſtiani Epiſcopatus connumerantur. Ceterum *Voglinus* memoratus ſua ex *Martino Polono* totidem verbis, ut plurimum, transſcripſiſſe videtur.

(2) Non ab Octaviano, ſed a Iulio Caeſare.

(3) Haud eſt idem ordo, ac is, quo Chronica ſua ſcripſit *Martinus*: quandoquidem hiſtoria Pontificum & hiſtoria Imperatorum e regione poſitae in MSS. & etiam excuſis Codicibus *Martini*, inveniuntur, atque ita *Martinus* eas ſe digeſſiſſe in Prooemio teſtatur; quamquam MS. Codex Bibliothecae Laurentianae poſt abſolutam Pontificum hiſtoriam, Caeſarum res geſtas exhibet.

Quia primo Pontifici, & ſummo, ideſt, Chriſto in triumphali Eccleſia tres Hierarchiae Angelorum obſequuntur; & ad eius exemplar (1) in militanti Eccleſia

circa Vicarios ipſius tria genera Cardinalium obſequentium ipſis, ſunt inſtituta (2); de ipſis quot ſunt, & qui ſunt, & ad quid ſunt, in principio breviter eſt praemittendum.

(1) Non ad ejus exemplar, ſed quia ratio miniſterii Eccleſiaſtici expoſcit, ut quidam ſint Epiſcopi, quidam Sacerdotes, quidam vero Diaconi. Quod quidem evidens eſt iis, qui Cardinalium originem noverunt, de qua doctus *Onuphrius*, aliique eruditi. Vide quae de Cardinalium inſtitutione tradit *Leo* inferius in *Marcello* I.

(2) Cardinalis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus antiquitus dicebatur, qui alicui Eccleſiae, vel aedi ſacræ adfixus erat, & veluti incardinatus, ut *Gregorii Magni* verbo utar; ad differentiam eorum, qui erant *adventitii & ſubſidiarii*: adeoque Epiſcopus, Presbyter, Diaconus Cardinalis, erat is quem hodie diceremus Epiſcopum Ordinarium, Parochum, & Diaconum alicui Eccleſiae veluti mancipatum. Et Cardinales hujusmodi erant omnes ſive Romae, ſive in aliis orbis terrarum partibus: quare uſque ad ſaeculum XI. in Eccleſiis Gallicanis Curiones Eccleſiarum Parochialium *Presbyteros Cardinales* fuiſſe dictos oſtendit Auctor Tractatus Gallici *De Cardinalium Origine*: & in aliis quoque provinciis, elucet ex *Cap.* II. *De Officio Archipresbyteri*, quae quidem Decretalis eſt Leonis IX, qui Saeculo XI vixit. Nullum tamen hujus nominis veſtigium adparet ante *Gelaſium* I. & *Gregorium Magnum*, apud quem frequens Cardinalium mentio occurrit. Conſule *Van-eſpenium Par.* I. *Iur. Eccleſ. Tit.* XXII. Tandem hoc

no-

nomen proprium Epiſcoporum, Sacerdotum, & Diaconorum quorundam Romanorum evaſit.

Numerus ergo ipſorum primordialis eſt quinquaginta unus (1), qui in tria genera diſtinguitur. Quidam ipſorum ſunt domino Papae adſidentes, ut Epiſcopi (2): quidam adſiſtentes, ut Presbyteri (3): quidam inſiſtentes, ut Diaconi (4). Epiſcopi enim, in ſollemnitatibus ſunt domino Papae adſeſſores; unde ipſi ſoli inter alios Cardinales Cathedris utuntur. Presbyterorum vero Cardinalium quilibet ſuam ſeptimanam ſervans in miſſis, & horis adſiſtit domino Papae. Diaconi vero Cardinales inſiſtunt miniſteriis. Ipſi enim Papam induunt (5), eumdemque ſubſtentant, & deducunt, & ei circa altare deſerviunt.

(1) Numerus Cardinalium, quales nunc intelligimus, varius fuit per diverſa tempora; & uſque ad aetatem circiter Honorii II. fuere LIII. ſed ſub initium ſaeculi XII. minui coeperunt, & ad incertum numerum ſenſim delabi. Imo, ut ait *Onuphrius Libro De Epiſcopatibus, Titulis, & Diaconiis Cardinalium*, ad eam paucitatem redacti ſunt, ut non niſi VII Cardinales in vivis agerent, quando Nicolaus III anno MCCLXXVII. creatus eſt. Obſervatque ibidem poſt tempora Nicolai III rurſus coepiſſe augeri numerum Cardinalium, quos deinde numerum XXIV excedere non poſſe in Baſileenſi concilio cautum fuit. Xyſtus nihilominus IV Cardina-

lium numerum maxime ampliavit, cujus veſtigiis inſtitit etiam Alexander VI. Antiquum tamen numerum LIII non exceſſere, imo ne attigere quidem, donec Leo X uſque ad LXV eos auxit, & Paulus IV tandem uſque ad LXX, quem numerum retinendum decrevit Xyſtus V. Conſule *Onuphrium*, & *Vaneſpenium*. Erraret tamen *Leo* noſter dum ait numerum Cardinalium fuiſſe LI. nam alius ex ipſa ſubputatione reſultat; ſeptem enim erant Epiſcopi, XXVIII Presbyteri, & XVIII Diaconi; niſi *Leo* Diaconos tantum XVI cum *Martino* Polono numeraret.

(2) Mirum forte videatur ſeptem Romae exſiſtere Epiſcopos Cardinales, quum nonniſi unus Epiſcopus Cardinalis in quaque civitate eſſe poſſit. Quare antiquo ſenſu Epiſcopus Cardinalis Romae, eſt ipſe Pontifex. Sed forte poſt ſaeculum XI, & XII contigiſſe potuit, quod *Onuphrius* narrat, nimirum, Eccleſiae Lateranenſi, quae eſt ſpecialis ſedes Romani Pontificis, propter ſuam, & Romani Pontificis excellentiam, ſeptem Epiſcopos ex circumvicinis civitatibus adſignatos fuiſſe, qui ſtatis ſollemnibus diebus ſinguli coram Romano Pontifice in eadem Baſilica celebrarent divina myſteria, vel celebranti Pontifici adſiſterent, atque ob eam cauſſam poſtea Epiſcopi Cardinales, ideſt, Principales, quod huic Eccleſiae, & Romani Pontificis miniſterio adſcripti eſſent, adpellari coeperunt. Hodie tamen ſex dumtaxat ſunt Epiſcopi Cardinales, eo quod Eccleſia Epiſcopalis Sanctae Rufinae & Secundae, alias Silvae Candidae, a Calliſto II Epiſcopatui Portuenſi unita fuerit. Et quidem in MS. *Voglini* Portuenſis Epiſcopatus, & Sanctae Rufinae, uniuntur, quare ante annum 1386 certe uniti fuere.

(3) Titulos, ſive Eccleſias Cardinalium Presbyterorum

torum XXVIII, qui ante milleſimum & centeſimum ab hinc annum exſtiterunt, enumerat *Onuphrius*; quorum aliquas circa tempora Gregorii I, mutatas fuiſſe monet; ita tamen ut numerus XXVIII Presbyterorum Cardinalium integer permanſerit, ut habetur ex *Pandulfo* Piſano in vita Gregorii II, uſque ad Honorii Papae II tempora, annumque Chriſti MCXXV, quo id obſervari deſitum, ut latius exponit laudatus *Onuphrius*. Non tamen tanta apud nos *Onuphrii* doctiſſimi auctoritas eſſe debet, ut eam veritati praeferamus, quae luculentius exſtat in ſententia *Henr. Valeſii*, & *Ioannis Mabillonii*, qui Titulos Presbyterorum quadraginta, & amplius, ante Innocentii I. tempora in Vrbe fuiſſe certiſſimis veterum teſtimoniis oſtendunt. Adeatur *Comment. in Ordinem Roman.* §. III.

(4) Romae regiones XIV fuerant, & VII tantum Diaconi, quibus eas Fabianus Pontifex diſtribuit, ut videre eſt apud *Tillemontium* in *Fabiano*. Adeoque alia iam diviſio tunc erat in VII regiones Eccleſiaſticas, de quibus *Mabillonius Comment. in Ordin. Roman.* §. III In his ſingulis regionibus Diaconiae fuerunt, loca ſcilicet, in quibus per Diaconos regionarios, pauperes, viduae, pupilli, ſenes, cujuſque regionis alebantur; habebantque haec loca, quae quaſi publicae domus hoſpitales erant, ſacella adjuncta. Diaconus his praefectus, Cardinalis adpellabatur: uſu vero harum domorum tandem abolito, ipſiſque dirutis, adhaeſit Diaconiae nomen ipſis ſacellis, a quibus Diaconi Cardinales urbis Romae dicti fuere. A tempore vero Honorii II Diaconorum Cardinalium numerus ad XVIII excrevit, cui demum duae aliae additae Diaconiae XX numerum conſtituerunt, ut laudatus *Mabillonius* obſervat.

(5) Quo-

(5) Quoniam hæc veſtium Pontificalium [de quibus tamen conſulendi *Ordines Romani* a *Mabillonio* editi] mentio facta eſt, lubet huc transſcribere brevem Tractatum de Veſtibus Sacerdotalibus, qui in MS. Codice Bibliothecae Riccardianae exſtat, atque ita habet:

De Veſtibus, quibus utuntur Epiſcopi, & Sacerdotes, in celebratione Miſſarum.

SCiendum eſt, quod pretioſae veſtes in Divinis Officiis Sacerdotibus concedantur, ad honorem Dei, & propter myſterium, & miniſterium Eccleſiaſtici Ordinis obſervandi. Induitur itaque Sacerdos miniſtraturus ad miſſam pretioſis veſtibus, & armatur propugnaturus contra diabolum, nam legitur: Qui non certavit, minime coronatur. Recipit namque Sacerdos, ſive Epiſcopus, primo Sandalia. Secundo Amictum. Tertio Albam, ſeu Camiſiam lineam candidam. Quarto Cingulum. Quinto Subcingulum. Sexto Manipulum. Septimo Stolam, ſive Orarium. Octavo Tunicam. Nono Dalmaticam. Decimo Caſulam, ſive Planetam. Vndecimo Pallium. Duodecimo Mitram. Sandalia namque habet Sacerdos pro ocreis, ut pedes ſint calceati in praeparatione Evangelii pacis, & ne foedentur pulvere ſaecularis gloriae, & vanae laudis. Amictum habet in capite pro galea, quae eſt ſpes ſalutis in mente. Albam, ſive Camiſiam induit, quae cooperit totum corpus, ut caſtitatem habeat intus, & exterius. Cingulo ſe circumcirca conſtringit, quia timendo peccare in ſe libidinis motus omnes bonus Sacerdos reſtringit. Subcingulum, quod ſub cingulo poſitum pharetram ſignificat, in qua manent ſagittae Scripturarum Sanctarum, & orationum contra mundum, carnem, & diabolum; & eſt proprium Epiſcoporum uti Subcingulo, qui plures ſagittas, & fortiores,

res, quam ſimplices Sacerdotes contra hoſtes debent habere in propatulo. Manipulum patet in laeva, per quam ſignificantur temporalia, unde: Laeva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Et operabantur ibi duo. Primo quod manum ſive brachium ſtringit, & lacrimas tergit. Debet enim Sacerdos ab amore temporalium animum compeſcere, ne nimis in eis ſe relaxando poſſit aliquatenus laſcivire. Debet etiam lacrimas ab animis abſtergere, ſi temporalia contingat amittere; ne inde videatur dolere, ſed potius congaudere; unde illud Apoſtoli de Theſſalonicenſibus, quibus dixit: Rapinam laborum veſtrorum cum gaudio ſubſcepiſtis. Stola ſive Orarium, quod a dextris & a ſiniſtris pendet, ſignificat iuſtitiam, quam in adverſis, & proſperis Sacerdos tenere debet. Tunica, quae eſt proprie Subdiaconorum, & Dalmatica, quae eſt Diaconorum, ſignificat caſtitatem illorum; quam Epiſcopi, qui Tunica & Dalmatica in miſſis utuntur, magis, & fortius, quam Subdiaconi, & Diaconi, habere tenentur. Caſula, ſive Planeta, quae omnia operit, ſignificat caritatem, de qua dicitur; Caritas operit multitudinem peccatorum; & ſicuti ceteris veſtibus Caſula ſuperior eſt, ita caritas ceteras antecellit virtutes, unde Apoſtolus: Nunc autem manent fides, ſpes, caritas, tria haec; maior horum eſt caritas; Pallium autem, quod ſuper humeros, & Caſulam, ponitur, ſignificat plenitudinem poteſtatis. Et nota quod tantum Archiepiſcopi & Primates Pallio utuntur, & hoc certis temporibus, & in provinciis ſuis, quia maiorem poteſtatem, quam Epiſcopi, habent. Solus vero Summus Pontifex ſemper Pallio utitur in Miſſarum ſollemniis, & uſque, quia plus ceteris ſemper habet plenitudinem poteſtatis, ſicut dicit Decretalis. Mitra autem in capite Sacerdotis, quae habet duo

cor-

cornua ſignificat, quod in mente Sacerdotis eſſe, & iungi, ſemper debent duo Teſtamenta ad ventilandum, & feriendum, iniquorum pectora, ut a ſuis iniquitatibus convertantur ad Dominum, & aeternam vitam conſequantur poſterius. Amen.

Sunt autem Epiſcopi ſeptem, ſecundum primitivam inſtitutionem, videlicet, Oſtienſis, qui propter Papae conſecrationem dignior eſt aliis, & pallio utitur. Epiſcopus Portuenſis. Epiſcopus Albanenſis. Epiſcopus Sabinenſis. Epiſcopus Praeneſtinus, qui ex conſtitutione Domini Papae Bonifacii VIII. vocatur, & dicitur, *Epiſcopus Civitatis Papalis*. Epiſcopus Sanctae Rufinae. Epiſcopus Tuſculanus. Et iſti Epiſcopi, tamquam Vicarii Domini Papae, in Dominicis diebus, & feſtis, & praecipuis ſollemnitatibus, in altari ſancti Salvatoris Lateranenſis Eccleſiae debent ſervire.

Presbyteri Cardinales ſunt viginti octo numero (1), qui diviſim, per numerum ſeptenarium, reſiduis quatuor Patriarchalibus Eccleſiis (2), ſunt intitulati ad celebrandum. Iſti ſunt ſeptem ad Eccleſiam ſancti Salvatoris, videlicet, Cardinalis ſanctae Mariae trans Tiberim. Sancti Chryſogoni. Sanctae Caeciliae. Sanctae Anaſtaſiae. Sancti Laurentii in Damaſo. Sancti Marci. Sancti Martini in Monte.

Iſti

Iſti ſunt ſeptem alii ſancti Pauli, qui debent in altari maiori deſervire, videlicet, Cardinalis ſanctae Sabinae. Sanctae Priſcae. Sanctae Balbinae. Sanctorum Nerei, & Achillei. Sancti Xyſti. Sancti Marcelli. Sanctae Suſannae. Iſti ſunt ſeptem Presbyteri Sanctae Mariae Maioris, videlicet, Cardinalis ſanctorum Apoſtolorum. Sancti Cyriaci in Thermis. Sancti Euſebii. Sanctae Potentianae. Sancti Vitalis. Sanctorum Marcelli, & Petri. Sancti Clementis. Iſti ſunt ſeptem Cardinales ſancti Laurentii, videlicet, ſanctae Praxedis. Sancti Petri ad Vincula. Sancti Laurentii in Lucina. Sanctae Crucis in Ieruſalem. Sancti Stephani in Coelio Monte. Sanctorum Ioannis, & Pauli. Sanctorum quatuor Coronatorum. Diaconi vero Cardinales, ad miniſterium domini Papae deputati, ſunt decem, & ſex (3), videlicet, Sanctae Mariae in Dominica, & ipſe eſt Archidiaconus aliorum. Sanctae Luciae in Circo Palatii, iuxta Septiſolium. Sanctae Mariae Novae. Sanctorum Coſmae, & Damiani, Palatii. Sancti Hadriani, Palatii. Sancti Georgii, Palatii. Sanctae Mariae in Schola Graeca. Sanctae Mariae in Porticu. Sancti Nicolai in Carcere. Sancti Angeli. Sancti Euſtachii. Sanctae Mariae in Aquario. Sanctae Mariae in Via lata. Sanctae Agathae. Sanctae Luciae

in Campo Sepurae. Sancti Quirici. Oſtenſo igitur, quot ſunt Cardinales, quia quinquaginta unus; & qui ſunt, quia Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, ſuis Titulis, vel Eccleſiae declarati (4); & ad quid ſunt, quia ad domini Papae, & ad quinque Patriarchalium Eccleſiarum, miniſterium: conſequenter procedendum eſt ad Pontifices, quibus deſerviunt, incipiendo a primo Pontifice Ieſu Chriſto.

(1) *Voglinus* Emporienſis XXIX numerat Presbyteros Cardinales, addito Sanctae Eudoxiae titulo.

(2) Romae, ut habetur ex *Libro Camerae Apoſtolicae*, conſtructae fuerunt Baſilicae V. Patriarchales ad repraeſentandum Orbem univerſum in una Vrbe: Prima eſt Baſilica Lateranenſis pro Patriarcha Occidentis. Secunda eſt Sancti Petri in Vaticano typum gerens Eccleſiae Conſtantinopolitanae. Tertia S. Pauli extra muros via Oſtienſi ad ſignificandam Eccleſiam Alexandrinam. Quarta eſt Baſilica S. Mariae Maioris deſignans Septemtrionem, vel Eccleſiam Antiochenam. Quincta eſt Baſilica S. Laurentii extra muros via Tiburtina meridiem referens, ſeu Eccleſiam Ieroſolymitanam. Ipſe quidem haud facile crediderim ea de cauſſa memoratas Baſilicas extructas fuiſſe; ſed exploratae fidei tamen eſt, eas titulos non habuiſſe, & fuiſſe proprie Romani Pontificis, adeoque forte Patriarchales adpellatas. Adi *Mabillon. in Ordinem Roman.* §. *III.*

(3) Quum *Voglinus* XIX Titulos Diaconorum Cardinalium recenſeat, non XVI tantum ut *Leo*, nec XVIII, ut reliqui, eoſque aliis interdum nominibus,

quam

quam *Leo* faciat, deſignet; lubet heic eorum nomina ex illo deſcripta attexere. Sunt igitur Tituli.

Sanctae Luciae in Septem Soliis, Diaconus Cardinalis, & dicitur eſſe Vicecancellarius, ſi ſit Diaconus.

Sanctae Mariae in Aquino.

Sancti Theodori.

Sanctae Mariae in Coſmedin.

Sanctorum Coſmae & Damiani.

Sanctae Mariae novae.

Sancti Hadriani.

Sanctae Mariae in Via lata.

Sanctae Mariae in Porticu.

Sancti Angeli.

Sancti Nicolai in Carcere Tulliano.

Sanctae Mariae in Dominica.

Sancti Euſtachii.

Sanctae Luciae in Silice.

Sanctae Luciae inter Imagines.

Sancti Viti in Macello.

Sanctae Agathae.

Sanctorum Georgii, & Baſilii.

Sancti Georgii ad Velum aureum.

Decem & novem pariter Titulos Diaconorum Cardinalium recenſet Provinciale Romanum MS. ejusdem Bibliothecae *n.* XXXII. quamquam alius Codex Q. II. *n.* XXXIV. decem & octo tantum.

(4) Hunc locum corruptum ita ex MS. Codice *Martini* Riccardiano reſtituo: *Suis Titulis, & Ecclesiis deputati.*

ANno quadrageſimo ſecundo Octaviani Auguſti natus eſt Ieſus Chriſtus Filius Dei, in Bethleem Iudae, ex Virgine Maria,

Maria, nocte diei Dominicae. Qui Salvator noſter Ieſus Chriſtus primus, & ſummus Pontifex, ſedit in hoc Mundo, annis triginta duobus, menſibus tribus (1); iuxta illud Evangelii: *Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta*. Hoc eſt inceperat trigeſimum annum, decem & tribus diebus eiusdem anni peractis (2). Qui eodem anno revoluto convertit aquam in vinum; & in ſequenti Paſcha incarceratus eſt beatus Ioannes Baptiſta; & in alio Paſcha ſequenti decollatus eſt. *Chryſoſtomus* tamen dicit ſuper Matthaeum, quod Chriſtus vixit plenarie triginta tribus annis, & tantum ſupra, quantum eſt a nativitate, uſque ad Paſcha: & dicit ipſum plene compleviſſe triginta annos, quando venit ad Baptiſmum, ſic dicens. *Poſt triginta annos venit Ieſus ad Baptiſmum, legem veterem ſoluturus, & poſt vixit tribus annis integris, & quantum fluxit a nativitate uſque ad Paſcha, quod pro dimidio anno computatur*. Et ita ſecundum ipſum Chriſtus vixit triginta tribus annis, & dimidium (3). Fuerunt igitur uſque ad nativitatem Chriſti anni completi ab Adam quinque millia centum nonaginta novem (4); & a conditione Romanae Vrbis anni ſeptingenti quinquaginta duo; ut ait *Paulus Diaconus* in *Hiſtoriis Romanorum*. Hoc ipſo die, quo natus fuit, trans Tiberim de taber-

taberna emeritoria (5) fons olei in terra manavit, ac per totum diem largiſſime fluxit. Tunc & circulus ad ſpeciem coeleſtis arcus circa ſolem adparuit, cuius hiſtoria ponetur, quum de Octaviano Imperatore agetur. Tunc etiam ſtatim, ut virgo peperit, illa ſtatua aurea (6) conruit, quam in Romuliano Palatio Romulus poſuerat, dicens: *Non cadet, donec virgo pariat* (7). Anno etiam Domini decimo ſeptimo Pilatus factus eſt Praeſes in Iudaea. Et anno decimo nono Ioannes coepit praedicare baptiſmum poenitentiae. Anno autem trigeſimo ſecundo idem Ioannes decollatus eſt. Et decima tertia die a nativitate Domini, venerunt Magi Ieroſolymam (8). Eodem anno quo natus eſt, tulit eum Ioſeph in Aegyptum. Quo ingrediente corruerunt idola AEgypti, iuxta vaticinium *Iſaiae*; ſicut traditur, non fuit in Aegypto templum, in quo non corruiſſet idolum (9). Et in ſeptimo (10) anno a nativitate ſua de AEgypto revertitur in Iudaeam (11). Porro de infantia Salvatoris, & de operibus eius uſque ad baptiſmum; non legitur in Evangelio, niſi quod *Lucas* dicit, quod duodennis remanſit in Ieruſalem, & poſt triduum inventus eſt a parentibus in medio Doctorum in Templo. Legitur etiam in libro *De Infantia Salvatoris* (12), quod Ieſu fugiente in

AEgyptum, quum ſub una palma recubuiſſent, beata Virgine matre pueri fame laborante, ad praeceptum pueri, palma inclinavit ſe uſque ad terram, & poſt collectionem fructus ipſius, palma ſtatim erexit ſe. Et ſitiente Ioſeph ibidem, ex praecepto pueri Ieſu, arida terra fontem produxit. Legitur etiam ibidem, quod quum in eodem itinere, in ore cuiusdam ſpeluncae hoſpitati fuiſſent, de eadem ſpelunca, duo immaniſſimi dracones ſunt egreſſi, ad quorum intuitum, dum beata Virgo, & Ioſeph, nimio terrore concuterentur ad praeceptum pueri Ieſu, dracones cum omni manſuetudine, inclinatis capitibus, deſerta petierunt; & quod unus leo in ipſo itinere adveniens, uſque in AEgyptum ipſis obſequioſus fuit (13). Chriſtus baptizatur (14). Hic eadem etiam die, ut dicitur, revoluto anno, ut fertur, convertit aquam in vinum. Chriſtus crucifigitur pro ſalute humani generis in Ieruſalem (15). Moritur. Sepelitur. In cuius paſſione, velum templi ſciſſum eſt, a ſummo uſque deorſum in duas partes; & terra mota eſt; & multa corpora Sanctorum ſurrexerunt, & intraverunt in ſanctam civitatem, & adparuerunt multis. Nobilis Centurio convertitur ad fidem, & qui cum eo erant viſis quae fiebant dicentes, *Vere Filius Dei erat*

homo

homo iſte. De ipſius latere etiam dormientis in cruce exivit continuo ſanguis, & aqua. Ipſo eodem anno, quo paſſus eſt Chriſtus, menſe Auguſti, tertia die (16), beatus Stephanus lapidatur; & de Saulo Paulus efficitur.

(1) Incertum omnino eſt quot annis Ieſus Chriſtus inter homines verſatus ſit: nulli enim Patrum in hoc conveniunt, ut conſtat ex erudita Diſſertione, quae *Rationario Temporum Dionyſ. Petavii* inſerta eſt. Ceterum hodie ſententia eſt eruditis criticiſque viris probatior, Chriſtum vixiſſe ſuper terram XXXVI annos, menſes III. dies IX. horas XV. Conſule eamdem *Diſſertationem*.

(2) Canon Chronicus actionum, & vitae, Ieſu Chriſti habetur apud *Bernard. Lamium in Adparat. Chronolog. ad Harmon. Evangel.* & apud *Calmetium in Vita Ieſu Chriſti*. Conſuli etiam poſſunt qui de myſteriis & annis Chriſti ſcripſerunt, ut *Montacutius*, *Tillemontius*, & *Graveſonius*. Inter Chronologos autem diligentiſſimus *Vſſerius*, qui eiuſmodi canonem & ipſe exhibet.

(3) *Martinus* habet: *Cum dimidio*, & recte.

(4) De hac temporum ſupputatione conſule doctiſſimos Viros *Petavium*, *Vſſerium*, *Calmetium*, *Natal. Alexandrum*, *Graveſonium*, alioſque complures; in primis autem *Iſaac. Newtonium* in ſua *Chronologia*. Ceterum heic *Leo* calculos ex LXX. Interpretibus deductos ſequutus eſt, quod & *Martyrologium Romanum* adhuc facit.

(5) Ita etiam *Martinus* habet.

(6) Codex *Martini* MS. Riccardianus expuncto *aurea* habet in margine *aerea*.

(7) Haec portenta omnia fabuloſa eſſe demonſtrarunt viri docti, & praecipue *Serrius* in ſuis *Eccleſiaſticis Exercitationibus*, qui utinam verecundius haec tractaviſſet; & *Graveſonius De Myſteriis, & Annis Chriſti*.

(8) Quando Magi venerint ex Oriente in ſententiis eſt. Conſule *Lamium*, *Tillemontium*, *Serrium*, & *Graveſonium* laudatos.

(9) Nulla certa id auctoritate nixum. Adi laudatos *Tillemontium*, *Serrium*, & *Graveſonium*.

(10) *Martinus Polonus* habet, *ſexto*.

(11) Conſule laudatos viros doctos, & chronologos: nam annum integrum in Aegypto permanſiſſe non videtur.

(12) Liber hic apocryphus eſt, & ineptiis & fabulis ſcatens, ſed valde antiquus. Vide de eo teſtimonia, & cenſuras, doctorum hominum apud *Io. Al. Fabricium in Apocryphis N.T.*

(13) Haec tamen quum & *Evangelium Infantiae* Graecum, & alterum ex Arabico ſermone ab *Henrico Sikio* in Latinum translatum, evolviſſem, offendere & invenire non potui. Quare aliud quoddam *Evangelium Infantiae Salvatoris* habuiſſe videtur *Leo* noſter, vel *Martinus* Polonus; aut ſaltem interpolatum.

(14) Hic videtur deſiderari, quod habet *Martinus*, ſcilicet, *anno eiusdem Domini* XXX.

(15) *Martinus* addit, *anno* XXXIII.

(16) Haec opinio de die, quo Stephanus obiit, merito a *Baronio*, aliiſque viris doctis, improbatur. Adeatur *Tillemontius* in *Stephano*.

Poſt

POſt paſſionem Domini, anno ſequenti beatus Petrus Apoſtolus filius Ioannis provinciae Galileae, de vico Bethſaidae, frater Andreae, tenuit ſacerdotalem cathedram in partibus orientis, annis quatuor, ubi primam miſsam (1) celebravit, dicendo ſolummodo, *Pater noſter*. Deinde venit Antiochiam anno trigeſimo octavo (2) a nativitate Chriſti; ubi cathedram adeptus, ſedit annis ſeptem (3); inde venit (4) Romam, ubi viginti quinque annis, menſibus ſeptem, & diebus octo, Pontificatum tenuit (5). Hic ſcripſit duas Epiſtolas, quae Canonicae (6) nominantur; & Evangelium Marci, qui eius auditor fuit, & filius de baptiſmo (7). Hic etiam fecit ordinationes menſe Decembri, Epiſcopos ſex, Presbyteros decem, & Diaconos ſeptem. Anno etiam Domini quadrageſimo (8) Matthaeus Evangelium ſcripſit; & anno quadrageſimo quarto (9) Marcus Evangelium condidit, & fames valida fuit. Nec multo poſt Petrus Apoſtolus Apollinarem (10) mittit Ravennam, quae tunc in Italia, & magnitudine, & populi frequentia poſt Romam famoſior erat; Syrum Papiam; Marcum vero interpretem ſuum (poſtquam in Italia Aquileiae ſcripſit Evangelium (11)) ad AEgyptum deſtinavit, qui Alexandrinam primus fundavit Eccleſiam (12). Miſit

etiam in Gallias, ad plures civitates, plures diſcipulos, ſicut ſanctum Sevianum, Pontianum, Alcimum, & Martialem (13), qui dicuntur fuiſſe de ſeptuaginta duobus Diſcipulis, & alios plures per diverſa Galliae loca, & civitates. Paulus vero, ſicut continetur in Actibus Apoſtolorum, propter adpellationem, a Iudaea Romam veniens, extra Vrbem horreum publicum conduxit, ubi cum fratribus de verbo vitae tractavit, & ſatis innotuit de ſignis, & prodigiis, & ſanctitate ipſius. Concurſus quoque ſatis magnus fiebat ad eum de domo Caeſaris; nam & Neronis inſtructor Seneca, ſibi familiaris valde exſtitit, ita ut, quum ore ad os ſibi invicem loqui non poſſent, ſe epiſtolis viſitarent (14). Sed quia Paulus coram Nerone dixerat (15), figuram mundi per ignem reſolvendam, iuſſit omnes, qui per ipſum crediderant, igne cruciari; Paulum vero, tamquam maieſtatis reum, ſecundum Romanas leges capite truncari. Fuerunt & diſcipuli beati Pauli Apoſtoli viri egregii, & illuſtres, ſicut Timotheus, Titus, Trophimus, Oneſimus, & multi alii, quos ad diverſas partes mundi, praedicationis cauſa, direxit. Beatus Petrus Apoſtolus, primus inſtituit ante Paſcha Quadrageſimale ieiunium (16); & ante Natale tres hebdomadas, & quartam imperfe-

ſectam, ab omni populo Chriſtiano inſtituit venerari, in commemorationem primi, & ſecundi adventus Domini noſtri Ieſu Chriſti (17). De quorum Pontificatu, & morte ipſorum, ſcribit *Gelaſius* Papa dicens. *Sancta Romana Eccleſia nullis Synodicis conſtitutis, ceteris Eccleſiis praelata eſt. Secundum Evangelicam vocem Domini, & Salvatoris noſtri, primatum obtinuit dicentis: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram aedificabo Eccleſiam meam; cui data eſt ſub Caeſare Nerone ſocietas beatiſſimi Pauli Apoſtoli, qui non diverſo (ut haeretici garriunt) ſed uno tempore, eodemque die, in urbe Roma, cum Petro, ſub Caeſare Nerone, agonizans coronatus eſt, & pariter praedictam Romanam Eccleſiam Chriſto Domino conſecravit, ac ceteris urbibus in univerſo mundo, ſua corporli praeſentia, ac venerando triumpho, praetulerunt. Et pro tanto Romana ſedes, prior eſt omnium dignitate, licet Antiochena ſedes, prior ſit tempore.* Paſſi ſunt autem Petrus, & Paulus, ultimo anno Neronis (18). Petrus quidem in via Aurelia, ibique ſepultus iuxta Palatium Neronianum, in Vaticano, ubi crucifixus eſt. Paulus vero ad Aquas Salvias, in via Oſtienſi. Tempore vero Cornelii Papae (19), Graeci furati ſunt corpora Apoſtolorum, & ipſa in Graeciam deferentes abſportabant. Sed Daemones in idolis habi-

tantes, divina coacti virtute, clamarunt: *Viri Romani ſuccurrite, quia Dii veſtri auferuntur*. Fideles hoc intelligentes de Apoſtolis, infideles vero de ſuis Diis, multitudo adunata fidelium, & infidelium, illos perſequuntur. Et videntes Graeci apud Catacumbas, corpora Apoſtolorum in puteum proiecerunt; ſed a beato Cornelio Papa ſunt inde extracta. Sed quum in dubium verteretur, quae eſſent oſſa Petri, vel Pauli, orationibus fidelium, & ieiuniis, divinitus reſponſum habuerunt, quod maiora oſſa, Praedicatoris ſunt; minora vero, Piſcatoris. Quae tamen poſt beatus Silveſter dicitur cum lancea, lance aequaliter ponderaſſe, & conſecrando utriuſque Eccleſiam, in utraque utriuſque oſſa collocaſſe (20).

(1) Quin Apoſtoli Liturgiam celebraverint non eſt dubitandum; ſed quo ritu, quibuſque caeremoniis, praeter panis & vini conſecrationem, prorſus ignotum eſt. Pervenerunt uſque ad nos Liturgiae quaedam D. Iacobi, & D. Marci, ſed eae non ab his Apoſtolis ſcriptae fuerunt, quamquam fidem doctrinamque ab iis Eccleſiae Ieroſolymitanae & Alexandrinae traditam complectuntur. Certum tamen eſſe videtur orationes quasdam in Liturgia etiam ab Apoſtolis Chriſtum imitantibus adhibitas fuiſſe, ſed unde Scriptores Vitarum Pontificum hauſerint Petrum Dominicam orationem recitare ſolitum ignoro prorſus, quamquam etiam Auctores inferius citandi id adfirmant. Conſulendus vir longe doctiſſimus *Euſ. Renau-*

naudotius in Liturgias Orientales. Miſſae nomen poſteriorum eſt ſaeculorum, a formula populum dimittendi poſt peractam ſynaxin uſurpata forte deductum: Conſulendi *Cangius in Gloſſar. Latin. Macer in Hierolexico*, *Gavantus in Theſaur. Sacr. Rituum*.

(2) Exactiores Chronologi habent XXXVI. *Tillemontius in Petro Cap.* XXVII.

(3) Non tamen credendum poſt inſtitutam Antiochiae Cathedram iis ſeptem annis numquam ex illa urbe diſceſſiſſe. *Tillemontius* loco citato.

(4) De Petri Romam adventu ab Haereticis iniuria controverſo vide diſputantem *Natal. Alexandrum Tom. III. Hiſt. Eccleſ.* & *Calmetium Diſſertatione peculiari*, & *Tillemontium in Petro*, ut alios laudare ſuperſedeam.

(5) De numero annorum, quibus Petrus Romae ſedit, controverſia eſt inter eruditos. Adeundi *Onuphrius ad Platinam*, *Tillemontius in Petro*, *Scheltratus in Antiquitat. illuſtrat. Caveus de Scriptor. Eccleſ. Baſnagius Hiſtor. Eccleſ. Natal. Alexander Tom. III. Hiſt. Eccleſ. Saecul.* I.

(6) *Catholicae* potius, ut habet *Anaſtaſius*. Fuit & apocryphum quoddam Evangelium, quod ſub Petri nomine circumferebatur, & de quo conſulendus *Io. Alb. Fabricius in Apocryphis N. T.* ut *Tillemontium*, & *Caveum* ſilentio tranſiliam. Duae quoque Petri Epiſtolae memorantur ad Iacobum ſcriptae, quae ſpuriae ſunt, atque unius quidem meminit *Photius Cod.* CXIII, alteram edidit *Fr. Turrianus*, exhibentque etiam *Cotelerius*, & *Fabricius*.

(7) Marci Evangelium, Petri ab aliquibus dictum eſt, quod Marcus ea ſcripſerit, quae ex Petri ore audiverat, & quia Petrus illud adprobavit. Adi *Tillemont.* in *Petro Cap.* XXXI, & in *Marco*.

(8) Quo

(8) Quo anno ſcripſerit Matthaeus, incertum admodum. Conſule *Tillemont. in Matthaeo*, *Lamium in Adpar. Harmon. Calmetium in Prolegom.*

(9) Forte uno, vel altero anno ſerius. Conſule *Tillemontium* in *Marco*.

(10) Apollinarem Ravennam a Petro miſſum fuiſſe nulla certa monumenta docent. *Tillemont. in Apollinar.*

(11) Haud facile crediderim.

(12) Vide *Renaudotium Hiſt. Patriarch. Alex.*

(13) Res magnis difficultatibus obnoxiae, imo evidenter falſae. Conſule *Tillemont. in Fabiano & Dionyſ. Areopag.* Sed contra ſtat *Nat. Alexand. Tom. III. Hiſtor. Eccleſiaſt.*

(14) Dubia haec admodum. Epiſtolas autem Senecae ad Paulum, quae ad nos pervenere, ſuppoſititias eſſe exploratae fidei eſt. Conſule *Fabricium* in *Apocryph.* N. T. & in *Bibliotb. Latina. Caveum de Scriptor. Eccleſiaſt.*

(15) Fabella.

(16) Quadrageſimale ieiunium eſſe Apoſtolicae inſtitutionis admodum probabile eſſe oſtendit *Natal. Alexander*, & tribus primis ſaeculis a Chriſtianis obſervatum: ampliuſque demonſtrat contra *Dallaeum*, abſtinentiam a carnibus in uſu fuiſſe, ſaltem in Quadrageſima: & carnis nomine etiam piſces a *Tertulliano* comprehenduntur, quemadmodum *Baſilius Homil. I. De Ieiunio quadrageſimali* feciſſe videtur; ad quam tamen *Ang. Maria Riccius* interpres Italicus, vir ceteroquin doctus, nimis generaliter adnotat Baſilii aetate diebus, quibus ieiunabatur, Chriſtianos ſola olera, terraeque fructus, comedere ſolitos fuiſſe, & a vino abſtinuiſſe. Nam id ad ſummum de ieiunio quadrageſimali adfirmandum

eſſet;

eſſet; quum aliter res ſe haberet in aliis ieiuniis, generatim ſaltem loquendo, ut elucet ex *S. Epiphanio in Expoſitione Fidei Catholicae*. Quamquam varium quoque quadrageſimalis ieiunii obſervandi morem apud varias Eccleſias oſtendit luculente *Socrates Lib. V. Hiſtor. Eccleſ. Cap. XXII.* Et quoniam *Riccii* meminimus, animadvertere eſt nimis etiam generalem eam adſertionem eſſe, qua in ſcholio ad citatam Homiliam adfirmat, inter ieiunii leges olim fuiſſe, ut veſpere ieiunium ſolveretur. Nam id de quadrageſimali ieiunio tantum verum eſt, quum ceteris ieiuniorum diebus ut plurimum hora nona ſolveretur, ut late oſtendit *Nat. Alex. Diſſert.* laudata.

(17) Dubia omnino, & incerta.

(18) Petrus paſſus eſt anno Chriſti LXVI die XXIX Iunii Coſs. C. Lucio Teleſino, & Suetonio Paulino. *Dionyſius* Corinthius apud Euſebium, & alii veteres, tradunt Petrum & Paulum eodem tempore, & uno eodemque die, martyrio coronatos fuiſſe: ſed *Prudentius*, & *Pſeudo-Abdias*, cum aliis, docent eodem quidem die, ſed anno diverſo, eos eſſe paſſos. Conſule *Tillemont. in Petro*, *Caveum in Paulo*, *Fabricium in Apocryphis N. T.*

(19) Pia fabula, ut videtur.

(20) Ex *Martino* Polono totidem verbis.

LInus Italicus de regione Tuſciae, ſedit annis ſex (1), menſibus tribus, diebus tredecem. Hic ex praecepto beati Petri Apoſtoli conſtituit, ut mulier velato capite intraret Eccleſiam (2). Hic martyrio coronatus eſt, & ſepultus in Vaticano, iuxta corpus beati Petri, nono Ka-

Kalendas Octobris. Dicunt hi, qui de Cathedra Romanae Eccleſiae diligenter perſcrutati ſunt, quod Linus, & Cletus, non ſederunt ut Pontifices(3), ſed ut ſummi Pontificis coadiutores, quibus in vita ſua Petrus una credidit Eccleſiaſticarum rerum diſpenſationem; ipſe vero, tantum orationi, & praedicationi, vacabat; propter quod tanta auctoritate dotati meruerunt in catalogo Pontificum poni. Clementem vero ipſe beatus Petrus, ſucceſſorem ſibi inſtituit (4). Hic beatus Pontifex Linus multis miraculis coruſcans, Martyrio coronatur.

(1) *Pontificale Vigniolii* habet XII. Sed de varietate ſententiarum conſule *Tillemontium* in *Clement. I. Artic.* II. *Not.* III.

(2) Haec quidem iuxta *Anaſtaſium*, ſed admodum incerta. *Tillem. in Clem. Art. II.*

(3) Conſule *Tillemont. in Clement. I. Art. I.*

(4) Huc uſque ex *Martino*. Alia forte omiſit, quod minus certa arbitraretur, quamquam iudicii acumen, & ſeligendi certa ab incertis peritia in *Leone* noſtro deſideratur.

CLetus (1), natione Romanus, de regione Vico Palatio, ſedit annis novem (2), menſe uno, diebus novem (3). Hic ex praecepto beati Petri, vigintiquinque Presbyteros ordinavit in Vrbe Roma, menſe

menſe Decembri, & ſepultus eſt iuxta corpus Beati Petri in Vaticano, & ceſſavit Epiſcopatus diebus triginta quinque. Hic Pontifex primus in litteris ſuis invenitur poſuiſſe (4), *Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem* (5).

(1) Eſt idem cum Anacleto, quem *Anencletum*, hoc eſt, *Irreprehenſibilem* Graeci adpellant. Conſule *Tillemont. in Clement. Art. II.*

(2) *Anaſtaſius* habet XII.

(3) XI apud *Anaſtaſium*.

(4) Incertum, aut falſum.

(5) Alia *Martini* omiſit, & quidem falſitatis facile redarguerentur. Hic tantum adnotaverim, licet ab *Anaſtaſio* poſt Linum ſtatim Cletus recenſeatur, quod & a multis aliis fit; tamen Lino ſucceſſiſſe Clementem, Clementi autem Cletum, pleroſque exiſtimare.

CLemens, natione Romanus, de regione Coelio Monte, & Patre Fauſtino; ſedit annis novem, menſibus duobus (1), diebus decem. Hic quum multos libros (2) Chriſtanae ſcriberet Religionis; martyrio coronatus eſt: multis tamen in vita, & in morte, miraculis coruſcavit; ut patet in ſua legenda (3). Hic fecit ſeptem Notarios, ſecundum ſeptem regiones (4); qui geſta Martyrum, unuſquiſque per regionem ſuam, inquirerent, & conſcriberent.

Hic,

Hic, quamvis a Beato Petro eſſet electus, tamen coegit Linum, & Cletum, ante ſe pontificari (5), & ita eſt primus poſt Petrum per electionem, tertius vero per gradum. Vnde ipſe ſcribit in Epiſtola ad Iacobum Ieroſolymitanum (6) dicens: *Simon Petrus tempore, quo vitae ſuae finem imminere praeſenſit, in conventu fratrum poſitus, adprehenſa manu mea, ſic dixit; Fratres, hunc Clementem Epiſcopum vobis ordino, qui mihi ab initio uſque ad finem fideliſſimus in omnibus fuit; quumque ego ad pedes eius procidens declinarem Cathedrae honorem, reſpondit: Tu peccati periculum timens fugis Cathedram: certus eſto, quia amplius peccas, qui populum Dei velut in fluctibus poſitum quum poſſis iuvare, ſubterfugis, tui tantummodo conſiderationem habens, & non quod in commune expedit providens.* His temporibus Phoenix (7) avis unica adparuit, quae ante ſexcentos annos in Arabia adparuerat, quae uſque ad quingentos annos vivere dicitur; &, prius ſeipſam cremando, in ſuo nido renaſcitur. Eſt autem ad modum Aquilae magna, criſtato capite, circa collum fulgore aureo, poſtea purpureo praeter caudam, cuius nitor roſeus ac caeruleus ſcribitur.

(1) *Anaſtaſius* habet XII.

(2) Cle-

(2) Clementem plures ſcripſiſſe libros falſum eſt: ſuppoſititii enim ſunt omnes, praeter epiſtolam ad Corinthios, quicumque ſub ejus nomine circumferuntur. Conſule *Cotelerium* ad Patres Apoſtolicos, *Tillemontium* in *Clemente*, *Natal. Alexand. Tom. III. Hiſt. Eccleſ. Diſſert. XIX. Caveum*, *Oudinum*, *&c.*

(3) Haec legenda apocrypha eſt. Vide *Cotelerium*, & *Tillemontium*,

(4) De his VII. regionibus conſule ſuperius ad pag. 25. & *Vignolium* ad Clementem in *Pontificali*, & inferius in *Fabiano*.

(5) Conſule *Tillemontium* in *Clemente Art.* 1.

(6) Epiſtola haec falſo Clementi tribuitur. Conſule *Cotelerium*, *Tillemontium*, *Caveum*, *Oudinum*, *&c.* Quae de electione Clementis a Petro facta hic narrantur, ſumſit ex eadem epiſtola etiam *Pſeudo-Abdias Lib. I.* Sed de hac conſulendi *Tillemontius*, *Caveus*, & ſi Calvinianum citare lubet, *Dallaeum De Pſeudo-Epigraphis Apoſtolicis*, ut nihil de *Io. Baptiſta Cotelerio* dicam.

(7) Adi viros doctos ad *Clementis Epiſtolam ad Corinthios* apud *Io. Baptiſtam Cotelerium in Patribus Apoſtolicis* multa de Phoenice ave diſſertantes. Ex illa a *Clemente* Phoenicis avis in ſua Epiſtola mentione facta credo hanc *Leonis* noſtri fabellam exortam.

ANacletus, natione Graecus (1), de regione Athenienſi, ex Patre Antiocho, ſedit annis novem, menſibus duobus, diebus decem (2), & ceſſavit diebus decem (3): Hic ordinavit, ut Presbyteri, qui ſacrificant, maxime Epiſcopi, ſecum teſtes habeant, ut Domino perfecte ſacrificare,

com-

comprobentur. Voluit etiam, ut ſacerdotes, ab omnibus honorarentur, ſicut omnibus fidelibus per litteras ſuas mandavit. Hic conſtituit, ut clerici, nec comam nutriant, nec barbam. Hic memoriam beati Petri conſtruxit, & ſepultus eſt iuxta beatum Petrum.

(1) Hic Pontifex idem videtur eſſe cum Cleto, ut iam innuimus. Conſule *Tillemont.* in *Clement.* I. & ab eo adnotata.

(2) XIII. habet *Anaſtaſius*.

(3) Obſerva univerſas prope Pontificum decretales Epiſtolas uſque ad Siricium, falſas eſſe ac ſuppoſititias, ut viri longe doctiſſimi oſtenderunt, & praeter ſectarium *Blondellum*, *Natal. Alexander Tom. III. Hiſtor. Eccleſ. Diſſert. XXI. in Saecul. I.* &

EVariſtus (1), natione Graecus, ex patre Iudaeo, de Civitate Bethleem, ſedit annis decem (2), menſibus ſeptem, diebus duobus, & ceſſavit Epiſcopatus diebus decem, & octo. Hic titulos (3) in Vrbe Roma diviſit Presbyteris, & ſeptem Diaconos (4) conſtituit, qui cuſtodirent Epiſcopum praedicantem, propter ſtilum erroris (5), qui poſſit opponi Epiſcopo ab aemulis, & ſic infamaretur Epiſcopus, & verbo divino detraheretur ab inſidiatoribus. Conſtituit etiam ut coniugium a parentibus publice ſponſetur, & demum a ſa-

Sacerdote benedicatur ſollenniter. Hic martyrio coronatus eſt (6), ſub perſequutione Traiani Imperatoris, & ſepultus eſt iuxta corpus beati Petri in Vaticano (7).

(1) Proprie dicendus eſſet *Evareſtus*.
(2) *Anaſtaſius* habet, XIII, menſes VI. dies duos.
(3) De Titulis conſule Prooemium hujus Chronici, & *Mabillonium Commentar. in Ordinem Roman.* §. *III.*
(4) Septem tantum Diaconi antiquitus Romae fuerunt, ut conſtat ex Cornelii Epiſtola ad Fabium Praeſulem Antiochenſem apud *Euſeb. Lib. VI. Hiſtor. Eccleſiaſt. Cap. XLIII.* Conſule *Mabillon. Commentar. ad Ordinem Roman.* §. *III.*
(5) *Anaſtaſius* habet, *Veritatis*. Adi *Vignolium*.
(6) Haec omnia dubiae fidei, ut animadvertit *Tillemontius in Evariſto*.
(7) Ex *Martino* totidem verbis.

ALexander primus, natione Romanus, de regione Capitis Tauri (1), ſedit annis octo, menſibus quinque, diebus duobus, & ceſſavit diebus vigintiquinque. Hic conſtituit aquam cum ſale benedici, & in habitaculis hominum adſpergi. Hic ſub Hadriano Imperatore miſſus in carcere, & Hermes Praefectus Vrbis, qui per eum crediderat, atque Eventius Presbyter, & Theodulus (2) Diaconus (3), qui cum Papa Alexandro, & cum pluribus aliis, diverſis poenis adfecti, martyrio coronantur. Alexan-

der Papa tunc via Numentana ſepultus eſt, in Eccleſiam ſanctae Sabinae eſt translatus, ubi nunc ſunt Fratres Praedicatores. Hic ob memoriam paſſionis Chriſti, in Canone addidit, *Qui pridie, quam pateretur*, uſque ad, *Hoc eſt corpus meum*. Hic etiam ſtatuit, ut aqua vino miſceretur (4), ad deſignandam unionem Chriſti, & Eccleſiae, & ut oblatio fieret ex Azymo (5) in modica quantitate, dicens: *Haec oblatio, quanto potior, tanto rarior* (6).

(1) *Anaſtaſius*, *Caput Tauri*.

(2) *Theodorus* apud *Anaſtaſium*: ſed *Theodulus* legendum videtur.

(3) De hiſce conſule *Tillemontium* in *Alexandro*.

(4) Hoc eſt in ſacrificio Miſſae: ſed hoc inſtitutum antiquius exiſtimo; conſule *Renaudot. ad Liturg. Orientales*.

(5) Vide *Mabillonium De Azymo, & Fermentato, Sirmundum, Bonam*, & *Natal. Alexandrum Tom. VI. Hiſtor. Eccleſ. Diſs. XI. in Saeculum XI. & XII.*

(6) Ex *Martino* totidem verbis.

XYſtus primus, natione Romanus, ex patre Paſtore, de Via lata; ſedit annis decem, menſibus tribus, diebus vigintiuno. Hic conſtituit, ut diceretur in Miſſa, *Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus ſabaoth*, & cetera; & ut miniſteria ſacrata non tangerentur, niſi a Miniſtris. Iſte foris portam Appiam decollatus fuit, ubi

ubi Dominus adparuit Petro, qui dixit, *Domine quo vadis*? Hic ſepultus eſt prope altare ſancti Petri, in ſepulcro, in quo requieſcunt Linus, & Cletus, & Anacletus, & Evariſtus, Pontifices: ac multorum Martyrum altare, quod eſt ſuper eos, ſolius ſancti Xyſti nuncupatur. Hic etiam conſtituit ut corporale non fieret de ſerico, ſed de lino contexto, non tincto; & ne mulier vaſa ſacra altaris, & pallas, tangeret (1).

(1) Ex *Martino*.

TElesphorus, natione ex Anachoritis (1); ſedit annis duobus, diebus viginti duobus; & ceſſavit diebus ſeptem. Hic ordinavit ut ſeptem hebdomadas ante Paſcha ieiunium celebraretur (2). Hic etiam conſtituit ut hymnus Angelicus ante ſacrificium cantaretur; & in natali Domini cantari tres Miſſas cum *Gloria in excelſis Deo*; primam vero Miſſam, in pullorum cantu proximante media nocte, quando Chriſtus in Bethleem naſci dignatus eſt; ſecundam, illuceſcente Aurora, quando Chriſtus in cunabulis a Paſtoribus adoratus eſt; tertiam, hora diei tertia, quando illuxit nobis dies redemtionis noſtrae (3). Hic martyrio coronatus eſt, & in Vaticano iuxta corpus beati Petri ſepultus eſt.

(1) Lege ex *Anaſtaſio*. *Natione Graecus*, *ex Anachoreta*.

(2) De origine Quadrageſimae conſule *Pearſonium* apud *Cotelerium*, & *Natal. Alexandrum T. III. Hiſtor. Eccleſiaſt. Differt. IV. in Saeculum II.* Ceterum a Teleſphoro Quadrageſimam inſtitutam probabiliter falſum eſt: nec ſibi conſtat *Leo* dum ſuperius Quadrageſimalis ieiunii inſtitutionem Petro Apoſtolo tribuit, quod certe melius: nam ex Apoſtolica inſtitutione ieiunium hoc defluere plerisque videtur. Quare mirari ſubit, quod *Io. Vignolius* in ſuo Pontificali, cum tot Codicibus collato, variantibuſque lectionibus onerato, huiuſmodi veterum Pontificum Romanorum indicatas conſtitutiones facile, & paſſim admittat, & Pſeudo-Iſidorum ſibi bene cognitum, identidem advocet: quum tamen harum pleraeque tam dubiae, & incertae ſint, quam dubius & incertus eſt veteris Pontificalis auctor, ut optime animadvertit *Tillemontius*.

(3) Haec omnia aut falſa, aut incerta. Conſule *Tillemontium* in *Teleſphoro*.

HYginus, natione Graecus de Athenis, cuius genealogia non invenitur, ſedit annis quatuor, menſibus tribus, diebus ſex (1), & ceſſavit Epiſcopatus diebus tribus. Hic Clerum compoſuit, & gradus diſtribuit. Hic ſepultus eſt in Eccleſia beati Petri. Hic ſcripſit omnibus fidelibus generalem Epiſtolam, *De Deo* (2) *trino, & uno, & incarnatione Filii Dei*, plenam fidem catholicam continentem; & martyrio coronatur.

(1) VIII.

(1) VIII. habet *Anaſtaſius*.

(2) Inter apocryphas Iſidorianas epiſtolas duae *Hygino* Pontifici tribuuntur, quarum prima eſt, cuius meminit *Leo* noſter.

PIus, (1) natione Italicus, de Civitate Aquileia, ex patre Rufino, ſedit annis (2) quatuor, diebus viginti duobus; & ceſſavit Sedes Apoſtolica, quatuordecim diebus. Hic ordinavit, ut reſurrectio Domini, non celebraretur niſi in Dominica die (3). *Et licet nos Paſcha Domini, die Dominica celebraremus, & quidam idem dubitaverunt, ad corroborandas animas eorum, cuidam doctori ſancto Hermeti, Angelus Domini in habitu paſtoris adparuit, & praecepit, ut Paſcha Domini, die Dominica ab omnibus celebraretur; quod, & nos auctoritate Apoſtolica adnuntiamus* (4). His temporibus fuerunt Romae duae ſanctiſſimae Virgines, Potentiana, & Praxedes. Hic martyrio coronatur, ſepultusque eſt iuxta corpus beati Petri in Vaticano.

(1) Anicetus praecedit Pium apud *Anaſtaſium*.

(2) XIX. menſibus, &c. ex *Anaſtaſio*.

(3) Conſule inferius in Victore I.

(4) Pontificale ſcriptum anno CCCLIV. idem tradit, additque Hermen Pii fratrem fuiſſe. Sed de his conſule *Tillemontium* in *Pio*, quemadmodum & de ſanctis Potentiana, ſeu Pudentiana, & Praxede.

ANicetus (1), natione Syrus, ex patre Ioanne de vico Myrrha (2); ſedit annis novem, menſibus tribus, diebus quatuor (3), & ceſſavit diebus quindecim. Hic conſtituit, ut Clericus non nutriat barbam, nec comam, & ut haberet coronam (4), ad modum ſphaerulae. Hic conſtituit, ut Epiſcopus conſecrari non debeat, niſi ad minus a tribus Epiſcopis; nam & Apoſtoli, ſicut ipſe aſſerit hoc ſervaverunt (5). Hic ſepultus eſt in via Appia in coemeterio Calliſti (6).

(1) Hunc *Anaſtaſius* ante Pium collocat.
(2) Omiſſa, *Anaſtaſius*.
(3) Tribus, *Anaſtaſius*.
(4) De corona Clericali conſule *Mabillonium Praefat.* I. *in Saecul.* III. *Benedictin.* §. XVIII.
(5) Sic etiam Iſidoriana Decretalis.
(6) Quaedam Martyrologia apud S. Petrum in Vaticano ſepultum fuiſſe aiunt.

SOter (1), natione Campanus, ex patre Concordio, de Civitate Fundana, ſedit annis novem, menſibus tribus, diebus viginti uno; & ceſſavit diebus viginti duobus. Hic conſtituit, ut nulla Monacha pallas ſanctas tangeret, nec incenſum poneret, in ſancta Eccleſia, & ut velum portet (2). Conſtituit etiam, ut legitima non habeatur uxor, niſi fuerit per ſacerdo-

dotem benedicta, & a parentibus fuerit ſolenniter traducta, & a Paranymphis cuſtodita, cavens multis periculis, quae circa matrimonium ſolent contingere. Hic martyrio coronatus, ſepultus eſt in Vaticano (3) in Eccleſia ſancti Petri.

(1) Graeci *Sotericum* interdum adpellant.
(2) Eadem in Iſidoriana Decretali epiſtola.
(3) In coemeterio Calliſti. *Anaſtaſius*, aliique.

ELeutherius, natione Graecus, ex patre Abundio, de oppido Nicopoli; ſedit annis quindecim, menſibus ſex, diebus quinque; & ceſſavit diebus ſex. Hic accepit epiſtolam a Lucio Rege Britanniae (1), ut Chriſtianus per eius mandatum fieret; & hoc iterum firmavit, ut nulla eſca, quae fieret uſualis, Chriſtianis repudiaretur, maxime fidelibus, quae rationabilis, & humana, eſſet. Cui Papa miſit duos religioſos viros, videlicet Fuganum, & Dimidianum, qui Regem praedictum baptizaverunt, & populum. Erant tunc in Britannia viginti octo Pontifices idolorum, quos Flamines vocabant, inter quos tres Archiflamines erant; ſed praedicti Sancti de mandato Apoſtolici (2), ubi erant Flamines inſtituerunt Epiſcopos; ubi Archiflamines, Archiepiſcopos. Hic quod

Apoſtoli firmaverunt, ſuo decreto renovavit, apud ſanctum Petrum. Hoc tempore Apollinaris Hierapoli, & Dionyſius Corinthi (3) clariſſimi habentur Epiſcopi. Hic etiam beatus Pontifex ſtatuit, ut nullus a ſuo gradu deiiceretur, niſi prius fuerit accuſatus, adſerens, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus Iudam furem eſſe ſciebat, ſed quia non eſt accuſatus, is non eſt deiectus, & quidquid interim inter Apoſtolos egit, miniſterii, ratum manſit. Prohibuit enim, ut abſente eo, cuius cauſa ventilatur, ſententia nullatenus proferatur. Hic martyrio coronatur, ſepultusque eſt in Vaticano, apud ſanctum Petrum (4).

(1) *Beda* id tradit, & de hoc egregie diſſerit *Tillemontius* in *Eleuthero*.

(2) Apoſtolicus adpellabatur olim Pontifex Romanus. Conſule *Macrum*, *Cangium*, *&c.* Hinc in Litaniis: *Vt domnum Apoſtolicum*, *&c.*

(3) De his vide *Hieronymum* in *Catalogo*, & inter recentiores *Tillemontium*, *Caveum*, *Oudinum*, *&c.*

(4) Alii aliter tradunt. Conſule *Tillemontium*.

VIctor, natione Afer, ex patre Felice, ſedit annis decem, menſibus duobus, diebus decem, & ceſſavit diebus duodecim. Hic conſtituit ſanctum Paſcha die Domi-

Dominica celebrari (1). Hic ad ſacerdotum interrogationem de termino Paſchali, celebravit Concilium in Alexandria Palaeſtinae, cui interfuit ipſe Papa Victor (2), Narciſus Patriarcha Ieroſolymorum, Theophilus quoque Ceſareae Epiſcopus, & Irenaeus Epiſcopus Lugdunenſis, ubi ſtatutum eſt, ut ſemper die Dominica Paſcha Domini celebraretur, obſervata decimaquarta luna menſis Aprilis, uſque ad vigeſimam primam; multi enim tunc Epiſcopi Aſiae, & Orientis, cum Iudaeis Paſcha celebrabant. Hic conſtituit, ut neceſſitate faciente, quicumque hominum, ſive in flumine, ſive in mari, tantum chriſtiana confeſſione credulitatis clarificata, baptizarentur (3). Hic ſub Severo Principe, martyrio coronatur, ſepultusque eſt apud ſanctum Petrum in Vaticano; cuius feſtum agitur, v. kalendas Auguſti (4).

(1) De illuſtri hac circa Paſchatis celebrationem controverſia conſule *Baronium*, *Tillemontium*, *Floridum*, & tandem *Natal. Alexandrum Tom.* III. *Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſertat.* V. *in Saecul.* II. Conſule ſuperius in *Pio I.*

(2) Falſum omnino, quemadmodum ea, quae narrat de Irenaeo Lugdunenſi, & rem aliter, ac vere, narrat *Anaſtaſius*. Ceterum Victor Concilio Romae coacto iſta de cauſſa interfuit. Adi *Tillemontium* in *Victore*, haec omnia docte & late pertractantem.

(3) Si

(3) Si haec vere a Victore ſtatuta fuiſſent [nam haec inſtituta Victore antiquiora arbitror] ob adultos praecipue ſancita viderentur. Sciendum enim eſt in antiqua Eccleſia pleroſque baptiſmum in provectam aetatem differre ſolitos fuiſſe, quos tamen reprehendit *Auguſtinus Lib.* I. *Confeſs. Cap.* XI. Id quidem vulgatum eſt, & multis antiquorum teſtimoniis & exemplis confirmari poſſet. Non tamen idcirco *Ang. Maria Riccius*, alias memoratus, in ſcholio ad *Baſilii Magni Homil. De Baptiſmo*, ſimpliciter adfirmare debuerat in primitiva Eccleſia adultis baptiſmum conferri ſolitum: id enim, ſimpliciter loquendo, falſum eſt; nam infantes & parvuli paſſim ac frequenter ſacro hoc lavacro tingebantur, ut ex *Tertulliano Lib. De Baptiſmo*, & *Cypriano Epiſtola ad Fidum*, evidenter conſtat, ut *Auguſtinum*, innumeroſque alios Patres, iſthuc ipſum atteſtantes, ſilentio praeteream; idque pluribus demonſtrarunt Theologi Orthodoxi adverſus Anabaptiſtas diſputantes. Minus quoque verum eſt, quod ad eamdem Homiliam idem adnotat de ſollennis baptiſmi tempore, ubi ait Dominicae Reſurrectionis diem Catechumenorum baptiſmo potiſſimum deſtinatam fuiſſe; quum duo tempora ſollennis baptiſmi aeque principalia ex inſtitutione Apoſtolica fuerint, Paſcha ſcilicet & Pentecoſte, ut ex *Tertull. Lib. De Baptiſmo*, *Chryſoſtomo Serm.* XXXVI. *Hieronymo Epiſt.* LXI. *ad Pammachium*, *Siricio Papa Epiſt. ad Himerium cap.* XI. *Leone Magno Epiſt.* IV. *vel* XVI. & *Epiſt.* LXX. ut *Gelaſium* I. *Gregorium* II. & *Gregorium Turonenſem* amore brevitatis omittam, manifeſte elucet, atque eminet.

(4) De his omnibus conſule laudatum *Tillemontium*.

Ze-

ZEphyrinus, natione Romanus, ex patre Abundio, ſedit annis novem (1), menſibus ſex, diebus decem. Hic conſtituit, in praeſentia omnium Clericorum, & Laicorum fidelium, ut omnes Chriſtiani annorum duodecim Euchariſtiam in die Paſchae accipere debeant (2); & fecit ſtatutum in Eccleſia, ut omnia vaſa Altaris eſſent vitrea, vel ſtagnea (3). Sepultus eſt in coemeterio Papae Calliſti.

(1) Anaſtaſius habet, XVII. menſes II. dies X.

(2) Vereor, ut falſum ſit: nihil enim de hoc *Anaſtaſius*. Immo antiquitus etiam infantes uſu rationis carentes Euchariſtiam ſumebant, ut *Innocentius I.* & *Auguſtinus*, & *Tridentina Synodus* docent, ut alios omittam.

(3) Incerta haec, vel falſa. Ceterum de materia ſacrorum vaſorum conſule *Bonam De reb. Liturg.* & *Mabillon. in Ordin. Roman.* & *Leonem* noſtrum inferius in *Vrbano*.

CAlliſtus primus, natione Ravennata (1), ex patre Demetrio (2), ſedit annis quinque (3), menſibus duobus, diebus decem; & ceſſavit diebus ſex. Hic fecit Baſilicam ſanctae Mariae trans Tiberim, & conſtituit ieiunia quatuor temporum (4). Hic fecit coemeterium in via Appia, quod modo vocatur coemeterium Calliſti (5); ubi quam plurima multitudo (6) Martyrum eſt ſepul-

ſepulta. Hic martyrio coronatus, ſepultus in coemeterio (7) ſuo.

(1) *Anaſtaſius* habet *Vrberavennatio*.

(2) *Domitio*, apud *Anaſtaſium*.

(3) *Anaſtaſius* VI.

(4) De quatuor temporum ieiunii origine & hiſtoria conſule differentem *Nat. Alexandrum Tom.* III. *Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſertat.* IV. in *Saecul.* II. *Art.* IV. video tamen *Vignolium* hanc inſtitutionem tamquam a Calliſto factam recipere, & in rem melius non inquirere.

(5) Conſule de hoc *Aringhum*, & *Tillemontium*, qui antiquius hoc coemeterium exiſtimant.

(6) Sunt qui cenſeant ibi ſepulta eſſe CLXXIV millia Martyrum, & XLVI. Pontifices.

(7) *Anaſtaſius*, *in Coemeterio Calepodii*.

VRbanus primus, natione Romanus; ex patre Pontiano, de Via lata; ſedit annis octo, menſibus novem (1), diebus decem, & ceſſavit diebus decem, & ſex (2). Hic fecit miniſteria ſacrata omnia argentea, vel aurea, vel ſtagnea (3); & convertit multos ad baptiſmum, & etiam Valerianum, nobiliſſimum virum, ſponſum ſanctae Caeciliae (4), quos uſque ad martyrii palmam perduxit. Hic ſucceſſor Calliſti Papae, dum praedicationi, & baptizationi fidelium, inſiſteret, capitur, & poſt carceris ſqualorem decollatur.

(1) *Anaſtaſius*, XI. dies XII.

(2) *Anaſtaſius*, dies XXX.

(3) Ita quoque ſuperius in *Zephyrino*, pro *Stamnea*.

(4) Vide *Tillemontium* in *Vrbano I.* & *Ant. Boſium* in *Act. S. Caeciliae*.

POntianus (1) ſedit annis quinque, menſibus duobus, diebus decem, & tribus, & ceſſavit diebus decem. Hic natione Romanus, ex patre Calpurnio, portatus fuit in exsilium in inſulam Sardiniae; martyrio coronatur (2); quem beatus Fabianus adduxit per navem in (3) Romam, & ſepelivit in coemeterio Calliſti via Appia (4). Pontiano dicitur ſucceſſiſſe Cyriacus Papa (5); ſed quod dictus Cyriacus adhaeſit undecim millibus Virginum, non ponitur in catalogo Pontificum, & dicitur ſediſſe uno anno, & menſibus tribus; ſed quia contra voluntatem cleri ceſſit de Papatu Anterum ſubſtituendo, & cum undecim millibus Virginum, quas Romae baptizaverat, Agrippinam tendendo, non eſt poſitus in catalogo Pontificum; credebant enim quamplures, eum non propter devotionem, ſed propter oblectamenta Virginum Papatum dimiſiſſe; quum tamen ille virgo exsiſtens, cum Virginibus martyrio fuit coronatus, ſicut legitur in legenda undecim millium Virginum.

(1) Apud

(1) Apud *Anaſtaſium* Anteros Pontianum praecedit. Sed ex ipſo *Anaſtaſio* conſtat Anterum Pontiani ſucceſſorem fuiſſe.

(2) *Anaſtaſius, dies duos.*

(3) Ita Graeci motum ad locum cum praepoſitione conſtruunt.

(4) Conſule *Tillemontium*, & *Florentinium ad vetus Martyrologium.*

(5) Conſule *Baronium* ad *Martyrol.* & *Bollandum.*

(6) Id totum fabuloſum eſt: nam etſi vera eſſet XIM. Virginum hiſtoria, tamen id tempore multo poſteriori contigiſſet. Conſule *Baronium* in *Notis* ad *Martyrolog. die* XXI. *Octobr.* & *Tillemontium* in *Antero*, & *Maimburgum* in *Gregorio I.*

ANteros, natione Graecus; ſedit annis tribus (1), menſe uno, diebus vigintiquinque (2). Hic conſtituit, ut Epiſcopi de ſede in ſedem transferri poſſent (3), & ut geſta Martyrum ſcriberentur (4). Hic martyrio coronatus, ſepultus eſt in coemeterio Calliſti.

(1) *Anaſtaſius, XII.*

(2) *Anaſtaſius, XII.*

(3) Haec quoque in apocrypha Iſidoriana Decretali. Aliter tamen ſe habuit antiqua diſciplina, ut patet ex *Concil. Arelaten. Can.* XXII. *Nicaeno Can.* XV. *Sardicenſi Can.* I. *Chalcedonenſi Can.* VI.

(4) Vide mox in *Fabiano*. Ceterum de Notariis, & actis Martyrum conſule, quae habet *Baronius Prolegomenis in Martyrolog. Mabillon. Praefat. in Saecul.* V. *Benedict. Ruinart. de Actis ſinceris*, ut alios taceam.

Fa-

FAbianus, natione Romanus, ex patre Fabio, ſedit annis tredecim (1), menſibus undecim, diebus undecim. Iſte Fabianus, quum de quodam loco cum amicis ſuis reverteretur, Papa defuncto, & acceſſiſſet ad populum, qui de futuri electione tractabat, rei exitum expectans, ſubito candida columba deſcendens, ſuper caput eius reſedit dicens (2): *Romae Epiſcopus ordinaberis*; quare ſic divinitus electus, ſtatuit ſeptem Notarios, ut geſta Martyrum conſcriberent (3), & ut omni anno in Coena Domini conſecraretur Chriſma. Hic Pontifex martyrio coronatur, ſepultuſque eſt in coemeterio Calliſti. Novatianus (4) haereticus, Presbyter, Eccleſiae Romanae ambiens Epiſcopatum, haereticus factus eſt tempore Decii Imperatoris, contra quem Concilium in Vrbe celebratum eſt quinquaginta Epiſcoporum. Hic Haereticus lapſis ſpem veniae denegabat, unde in Concilio hoc, reprobando ſtatuerunt, ut lapſis miſericorditer venia promitteretur, dummodo per poenitentiam revertantur.

(1) *Anaſtaſius*, XIV. menſes X.

(2) Vide hanc hiſtoriam apud *Euſebium Lib.* VI. *Hiſtor. Eccleſ. Cap.* XXIX.

(3) Haec Notariorum hiſtoria reiicienda non videtur. Conſule *Tillemont.* in *Fabiano*.

(4) De

(4) De *Novatiano* conſule *Tillemont.* in *Cornelio Papa*; Novatianorumque hiſtoriam vide apud eumdem *Tom.* II. *Hiſt. Eccleſ.* Hic *Novatianus* auctor creditur Libri de Trinitate, qui cum Tertulliani operibus circumfertur; ſed conſule quae de hoc diſputat *Nat. Alexander Tom.* III. *Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſert.* XI. *in Saecul.* II. *Artic.* IV. ut nihil de *Caveo*, *Oudino*, aliiſque dicam. Ceterum eius Schiſma ſub Cornelio Pontifice exordium ſumſit.

CORnelius, natione Romanus, ex Patre Iuſtino (1); ſedit annis tribus, menſibus duobus, diebus decem. Hic conſtituit, ut ſacerdotes ſi vellent pro certa cauſa iurare poſſent. Hic rogatus a ſancta Lucina, corpora beatorum Apoſtolorum (2) Petri, & Pauli, de Catacumbis levavit (3); & beata Lucina corpus beati Pauli poſuit in praedio ſuo, in via Oſtienſi; beati, autem Petri corpus, beatus Cornelius poſuit iuxta locum, ubi crucifixus eſt in templo Apollinis, in Vaticano Palatio Neronis. Poſt haec iubente Decio Imperatore, martyrio coronatur.

(1) *Anaſtaſius*, *Caſtino*.
(2) Vide quae ad Pontificale adnotat *Vignolius*.
(3) Conſule ſuperius in *Petro pag.* 40.

LVcius primus, natione Romanus, ex patre Porphyrio (1); ſedit annis quatuor (2), menſibus duobus, diebus tribus.

Hic

Hic primum in exſilio fuit, demum ad Eccleſiam ſuam reverſus, a Valeriano Imperatore capite truncatus eſt.

(1) Quidam *Anaſtaſii* Codices: *Lucius natione Tuſcus, de Civitate Luca, ex patre Lucino.* Conſule *Tillemont.* in *Cypriano Art.* XXXII.

(2) *Anaſtaſ.* III. *menſes* VIII. &c.

STephanus, natione Romanus, ex Patre Iuliano (1); ſedit annis quatuor, menſibus duobus, diebus quindecim (2). Hic dum multos Gentilium convertiſſet (3), & multa corpora Martyrum ſepeliſſet, comprehenſum poſt templi Idolorum ruinam, Miſſam celebrantem, decollaverunt in ſua ſede (4).

(1) *Anaſtaſ. Iulio.*

(2) *Anaſtaſius*, x.

(3) Ex Actis apud *Baronium.*

(4) Eius corpus una cum Cathedra translatum eſt Piſas. Conſule *Breviarium Romanum.*

XYſtus ſecundus, natione Graecus, ex patre Sophor (1); ſedit annis duobus, menſibus undecim, diebus quinque (2), & ceſſavit diebus ſedecim (3). Hic conſtituit, ut Miſſa celebraretur ſuper altare, quod antea non fiebat. Hic cum Feliciſſi-

mo, & Agapito (4), Decio (5) praeſentati, capite truncati ſunt, quos beatus Laurentius, & Hippolytus, cum multis aliis, per martyrium ſequuti ſunt.

(1) *Anaſtaſ. ex Philoſopho.*
(2) *Anaſtaſ.* VI.
(3) *Anaſtaſius*, XXXV.
(4) Ex Actis S. Laurentii. Vide *Tillemont.*
(5) Paſſus eſt ſub Valeriano. Conſule *Tillemont.*

DIonyſius, ex Monacho, cuius genus non invenitur, ſedit annis duobus, menſibus tribus (1), & ceſſavit diebus octo (2).

(1) *Anaſtaſius*, *dies* VII.
(2) *Anaſtaſ.* V.

FElix, primus, natione Romanus, ex patre Conſtantio; ſedit annis duobus, menſibus decem (1), de regione Capitis Tauri, & ceſſavit diebus tribus (2). Hic conſtituit ſupra memorias (3) Martyrum Miſſas celebrari Hic fecit Baſilicam in via Aurelia, miliario ab Vrbe, ibique ſepultus eſt (4).

(1) *Anaſtaſius*, dies XXV.
(2) *Anaſtaſ.* V.

(3) Me-

(3) Memoriae Martyrum dicebantur ſepulcra ſive altaria, in honorem Martyrum erecta, & etiam aedes. Conſule *Baronium ad ann.* CCLXXV. Vide ſupra in *Anacleto pag.* 48. ubi pariter de memoria beati Petri mentio.

(4) In coemeterio Calliſti. *Tillemont.*

EVtychianus, natione Tuſcus, de Civitate Luna (1), ex patre Marino; ſedit annis octo, menſibus decem, diebus quatuor. Hic conſtituit, ut fruges ſuper altare, & fabae primae, benedicerentur. Hic ſanctiſſimus Papa trecentos quadraginta duos(2) Martyres per diverſa loca, manu ſua ſepelivit. Et hic conſtituit, ut quicumque ex fidelibus Martyrem ſepeliret ſine Dalmatica, aut Colobio (3) purpurato, nullatenus ſepeliret. Hic martyrio coronatur. Sepultus eſt enim in coemeterio Calliſti, octavo kalendas Auguſti.

(1) Conſule *Tillemont. Tom.* IV. in *Felice Papa* I.

(2) CCCLXII. Vide *Tillemont. Tom.* IV.

(3) Dalmatica, & Colobium, quae & quales veſtes fuerint, vide apud *Gavantum De Ritib. Macrum Hierolexico*, *Cangium Gloſſario*. Conſule etiam *Vignolium* ad hunc Pontificem, & ad *S. Silveſtrum*: & *Salmaſ. ad Hiſtor. Auguſt.*

CAius natione Dalmata, ex genere Diocletiani, ex patre Gallo (1); ſedit annis novem (2), menſibus quatuor, diebus

undecim (3), & ceſſavit diebus novem (4). Hic conſtituit, ut omnes ordines in Eccleſia ſic adſcenderent, ut ſi aliquis dignus fuiſſet, primo Oſtiarius, Lector, Exorciſta, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Sacerdos, deinde Epiſcopus, ordinaretur. Martyrio coronatur, & via Appia in coemeterio Calliſti ſepelitur. Hic conſtituit ut nemo Epiſcopum, aut aliquos Clericos, ante iudices ſaeculares accuſare praeſumat. Et etiam quod Pagani, & Haeretici, Chriſtianos non poſſint accuſare, nec vocem infamationis inferre (5).

(1) *Gaio*, habet, & *d.* VII. *Anaſtaſius*.
(2) *Anaſtaſius*, XI.
(3) IX. *Anaſtaſius*.
(4) *Anaſtaſius*, XI.
(5) In apocrypha etiam Iſidori epiſtola id habetur.

MArcellinus primus, natione Romanus, ex patre Proiecto, de regione Capitis Tauri, ſedit annis (1) quinque menſibus duobus (2), diebus viginti quinque; & ceſſavit Epiſcopatus, annis ſeptem, menſibus ſex, diebus viginti quinque. Hic a Diocletiano Imperatore compulſus incenſum (3) poſuit Idolis; poſtea Synodo facta propter hoc in Campania, ore proprio poenituit coram trecentis octoginta Epiſcopis;

& ci-

& cinere aſperſus capite, & cilicio indutus, poenitentiam egit, dicens ſe peccaſſe. Tunc iratus Diocletianus, fecit eum decollari, qui ſepultus eſt in coemeterio Priſcillae, via Salaria, martyrio coronatus. Coniuraverat autem beatus Marcellinus Marcellum Presbyterum, qui conſequenter poſt ipſum Papa factus eſt, ut praeceptum Diocletiani de immolatione non adimpleret. Poſtquam autem beatus Marcellinus decollatus eſt, & corpus ipſius per triginta dies in platea iacuerat in exemplum Chriſtianis, Marcellus Presbyter in nocte cum Presbyteris, & Diaconibus, cum hymnis, & ſancta Lucina cum ipſis, ſepelierunt illud. Sed & hoc de eo invenitur, quod, quum ſe in concilio (4) Epiſcopis iudicandum ſubpoſuiſſet, dicens ſe paratum ad omnia obedire quicquid ſibi imponeretur, illi reſponderunt, *Abſit, ut ſummus Pontifex ab aliquo alio iudicetur: negaſti tu, negavit & Petrus magiſter tuus; & quis Apoſtolorum auſus fuit ipſum iudicare? Sed egreſſus foras flevit amare. Tu ergo collige cauſam tuam, & ore proprio te ipſum iudica.* Ad hoc Marcellinus. *Ob*, inquit, *ſcelus Idololatriae iudico me deponendum; anathematizo etiam, quicumque corpus meum tradiderit ſepulturae.* Et flens dixit; *Heu me avarum corrupit aurum, & non poſſum in ſa-*

cerdotio remanere. Sicque pergens ad Diocletianum, profitens ſe chriſtianum, cum Claudio, & Quirino, capitalem accepit ſententiam; &, quum per triginta dies corpus eius iacuiſſet inhumatum, nocte adparuit Apoſtolus Petrus Marcello, qui in Papatu ſibi ſucceſſit, dicens; *Marcelle dormis?* Et ille quum dixiſset; *Quis es Domine?* Reſpondit; *Ego ſum Princeps Apoſtolorum; & quare corpus meum inhumatum relinquis?* Dans ei intelligere hoc dictum de corpore Marcellini; & addidit: *Non legiſti, quia, qui ſe humiliat exſaltabitur? Denique multam ſe humiliavit, qui ſe indignum ſepulturae iudicavit. Vade ergo, & ſepeli eum iuxta me; ut quos iuſtificavit gratia, non dividat ſepultura.*

(1) *Anaſtaſ.* VIII.
(2) XI. *Anaſtaſ.*
(3) *Incenſum* eſt, quod Graece ὁλόκαυστον. Sed nos pro *ture* uſurpamus, quod pariter totum inceditur.
(4) Hiſtoria haec Sinveſſani Concilii, fabula ab eruditis merito reputatur. De hac & de Marcellino, vide quae late diſputat *Tillemontius Tom.* V. *in Perſequut. Diocletiani Art.* XXXI. & in *Notis*. Conſule etiam *Natalem Alexandrum Tom.* III. *Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſertat.* XX. *in Saecul.* XI.

Mar-

Marcellus natione Romanus, ex patre Benedicto, de regione Via lata, ſedit (1) annis quinque, diebus vigintiduobus; & ceſsavit diebus vigintiquinque (2). Hic conſtituit quindecim Cardinalatus (3) in urbe Roma, propter baptiſmum, & ſepulturas hominum. Huic praeceptum eſt a Maxentio Imperatore, ut, quia Diis ſacrificare nollet, iumenta, & animalia cuſtodiret; nocte vero, eius clerici eduxerunt eum de ſtabulo. Sed quum conſecraſset domum ſanctae Lucinae in eccleſiam, in Via lata, Maxentius turbatus, de Eccleſia ſtabulum faciens, ipſum ſub cuſtodia publica, ut cuſtodiret animalia, intus recluſit; ibique defunctus (4) in coemeterio Priſcillae via Salaria ſepelitur.

(1) *Anaſtaſius: ſedit annis* V. *menſibus* VI. *diebus* XXI.

(2) *Anaſtaſius*, XX.

(3) *Anaſtaſius*: XXV. *titulos in Vrbe Roma conſtituit.* Leo Cardinalatus adpellat, quod horum titulorum Presbyteri, Cardinales deinde vocati fuerint. Sed de titulis Romae, & Cardinalibus, vide quae in anteceſſum diſſeruimus. Ceterum haec Marcelli conſtitutio incerta admodum.

(4) Haec obſcura, & incerta.

EVſebius natione Graecus, ex Medico (1); ſedit annis duobus, menſibus duobus (2) diebus vigintiquinque; & ceſſavit diebus ſeptem.

(1) Patre, ſcilicet. Conſule *Vignolium*.
(2) Vno, habet *Anaſtaſius*.

MElchiades (1), natione Afer; ſedit annis tribus, menſibus ſex (2), & ceſsavit diebus ſedecim. Hic conſtituit, ut nulla ratione ageretur ieiunium die Dominico, vel die Iovis (3), quia eos dies Pagani, quaſi ſacrum ieiunium, celebrabant.

(1) Alias *Miltiades*.
(2) *Anaſtaſius*. Menſibus VII. diebus XII.
(3) Id falſum aperte evincitur ex eo, quod mos feria IV. ieiunandi etiam in poſteriora tempora derivatus eſt, ut elucet ex *Diſſert.* IV. *in Saecul.* II. *Natalis Alexandri Tom.* III. *Hiſtor. Eccleſ.*

SIlveſter primus, natione Romanus, ex patre Rufino; ſedit annis viginti tribus, menſibus decem, diebus ſex (1), & ceſsavit diebus quindecim. Huius praecepto (2) in Nicaea Bithyniae congregati ſunt trecenti & duodeviginti Epiſcopi Catholici (3), qui expoſuerunt fidem Catholicam integram; & multa decreta conſtituit (4). Hic baptizavit Conſtantinum Imperatorem, validа

lida ſqualidiſſima lepra percuſsum, qui ſtatim a lepra ſanatus eſt (5). Eodem tempore Conſtantinus Auguſtus fecit Basilicam beato Laurentio martyri via Tiburtina; conſtruxit etiam Eccleſiam inter Palatium Lateranenſe Salvatoris noſtri, duodecim cophinos terrae propriis humeris deportando; quam Ecclesiam cenſuit eſse in toto orbe Matrem Ecclesiarum. Conſtruxit etiam Ecclesias beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, quas auro, argentoque, locupletavit, & thecis pretioſiſſimis ipſorum corpora recondendo. Poſtquam autem beatus Silveſter a draconis peſtilentia Romam liberavit, maxima pars urbis baptizata eſt (6). Quotidie enim draco ſex millia hominum flatu ſuo interficiebat, ad quem beatus Silveſter per centum quinquaginta gradus cum Presbyteris deſcendit, & facta oratione, & signo crucis, ipſum ligatum aereis portis conclusit; & uſque ad diem iudicii ſeris obfirmavit. Hic conſtituit, ut Diaconi dalmaticis uterentur. Hic glorioſus Pontifex, poſt multa miracula, & virtutes, quas geſſit, in domino feliciter obdormivit circa annos Domini tercentum viginti (7). His temporibus, multae gentes in Chriſtum crediderunt. Gens Iberorum per mulierem Chriſtianam, ab eis captam, converſa eſt (8); ſimiliter in In-

India per duos pueros (9) Chriſtianos Chriſtus adnuntiatur. Hic Papa Silveſter primo recepit poſſeſſiones (10). (11)

(1) *Anaſtaſius* XII.

(2) Conſule *Natal. Alexandrum Tom.* V. *Hiſtor. Eccleſ. Diſſert.* XI.

(3) Fabuloſum & enormem horum Patrum numerum iuxta quosdam Orientales vide apud *Renaudot. Hiſtor. Patriarch. Alexandr.*

(4) Viginti dumtaxat canones a Synodo Nicaena conditi ſunt. Conſule *Natal. Alexandrum Tom.* IV. *Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſert.* XVIII.

(5) Id iam totum falſum eſſe viri longe doctiſſimi, & ὀρθοδοξότατοι, evicerunt, *Natal. Alexander*, *Tillemontius*, *Bollandiani*, aliique. Narrationis origo ex falſis S. Silveſtri Actis, quamquam antiquis, defluxit. Conſtantinus enim Nicomediae ſub vitae exitum baptizatus eſt.

(6) Ad fabellas iterum divertit falſa Acta ſequutus.

(7) Mortuus eſt iuxta *Tillemontium* anno CCCXXXV.

(8) Conſule *Rufinum Lib. I. Cap. X.* ut *Baronium*, alioſque omittam.

(9) Frumentium, & AEdeſium. Adi *Tillemontium T.* VII. in *S. Frumentio*, & *Floridum Lib.* XI. *Hiſtor. Eccleſ.* ut alios praeteream.

(10) Quas receperit vide apud *Anaſtaſium*, & *Natal. Alexandrum Tom.* IV. *Hiſtor. Eccleſ. Diſſert.* XXV.

(11) Arretina Eccleſia credit ſervare in ſuo Archivo privilegium quoddam ſibi a beato Silveſtro conceſſum, ut ex Catalogo eorumdem privilegiorum intellexi; ſed quum chartam ipſe non viderim, & vetuſtus

tuſtas admodum ſubſpecta ſit; & non unus fuerit huius nominis Pontifex, ſuffecerit hanc quorumdam credulitatem hic commemoraſſe.

MArcus, natione Romanus, ex patre Priſco, ſedit annis duobus, menſibus octo, diebus viginti. Hic conſtituit, ut Epiſcopus Oſtienſis, qui Papam conſecrat, pallio (1) uteretur (2).

(1) Pallium quid ſit vide apud iuris Canonici Inſtitutionum Scriptores, alioſque de ritibus agentes.

(2) De hac conſtitutione conſule quae habet *Tillemontius* in *Marco*.

IVlius, natione Romanus, ex patre Ruſtico; ſedit annis undecim, menſibus duobus (1), & ceſſavit diebus quindecim (2). Hic conſtituit, ut nullus clericus ad cauſam in publico ducatur, niſi in Eccleſia. Tempore huius celebrata eſt ſecunda Synodus Nicaena trecentorum & duodeviginti (3) Epiſcoporum, in qua damnata eſt haereſis Arii, qui adſerebat Filium minorem Patre (4). Hoc factum eſt vivente adhuc Conſtantino Auguſto. Huius tempore floruerunt, Hilarius Pictavienſis, & Athanaſius, & Ioannes Chryſoſtomus (5), & multi alii Sancti, & Eremitae (6), ut Moyſes, & Paſtor Abbas (7). Quod de Hilario

rio (8) Pictavienſi ſolet dici, quod Leo haereticus Papa dixerit Hilario; *Tu es Gallus, ſed non de Gallia*: & ipſe dicitur reſpondiſse; *Tu es Leo, ſed non de Tribu Iuda*. Et quod in Concilio, nullo sibi adſurgente, dixit; *Domini eſt terra*; volens in terra reſidere, terra ſe erexit. Quod etiam Papa sibi minante, sicut praedixerat, Hilarius ſubito exſpiravit, hoc in nullis chronicis invenitur; maxime quum ſuo tempore nullus Leo Papa vocaretur, nisi forte Liberius (9) Papa, qui Conſtantio Imperatori haeretico, & ſuis favebat (10), Leo alio nomine dictus sit, vel forte aliquis alius falſus Papa dictus sit tunc Leo. Iulius vero Papa poſt exsilium decem annorum (11), & poſt multas tribulationes, quas a Conſtantio Imperatore paſsus eſt, poſt mortem eius ad ſedem beati Petri cum gloria reverſus eſt, & fecit duas Baſilicas, unam in Foro, aliam in ſancti Valentini via Flaminia. His temporibus Athanaſius (12) ſanctiſſimus Epiſcopus, Alexandria fugiens perſequutionem Conſtantii Imperatoris, & receptus in Treverim a Maximiano (13), ibidem compoſuit Symbolum, *Quicumque vult ſalvus eſſe* (14).

(1) *Anaſtaſ.* diebus XI.

(2) *Anaſtaſ.* XXV. *Graveſonius* duos menſes, & dies aliquos.

(3) Me-

(3) Metachroniſmus; nam Synodus Nicaena coacta eſt ſub Silveſtro anno CCCXXV. quae quidem prima fuit, & non ſecunda, quae anno demum DCCLXXXVII. celebrata eſt. Vide ſuperius in *Silveſtro*.

(4) Impius quidem Arius ita delirabat: quum autem veritas prevaluiſſet, ita contrarium demonſtratum eſt, ut Patres omnes orthodoxi de Verbo ſemper tamquam Patri aequali, & conſubſtantiali, loquuti fuerint, & ſplendidis adeo magnificiſque vocabulis ejus divinitatem ſignificaverint, ut ea quoque impenderint, quae Patri tantum propriè convenire videbantur. Nam ſaepe ab *Athanaſio* in *Protreptico*, & alibi, *αὐτοσοφία*, *αὐτοζωὴ*, *αὐτοαρετὴ*, *αὐταλήθεια*, & id genus nominibus, adpellatus eſt, hoc eſt, *ipſa per ſe & a ſe ipſa ſapientia*, *ipſa per ſe vita*, *ipſa per ſe virtus*, *ipſa per ſe lux*, *ipſa per ſe veritas*, quae quidem nihil aliud deſignant, quam *ipſum per ſe & a ſe ipſo Deum*, ut Theologi doctiſſimi animadvertunt. Tamen vox illa *αὐτόθεος*, haud facile apud Patres occurrat, quum de Dei Sermone loquuntur; nam ut monebat *Origenes Commentar. in Ioan.* *αὐτόθεος* addito articulo *ὁ* ſoli Deo Patri convenire dignoſcitur. Nihilominus *Andreas* Cretenſis ea oratione, quam primus *Ang. Maria Riccius*, Graecarum litterarum in Florentina Academia Profeſſor, Graece ac Latine edidit, & quae eſt *De Deiparae nativitate*, Ieſum Chriſtum adpellat *τὸν αὐτύθεον*, & *τὸν αὐτοκύριον*; quin & ſuo quodam iure, *τὸν ὑπέρθεον*, & peculiari quidem, ut videtur, intellectu; quam vocem interpres, ut potuit, *Altiſſimus Deus* vertit, & quidem recte, & *Andreae* ſententiae congruenter. Quamquam alibi *diviniſſimus* vertendo, intimam minus nominis ſignificationem expreſſit.

preſſit. Qui enim aliter adeo inſolens vocabulum, quum de Chriſto agitur, convertatur? Ita quoque difficile latine convertantur vocabula illa ὑπερουσίως & ὑπερκόσμιος, quae video ab Interprete haud feliciter transferri; & quidem eo magis ſi dicendi novitas barbariesque evitetur, adeoque *ſupereſſentialiter*, & *ſupermundanus* haudquaquam feratur. Illa igitur etiam αὐτόθεος & αὐτοκύριος languidiori expreſſione idem Interpres tranſtulit, *Ipſe Deus*, & *Ipſe Dominus*, vertere contentus. Nam quemadmodum αὐτοδίδακτος, eſt qui *ex ſeipſo doctus* evaſit, & αὐτογνώμων, qui *per ſe cognoſcit*, & ſexcenta id genus alia, ut Grammaticorum filii docent; ita αὐτόθεος, & αὐτοκύριος, eſt *a ſe ipſo Deus*, & *a ſe ipſo Dominus*; quod quidem de Filio etiam enunciari poteſt, non proceſſionem ex Patre negando, ſed participationem divinitatis, tamquam habitum & adfectionem, ut eſt in creaturis, excludendo. Non enim Filius participationem divinitatis accipit, hoc eſt naturam ad archetypae & primigeniae alius exemplar expreſſam; ſed archetypum ipſum. Inſuper interpretando *ipſe Deus*, *&c.* non tam evidenter Arianiſmus impugnatur, quod praecipue reſpicit *Andreas*. Nam quum Platonici, & Theologi etiam quidam Chriſtiani, ut *Pſeudo-Dionyſius Areopagita*, ideas rerum, ſcilicet exemplaria generalia a particularibus ſeparata, quae quidem creata ſunt, ſimilibus vocibus indicare conſueverint, ut αὐτοζωή, αὐτοφῶς &c. *ipſa vita*, *ipſa lux*: facile Arianus Verbum *ipſum Deum*, *ipſum Dominum*, adpellaret, nec ſuae ſententiae contraire exiſtimaret. Et quidem ſunt viri longe doctiſſimi, qui cenſeant, *Origenem*, & *Euſebium* Caeſarienſem, non alio ſenſu Verbum αὐτοσοφίαν, & αὐτοφῶς adpellaviſſe; adeoque in prava, & haeretica, ſententia per-

man-

manſiſſe. Ceterum *ipſorum*, vel *ipſiſſimorum*, ut *Dionyſ. Petavius* dicere amat, *myſteriorum*, erat e contra vertendum in *Andreae* Cretenſis memorata oratione, ubi τῶν αὐτομυστηρίων legitur, niſi mendum inrepſerit, non vero, *eorum, quae ibidem ſunt, myſteriorum*, ut *Riccius* quidem contra Auctoris ſententiam, & Grammaticorum praecepta, interpretatur. Et quidem ita ſe explicare voluiſſe *Andream* patet iis, qui nulla preſſi caligine oculos, eum *Pſeudo-Dionyſii* veſtigiis inſiſtentem, paſſim πλατωνίζειν clare perſpiciunt.

(5) Hilarius Pictavienſis natus eſt anno CCCLXI. adeoque non floruit ſub Iulio. Ioannes quoque Chryſoſtomus poſterior eſt, utpote natus anno CCCLIV.

(6) Conſule *Tillemont. in Iulio*, & *Athanaſio*.

(7) *Paſtor*, Graece *Poemen*, Abbas anno CCCLXXV. vixit diverſus ab alio Poemene Abbate, qui ſaeculo V mortuus, inter ſolitarios maxime claruit. Ceterum de Poemene, & Moyſe, adi egregie differentem *Tillemontium*.

(8) Ecce ridiculam exſibilandamque mileſiam; qualem & ipſe *Leo* noſter adgnoſcit, & quam tamen Anonymus quidam, inter Germanicos Scriptores editus, referre, cenſura minime adpoſita, non erubuit.

(9) Neſcio an haec fabula ortum duxerit ex anathematibus, quae Hilarius Liberio dicit, quum profert Epiſtolam Liberii ad Orientales, habeturque inter *Hilarii* fragmenta. Conſule *Tillemont. in Hiſtor. Arianorum*, *nota* LIV.

(10) Liberius male audit ob confirmatam Arianam formulam, Arianam ſcilicet, non rei, ſed temporis conditione. Adi *Natal. Alexandrum*, *Baronium*, *Tillemontium*, &c.

(11) Fal-

(11) Falſum id, conſule *Baronium*, & *Tillemontium*.

(12) Adi *Tillemontium* in *Iulio* & *Athanaſio*.

(13) A Sancto Maximino Epiſcopo Treviris, & Conſtantino Caeſare. Vide *Tillemontium* in *S. Maximino*, & *Athanaſio*.

(14) Hoc ſymbolum ab *Athanaſio* compoſitum non fuiſſe evidentius eſt, quam oporteat demonſtrare. Conſule *Natal. Alexandrum*, *Tillemontium*, *Voſſium De tribus Symbolis*, *Caveum*, *Oudinum*, *&c.*

LIberius, natione Romanus, ex patre Auguſto, de Via lata; ſedit annis ſedecim (1), menſibus novem, diebus tribus, & ceſſavit diebus vigintiquinque. Hic in exſilium deportatus eſt a Conſtantio Auguſto, eo quod noluiſſet haereſi Arianae conſentire. Et fuit in exsilio tribus annis, quo exsiſtente in exsilio, Clerus Romanus de consilio dicti Liberii ordinavit Felicem (2) Presbyterum in Papam, virum venerabilem, quo Felice celebrante Concilium, invenit intereſſe duos Presbyteros Ariana haeresi infectos, necnon Imperatoris Conſtantii familiares, videlicet Vrſatium, & Valentem, & eiecit ipſos de Concilio quadraginta octo Epiſcoporum. Poſt paucos vero dies provocati contra Felicem, rogaverunt Conſtantium Imperatorem, ut revocaret Liberium de exsilio tamquam ipſis magis conſentaneum. Liberius autem ut prae-

praeceptis haeretici adſenſum dedit, de exſilio eſt revocatus. Imperator vero convocato Concilio, cum haereticis Arianis, & Vrſacio, & Valente, Felicem de Papatu, qui erat catholicus, eiecit, & Liberium, qui ſibi, & Arianis, conſenſerat, repoſuit in ſede; & ſic infelix Liberius Baſilicam ſancti Petri, & ſancti Pauli, & ſancti Laurentii, vi tenuit ſex annis, & fuit tunc perſequutio magna Romae, ita ut Clerici Liberio contrarii martyrio coronarentur. Paſſus eſt tunc Euſebius in urbe, quia Liberium eſſe haereticum declarabat (3).

(1) *Anaſtaſius*, X. *menſes* VII. &c.

(2) Liberii & Felicis Pontificum ſinceram hiſtoriam lege apud *Tillemontium* doctiſſimum; & quid de Felicis Pontificatu cenſendum ſit, vide apud *Natal. Alexandrum Tom.* IV. *Hiſtor. Eccleſiaſtic. Diſſertat.* XXXII.

(3) Quomodo Liberius ab haereſi defendatur, vide apud *Baronium*, *&* *Natalem Alexandrum Hiſtor. Eccleſiaſt. Tom.* IV. *Diſſert.* XXXII. & *Tillemontium*.

FElix, natione Romanus, ex patre Anaſtaſio, ſedit anno uno (1). Hic fuit catholicus, & conſtituit ut Epiſcopus vocatus ad Concilium veniat. Hic declaravit Conſtantium filium Conſtantini eſſe haereticum, & fuiſſe rebaptizatum ab Euſebio

Nicomedienſi Epiſcopo ; & propter hoc ab eodem Conſtantio de Papatu depoſitus, capitis decollatione, martyrio coronatur (2) IV. Kalendas Auguſti.

(1) *Anaſtaſius*, ſedit anno I, menſibus II.
(2) Conſule *Vignolium* ad *Pontificale*.

DAmaſus primus, natione Hiſpanus, ex patre Antonio, ſedit annis decem, & octo, menſibus duobus, diebus decem et ceſſavit diebus triginta uno. Hic elegans in verſibus componendis ingenium habuit, multaque, & brevia, opuſcula heroico metro edidit. Huic ſanctiſſimo viro beatus Hieronymus multa Eccleſiaſticae Religionis ſcripta miſit, inter quae & duos verſus ſcripſit, *Gloria Patri*, & *Sicut erat* (1). Hic etiam conſtituit, ut pſalmi die noctuque canerentur, & ut chori in duas partes diviſi alternatim pſalmos cantarent (2). Huius tempore floruit beatus Ambroſius Mediolani ordinatus Epiſcopus; omnes in Italia convertuntur ad Chriſtum (3). Item Baſilius Caeſarienſis, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, ſanctus Martinus, Iſidorus (4). Ambroſius ritum canendi in eccleſia antiphonas inſtituit (5).

(1) Falſum, ut arbitror. Adi *Gavantum De Ritib.*

(2) Fal-

(2) Falſum, ſi *Auguſtino* credimus. Conſule *Bonam in Pſalmodia*, & *Tillemontium in Ambroſio*, & *Floridum Tom.* . . . . *Hiſtor. Eccleſiaſt.*

(4) Conſule *Prudentium adverſus Symmachum*.

(4) *Iſidorus* Pelusiota Ioannis Chryſoſtomi diſcipulus, quamquam paulo poſterius floruit.

(5) Adi *Auguſtinum* Confeſs. *Lib.* IX. *Cap.* VII.

SIricius, natione Romanus, ex patre Tiburtio, ſedit annis quindecim, menſibus undecim, diebus vigintiquinque; & ceſſavit diebus viginti. Hic ſecundam Synodum Conſtantinopoli celebravit, cum trecentis quinquaginta Epiſcopis (1). Huius tempore Hieronymus Bibliam tranſtulit (2) de Ebraeo in Latinum. Per idem tempus Paula multum nobilis Romana, cum filia ſua Euſtochio, Ieroſolymam adiit. Item Arſenius in urbe Roma claruit, qui ex Senatore factus Monachus per quadraginta annos in Eremo vixit. Eodem tempore in Emaus Caſtello, natus eſt puer, ab umbilico & ſurſum diviſus; ita ut haberet duo capita, & duo pectora, & quilibet proprios ſenſus; uno edente, vel dormiente, alter non comedebat, nec dormiebat. Porro poſtquam duobus annis vixiſſent, unum corpus mortuum eſt, altero uſque in tertium diem ſupervivente.

(1) Secunda Synodus Conſtantinopolitana coacta eſt ſub Iuſtiniano Auguſto ſaeculo VI. Prima ergo Synodus CP. contra Macedonium celebrata eſt anno CCCLXXXI. adeoque non ſub Siricio, qui Damaſo ſucceſſit anno CCCLXXXIV. Patrum autem numerus fuit CL. Convocata igitur eſt ſub Damaſo, & Theodoſio Magno Imperatore, ut videre eſt apud *Natal. Alexandrum Tom.* IV. *Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſert.* XXXVI. In hoc Concilio de Spiritus Sancti divinitate, & cum Patre & Filio conſubſtantialitate, dogma adeo ſtabilitum eſt, ut Graeci Patres Spiritus ſancti proceſſionem veluti generationem quamdam conſideraverint, nec gignendi verbo uti religioni duxerint, ubi de Spiritu Sancto agerent, ut late vir multis nominibus ſubſpiciendus *Dionyſ. Petavius* docet, quod tamen alia forte de cauſſa etiam uſuvenit. Hinc μονογενής, quum de Filio ageretur, ita accipiebant, ut non *unigenitus*, ſed *ſolitarie genitus* hoc eſt, *in ſua generatione ſolus*, *& ex Patre tantum*, *exſiſtens*, ſignificaret, quod ex Patre immediate procedat, non ut Spiritus Sanctus per Filium. Quare non mirum ſi *Andreas* Cretenſis audacium vocabulorum artifex in Homilia *De Nativitate Deiparae*, quam primus omnium *Ang. Maria Riccius*, ut alibi diximus, Graece ac Latine edidit, Spiritum Sanctum Filii συγγενῆ adpellet, quod Interpres ad latinas aures *congenitum* transtulit, iuxta Graecanicam Theologiam, & loquendi uſum, adpoſite; ſed apud nos nimis inſolenter, apud quos non tantum ſententia, ut apud Graecos, ſed ipſa loquendi ratione, Spiritus Sanctus *non creatus*, *nec genitus*, *ſed procedens*: quamquam ſcholio adſcripto criminatoribus omnibus obviam ivit. Alii viderint an *congenerem* verti potuiſſet vocabulo nobis commodiori: nam *genus* pro *na-*

tura

tuta, ubi de Trinitate agunt, Patres interdum accipiunt, ut oſtendi *Diſſert. De recta Patr. Nicaen. Fide Cap.* II.

(2) Vel potius ſub Damaſo, ut ex *Hieronymi* Epiſtolis conſtat; ceterum non repugno etiam ſub Siricio quaedam eiuſmodi Hieronymum commentari potuiſſe, de cuius laudatis laboribus conſule egregie diſſerentes *Tillemontium*, & *Nat. Alexandr. Tom.* IV. *Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſert.* XXXIX. ut alios omittam.

ANaſtaſius, natione Romanus, ex patre Maximino (1), ſedit annis duobus, diebus viginti ſex (2). Hic conſtituit, ut qui careret aliquo membro non poſſit eſſe Clericus. Hic Anaſtaſius conſtituit, ut quotieſcumque Evangelium recitaretur in Eccleſia, Presbyteri, & Clerici, non ſederent, ſed ſtarent.

(1) Anaſtaſius, *Maximo*.
(2) Anaſtaſius, *XXIV*.

INnocentius, natione Albanenſis, ex patre Innocentio, ſedit annis quindecim, menſibus duobus, diebus viginti. Hic decrevit ad Miſſam pacis oſculum dari. Hic etiam conſtituit, oleo in uſum infirmorum ab Epiſcopo conſecrato uti, non Presbyteris tantum, ſed etiam omnibus Chriſtianis (1). Hic conſtituit Sabbato ieiunium celebrari, quod Sabbato Domi-

nus in ſepulcro iacuit, & Diſcipuli ieiunaverunt (2). Hic fecit ordinationes quatuor per menſem Septembris (3). Hic excommunicavit Arcadium Imperatorem (4). Huius tempore floruit (5) Romae nobiliſſimi Romani Euphemiani nomine filius, qui primus in Palatio Imperatoris fuit. Moritur Romae hic Pontifex, & in coemeterio ad Vrſum pileatum ſepelitur, v. Kalendas Auguſti.

(1) Vereor, ut ſit verum. Imo manifeſte falſum. Adi *Natal. Alexandr. Theolog. Dogmat. Moral. Iuveninum De Sacrament. Extremae Vnctionis*. Veteres Ritus in extrema Vnctione adhibitos habes apud *Mabillonium Praefat. in Saecul. I. Benedict. §. IX.*

(2) Romae ieiunabatur Sabbato. Vide *Gratianu Diſtinct. XII.*

(3) Anaſtaſius, *Decembris*.

(4) Id quidem pertendit *Baronius*, ſed contrarium evincit *Tillemontius* in *Innocent. Art. VI.*

(5) Deeſt *Alexius*, quod ſupplendum ex *Martino*. Ceterum de Sancto Alexio conſule *Tillemont. T. X.*

ZOſimus, natione Graecus, ſedit anno uno, menſibus octo, diebus viginti quinque. Hic conſtituit, quod ſervus nullo modo fieret Clericus, & in Sabbato ſancto cereus (1) benedicatur. Et ut nullus Clericus potum in publico venderet.

(1) Quo-

(1) Conſule *Gavantum De Ritibus Part. IV. Tit. X. De Sabbato ſancto*.

BOnifacius primus, natione Romanus, ex patre Iocundo; ſedit annis tribus, menſibus octo (1), & ceſſavit diebus novem. Hic decrevit, ut nulla mulier, aut monacha pallam ſacratam Altaris contingeret, aut lavaret (2).

(1) Anaſtaſius, *menſes IV. dies XIV*.
(2) Conſule ſuperius in Xyſto I. *pag.* 51.

CAEleſtinus, natione Romanus (1), ex patre Priſco, ſedit annis VII. (2), diebus IX. & ceſſavit diebus XXI.. Hic conſtituit, ut *Iudica me Deus*, diceretur ante introitum Miſſae, & Pſalmi David centum quinquaginta ante ſacrificium pſallerentur, canendo ex omnibus antiphonatim, quod ante non fiebat, ſed Epiſtolae Pauli, & Evangelium, dicebantur; & ex hoc ſtatuto excepti introitus de pſalmis, & gradualia, & ſimiliter obſertoria ante ſacrificium (3). Hic miſit ſanctum Patritium filium Conthes, ſororis ſancti Martini Epiſcopi Turonenſis, in Hiberniam, ubi convertit omnes ad fidem. Tertia ſancta Synodus univerſalis Epheſina trecentorum Patrum

collecta eſt Epheſi iuſſu Papae huius Caeleſtini, & Theodoſii iunioris Imperatoris (4), in qua damnatus eſt Neſtorius duas perſonas in Chriſto adſerens, & condemnatus anathemate. Et confirmatum eſt, Chriſtum eſſe unam perſonam in duabus naturis; & ut beata Maria Theotocos, ideſt, Mater Chriſti (5) adpellaretur.

(1) Alias *Campanus*.

(2) *Anaſtaſius*, IX.

(3) *Tillemontius* veretur ut haec vera ſint.

(4) An ita conciliari poſſit diſſenſus Eruditorum circa eum, qui Epheſinam Synodum convocaverit, viderint alii. Conſulatur *Natal. Alexander Tom.* V. *Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſert.* VII. *in Saecul.* V. De jure convocandi Concilia conſule *Thomaſinium Diſſert.* III *in Concil.*

(5) Ideſt *Deipara*, ſeu *Mater Dei* adpellaretur. Nam *Matrem Chriſti* adpellabat etiam *Neſtorius*. Ceterum an Neſtorius aliquo modo excuſari poſſit, & defendi, ut recentiores quidam pertendunt, quaſi ſeſe recte non explicaverit, diſputat *Natal. Alexander Tom.* V. *Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſert.* VI. *in Saecul.* V. Neſtorii autem haereſeos confutationem habes apud eumdem ibidem *Diſſert.* XXIII.

XYſtus, natione Romanus, ex patre Priſco (1), ex Regione Coelii montis, ſedit annis octo, diebus novem (2), & ceſſavit diebus viginti duo. Hic conſtituit ut

ut nullus Clericus in Parochia alterius ordinari preſumat. Hic aedificavit Eccleſiam ſanctae Mariae Maioris, quae dicitur Ad praeſepe. Hic ſepultus eſt in Via Tiburtina in crypta iuxta corpus beati Laurentii.

(1) *Sixto*, Anaſtaſius.
(2) *Anaſtaſius*, XIX.

LEo, natione Tuſcus, ex patre Quinctiano, ſedit annis XXI. menſe uno, diebus XVII. (1). Hic doctor egregius addidit canoni, *Sanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam*. Sub hoc Pontifice facta eſt tertia Synodus (2) Chalcedoniae. Huius manum (3) quum quaedam femina communicando cum aliis in die Paſchae oſculata fuiſſet, tantam tentationem ex hoc in carne concepit, ut manum, quae occaſio fuerat ſcandali, clam amputaret, & a ſe penitus eiiceret. Verum quum tumultus contra ſe invaleſceret, eo quod Miſſam non celebraret, ipſe in anguſtia conſtitutus, totum ſe beatae Mariae Virgini commiſit, cui vigiliis, & orationibus, intendenti beata Maria manum portans viſibiliter adparuit, & ſibi ſuam manum adpoſuit; de quo miraculo non ſolum beatus Pontifex gratias egit, ſed etiam in ſuis praedicationibus ipſum miraculum frequen-

quenter omnibus praedicavit. Quarta Synodus Chalcedoniae cxxx. Epiſcoporum, induſtria Leonis, mandante Marciano Imperatore (4), celebratur, in qua Eutyches Conſtantinopolitanus Abbas, & Dioſcorus Alexandrinus Epiſcopus, qui dicebant unam Verbi Dei, & Carnis, eſſe naturam, damnati ſunt (5). Et rurſus Neſtorius, & eius error damnatus eſt. Et diffinitum eſt praedicare in Chriſto duas naturas, & unam perſonam. Hic etiam Leo ſanctiſſimus quum contra Fabianum (6) Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Eutychen, Epiſtolam (7) ad Chalcedonenſe concilium ſcripsiſſet, eamdem antequam mitteret Epiſtolam, ſuper altare ſancti Petri ponens, & per XL. dies ieiuniis, & orationibus inſiſtens, rogavit ſanctum Petrum ut siquid eſſet in eadem Epiſtola emendandum ad fidei, propter quam ſcripta erat, informationem, ipſe dignaretur corrigere, & emendare, quod & factum eſt. Nam in fine XL. dierum invenit eamdem Epiſtolam in omnibus ad propoſitum correctam, & emendatam (8); hoc ipſum Petro revelante. Hic ſanctiſſimus Papa ſepultus eſt ad Baſilicam ſancti Petri, cuius feſtum in vigilia Apoſtolorum agitur.

(1) *Anaſtaſius*, XXVI.

(2) Qua-

(2) Quarta.

(3) Ecce de more mileſiam quamdam, quam unde hauſerint hi ſequioris aevi Scriptores ignoro prorſus. Nihil de hoc habet *Anaſtaſius*.

(4) Id ipſum demonſtrat *Natal. Alexander Tom.* V. *Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſert. XI. in Saecul. V.*

(5) In quo error Eutychetis conſiſteret, vide diſputantem *Natal. Alexandrum Tom. V. Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſert. X. in Saecul. V.* & an vere Dioſcorus in Synodo Chalcedonenſi damnatus fuerit *ibid. Diſſertat. XIII. in idem Saeculum*. Confutationem autem huius haereſeos habes *Diſſert. XXIV.* ibidem.

(6) Non contra Fabianum, ſed ad *Flavianum* ſcripta fuit haec Epiſtola.

(7) De huius Epiſtolae in Concilio Chalcedonenſi receptione conſule diſputantem *Natal. Alexandrum Tom. V. Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſertat. XII. in Saeculum* V. Et *Thomaſinium Diſſert. XII. in Concil.*

(8) Vide *Tillemontium in Leone Art. LVI.*

HIlarius (1), natione Sardus, ex patre Criſpino; ſedit annis VI. menſibus III. diebus X. Hic conſtituit ut nullus Pontifex ſibi ſucceſſorem conſtitueret. Hic ſepultus eſt apud ſanctum Laurentium. Per idem autem tempus, ut legitur in hiſtoria Brittonum, in Britannia regnabat Arturus, qui benignitate ſua, ac etiam probitate, Franciam, Flandriam, Norvegiam, Datiam (2), ceteraſque maritimas inſulas, ſibi ſervire coegit. In proelio quoque letaliter vulneratus, ſedens ad curandum vulnera in quadam inſula,

ſula, deinceps Brittonibus de vita eius uſque hodie nulla certitudo remanſit.

(1) Anaſtaſius, *Hilarus*.
(2) Forte *Daniam*.

SImplicius, natione Tiburtinus, ex patre Craſtino (1), ſedit annis VI. menſe I. (2) & ceſſavit diebus VI. Hic vir beatiſſimus dedicavit Baſilicam ſancti Stephani martyris, & Baſilicam ſancti Laurentii, & Baſilicam ſanctae Bibianae Martyris, ubi corpus eius requieſcit cum quatuor millibus ducentis XLVI. Sanctorum corporibus, exceptis parvulis & mulieribus. Hic conſtituit ut ad ſanctum Petrum & ſanctum Paulum, VII Presbyteri per hebdomadas manerent propter poenitentes & baptizantes; & fecit quinque regiones presbyteris dividendas. Primam regionem ad ſanctum Petrum. Secundam ad ſanctum Paulum. Tertiam ad ſanctum Laurentium. Quartam ad ſanctum Ioannem Lateranenſem. Quinctam ad ſanctam Mariam maiorem (3). Hic Pontifex ſepultus eſt in Vaticano iuxta corpus beati Petri. Eodem tempore fuit (4) in Britannia Merlinus vates ex filia Regis ſanctimoniali, & incubo daemone, natus. Nam mater ipſius regis Demeciae filia, inter monachas

chas in Eccleſia ſancti Petri degebat in civitate Haremedir, quae adſeruit ſe numquam virum cognoviſſe. Sed quidam in ſpecie pulcerrima frequenter deoſculans & evaneſcens, & rurſum adparens, & eam amplectens, gravidam reliquit. Et quum Rex Britanniae aedificium mirae magnitudinis conſtrueret, & nocte evaneſceret, quod in die aedificabatur (5), a Magis recepit reſponſum, quod aedificium non procederet, niſi calcina miſceretur ſanguine alicuius ſine patre (6) procreati. Et quum per regnum talis quaereretur, Merlinus puer a quodam puero ſecum comedente talis notificatur. Et captus Merlinus magos mentitos dixit fuiſſe. Et oſtendens ſub terra voraginem totum abſorbentem mortem evaſit (7).

(1) Anaſtaſius, *Caſtino*.

(2) Anaſtaſius, *XV. dies VII.*

(3) Haec videntur eſſe quinque Eccleſiae Patriarchales, de quibus in Operis prooemio *Leo* noſter.

(4) Fabella feſtiva ex vulgari credulitate nata, quae vult Daemonas interdum concumbere cum mulieribus. Huic credulitati occaſionem dedit Philoſophorum Ethnicorum opinio, atque etiam Poetarum, apud quos Dei, & Genii, paſſim cum feminis miſcentur, & liberos tollunt. Mirum tamen ſimilia noſtris Patribus, & Theologis adcredita fuiſſe, quum mera eſſe deliramenta ſomniantium facile

le intelligatur. At id potiſſimum derivatum eſt ex eo, quod veteres Philoſophi, & antiqui Eccleſiae Patres, Angelos Daemonaſque corporibus inſtructos exiſtimarunt, ut fuſius ad *Epiſt. II. Glycae p.* 146. adnotavimus, inter quos recenſendus etiam *Baſilius Magnus*, qui idcirco in *Homilia*, qua monſtrat Deum malorum auctorem non eſſe, Angelis veſtes fulgidas ac radiantes tribuere videtur; cuius ſententiam non ſatis explicat *Riccius* Interpres Italicus, ſcholaſticam quamdam diſtinctionem in ora libri adſcribens, Baſilio aliter ſentienti prorſus ignotam, ſcilicet, inquit, id eſſe de Angelis intelligendum, quum corpora adſumunt. Conſulatur *Actio V. Synodi Nicaenae II.* Hic quoque obſervandum, Angelos iuxta *Baſilii* ſententiam νοητὰς adpellari non poſſe, quod quidem faciunt ii, qui eos omnino incorporales exiſtimant: quare recte a *Michaele Glyca Epiſt. I.* diabolus νοητὸς ὄφις adpellatur: id quod non video cur improbet *Ang. Maria Riccius*. Nam etſi *Glycas* alicubi exiſtimaſſet, ſerpentem, qui Evam ſeduxit, verum fuiſſe ſerpentem, quo veluti inſtrumento uſus eſt diabolus; tamen eo loci *Glycas* non de ſerpente agit, qui Evam ſeduxit; ſed de diabolo primario ſeductionis auctore loquens, eum ſerpentem, & draconem, ex Scripturarum uſu, ἀλληγορικῶς adpellat, quem quidem incorporeum eſſe arbitratus eſt, ut ex *Epiſt. II.* conſtat. Non igitur νοητικοῦ ὄφεως ut *Riccius* contra fidem MSS. Codicum pertendit, legendum eſt, ſed νοητοῦ, ne *Glycas* ineptire videatur. Quare & *Pontanus* egregie vertit, *Serpentis, quem mente percipimus*.

(5) Num tela Penelopes?

(6) Sine patre procreati dicebantur Spurii, S P. quaſi *ſine Patre*, adſcripto, ut auctor *Plutarchus in Quaeſtion. Ro-*

Roman. & ii, qui divino ſemine concepti fuiſſent. Vide quae in hanc rem apte producit *Menagius* ad *Lib. III. Laertii*, ubi de Platonis patre.

(7) Hinc ſubterraneum Merlini antrum apud *Arioſtum*.

FElix natione Romanus, ex patre Felice Presbytero de regione (1) Faſciolae ſedit annis III. (2) menſibus IX. diebus XVII. & ceſſavit diebus V. Hic conſtituit eccleſias ab Epiſcopo eſſe conſecrandas. Sepultus eſt autem in Baſilica ſancti Pauli.

(1) Anaſtaſius, *de titulo Faſciolae*.
(2) Anaſtaſius, *VIII. menſes XI. dies XXIII.*

GElaſius, natione Afer, ex patre Valerio, ſedit annis IV. menſibus VIII. diebus XXVIII (1), & ceſſavit diebus VIII. Hic fecit orationes, tractatus, & hymnos, ſicut Ambroſius; & praefationem Miſſae compoſuit, *Vere dignum, & iuſtum eſt*, quotidiano uſui. Huius tempore facta eſt inventio ſancti Michaelis in Crypta. Item tempore huius invenitur corpus ſancti Barnabae Apoſtoli, & cum eo Evangelium, quod propria manu in Ebraico ſanctus Matthaeus ſcripſerat.

(1) Anaſtaſius, *diebus IX.*

Ana-

ANaſtaſius, natione Romanus, ex patre Fortunato (1), ſedit anno I. menſibus XI. diebus XXVIII. (2), & ceſſavit diebus IV. Hic conſtituit ut nullus Clericus praetermitteret officium ſuum ira vel rancore propter Miſſam. Hic Anaſtaſius Imperatorem excommunicavit.

(1) Anaſtaſius, *Petro*. Forte mendum ex ſequenti vita huc inrepſit.
(2) Anaſtaſius, *XXIV*.

SYmmachus, natione Sardus (1), ex patre Fortunato, ſedit annis XV. menſibus VII. (2), diebus XXVIII. & ceſſavit diebus VII. Hic conſtituit omni die dominico, & in natalitiis (3) Sanctorum *Gloriam in excelſis Deo* cantari, &, quae ſequuntur verba Angeli, addidit eidem hymno. Huius tempore Clodoveus Rex Franciae a beato Remigio baptizatus eſt, qui & Pariſiis regalem ecclesiam aedificavit in honorem Apoſtolorum Petri, & Pauli. Boethius vir conſularis in Italia claruit, qui exſulatur a Theodorico Rege Italiae, ibique libros de conſolatione Philoſophiae edidit. Hoc tempore claruerunt ſanctus Remigius, ſanctus Maxentius Abbas, ſanctus Leodegarius, ſanctus Arnulphus, & ſancta Genovefa. Eodem tempore Rex Sigiſmun-

ſmundus Rex Burgundiae ad honorem ſancti Mauritii ſociorumque eius apud Agaunum ibidem quieſcentium Monaſterium conſtruxit, & poſſeſſionibus donavit.

(1) Alias apud Anaſtaſium, *Romanus*.
(2) Anaſtaſius, *VIII. diebus XXVI.*
(3) Qui dies dicerentur natalitii Sanctorum vide apud *Muratorium Diſſert. XIX. in S. Paulinum*.

HOrmisda, natione Campanus, de civitate Freſolone, ex patre Iuſto, ſedit annis IX. (1), menſibus VIII. diebus VIII. Quum hic multas eleemoſynas pauperibus erogaſſet, necnon & Baſilicis diverſa ornamenta contuliſſet, apud ſanctum Petrum trabem argenteam (2) MXL. librarum relinquens, ibidem ſepultus requieſcit. Hic Clerum conſtituit, & Pſalmos erudivit, & Graecos reconciliavit, qui obligati fuerant vinculo anathematis, propter Petrum Alexandrinum Epiſcopum.

(1) *Anaſtaſius*, VIII. *& dies* XVII.
(2) *Anaſtaſius* habet: *quam ex argento cooperuit*.

IOannes primus, natione Tuſcus, ex patre Conſtantino (1), ſedit annis II menſibus VIII., diebus XVIII. & ceſſavit die-

bus VIII. (3). Huius tempore Francia convertitur ad Chriſtum (4). Hunc Theodoricus Rex Gothorum, qui regnabat in Italia, miſit Conſtantinopolim ad Iuſtinum Imperatorem; ſed reverſum, cum ſociis, carcerali anguſtia peremit, quare Dominus poſt parvo tempore elapſo acriter punivit; nam poſt paucos dies Rex extinctus eſt, cuius animam quidam ſanctus Eremita (5) vidit per Ioannem Papam, & Symmachum, in ollam Vulcani proiici. Obiit autem Ravennae in carcere, cuius corpus translatum eſt Romam, & ſepultum in Eccleſia ſancti Petri.

(1) Anaſtaſius, *Conſtantio*.
(2) XXII. *Anaſtaſius*.
(3) *Anaſtaſius*, LVIII.
(4) Obſerva id, & conſule *Tillemontium* in *Irenaeo*, & *Dionyſio Areopagita*; & *Natal. Alexandrum Tom. III. Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſert. XVI.* Adi ſuperius *pag.* 30, & 42.
(5) Ex *Paulo Diacono*.

FElix quartus, Sabinus (1), ex patre Conſtantino (2), ſedit annis II (3), menſibus IV, diebus XV, & ceſſavit menſe I (4). Hic ſtatuit, ut infirmi ante obitum Oleo ſancto debeant inungi (5). Hic Patriarcham Conſtantinopolitanum excommunicavit.

(1) Ana-

(1) Anaſtaſius, *Samnius*.

(2) Anaſtaſius, *Caſtorio*.

(3) Anaſtaſius, *IV. menſes II. dies XIV.*

(4) Anaſtaſius: *& ceſſavit menſe uno, & diebus* XV.

(5) Id ex Apoſtolica traditione deſcendit. Sed Graeci etiam ſanis & benevalentibus hoc Sacramentum conferunt. Conſule *Goarium* ad *Euchol og. Natal. Alexandrum Theolog. Dogmat. Moral. Iuveninum De Sacramentis*.

BOnifacius ſecundus, natione Romanus, ex patre Sigiſmundo (1), ſedit annis II. diebus XXVI, & ceſſavit diebus VI. Hic conſtituit ut Clerici ſint diviſi a laicis a celebratione Miſſae; & hic ſepultus in Eccleſia ſancti Petri.

(1) Anaſtaſius, *Sigilbuldo*, vel *Sigebuldo*, vel *Sigisvultho*.

IOannes ſecundus, natione Romanus, ex patre Proiecto, de Coelio monte, ſedit annis II, menſibus IV, diebus VI, & ceſſavit diebus VII. Hic damnavit Arthemium (1) haereticum Epiſcopum. Mauritius (2) diſcipulus beati Benedicti ſanctitate claruit in Gallia.

(1) Anthimum Epiſcopum CP.

(2) Legendum *Maurus*.

AGapitus, natione Romanus, de regione Ioannis & Pauli, ſedit menſibus XI, diebus XVIII. Hic conſtituit Proceſſiones fieri die Dominico. Hic ad Iuſtinianum Imperatorem Conſtantinopolim veniens, defunctus eſt; cuius corpus Romam translatum, in Baſilica ſancti Petri ſepultum eſt.

SIlverius, natione Campanus, ex patre Hormisda Epiſcopo (1) Romano, ſedit annis III (2), menſibus V, diebus XX (3). Hic in exſilio interfectus eſt ab Imperatore. Nam Theodora Imperatrix, propter Arthemium (4) Epiſcopum de haereſi condemnatum, quia ipſum retinere noluit, miſit in exſilium in Pontiam (5) Inſulam, ibique mortuus eſt, plenus multis virtutibus.

(1) Natus ſcilicet ex Hormisda, antequam hic Romanus Epiſcopus creatus fuiſſet.

(2) *Anaſtaſius*, annum I.

(3) *Anaſtaſius*, *XI.*

(4) *Anthimum* legendum eſt, ut ſupra in *Ioanne II.*

(5) *Anaſtaſius*, *Pontias.*

VIgilius, natione Romanus, ex patre Ioanne, ſedit annis XVII, menſibus VI (1), diebus XXVI, & ceſſavit menſibus

VI,

VI ; & diebus V (2). Huius tempore Beliſarius Patricius liberavit Romam a captione Gothorum, & obtulit ſancto Petro Crucem auream de Vandalorum ſpoliis, penſantem libras centum. Hic moritur Syracuſis in Sicilia in exſilio. Hic ordinavit Miſſas celebrari in Eccleſia orientali parte (3). Hunc autem Pontificem, quemadmodum, & praedeceſſorem ſuum, Theodora Imperatrix propter Arthemium(4) Epiſcopum Conſtantinopolitanum, perſequuta eſt, & de mandato ipſius ductus in Conſtantinopolim, ubi quum nollet Arthemium haereticum Epiſcopum reſtituere, de Eccleſia ſanctae Sophiae, in quam fugerat, extrahitur, & miſſo fune in collo eius, per totam Civitatem extrahitur de mane uſque ad veſperas, & in exſilio moritur. Hic Vigilius licet male Papatum intraverit, eo quod cupidus ad Papatum venisset, quum eſſet Silverii Papae Archidiaconus, propter ipſius conſilium eſt relegatus Silverius Papa ab Imperatrice Theodora, ut ei in Papatu ſuccederet: quia tamen de facto poenituit, pro fide in exsilio relegatus, ibidem feliciter terminavit (5). Huius tempore apud Conſtantinopolim, quincta Synodus congregata eſt (6), ſub Iuſtiniano Imperatore, contra Theodoram, & omnes Haereticos, qui beatiſſimam Mariam hominem

tantum, & non Deum, genuiſſe adfirmabant (7). Circa haec tempora ſanctus Remigius obiit, qui ſeptuaginta duobus annis Remenſem rexit Eccleſiam. His temporibus in una civitate Siciliae conſtat Theophilum Archidiaconum exſtitiſſe, qui Chriſtum, & eius Genitricem abnegando, Diabolo homagium (8) fecit; qui per Diabolum ad quod volebat permotus erat; ad cor vero rediens, & cum fletu dura poenitentia ſe adfligens, mediante beata Virgine Maria, veniam & gratiam recuperavit (9).

(1) *Anaſtaſius*, V.

(2) *Anaſtaſius* iuxta varios Cod. MSS. varie habet.

(3) Chriſtianos antiquos ad orientem verſos oraſſe notum eſt. Templorum autem frons orientem ſpectabat, ut videre eſt praeter alios apud *Cabaſſutium Notit. Concil. De Veter. Eccleſ. ſitu & forma.* & apud *Melioruccium Lib. II. Inſtit. Canon. Tit. XX.* quem honoris gratia commemoro, quum meus Praeceptor exſtiterit, in quo humanitatem, & variam rerum cognitionem, ſubſpexi; criticen tamen, & caſtigatam eruditionem, deſideravi; qua de re etiam eius opera luculentum perhibent teſtimonium.

(4) *Anthimum*, ut iam animadverti.

(5) Ita Graeci ἐτελεύτησε.

(6) De huius Synodi convocatione conſule *Natal. Alexandrum Tom. V. Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſert. III. in Saecul. VI.*

(1) Con-

(7) Conſule *Natal. Alexandrum loco citato Diſſertat. IV. & V. in Saecul. V.*

(8) Quid ſit *homagium* vide apud *Cangium* in *Gloſſario*.

(9) Narratio haec anilem fabellam redolet.

PElagius primus, natione Romanus, ſedit annis x (1), menſibus II, diebus x, & ceſſavit mensibus VI, diebus XXV. Huius tempore tantae pluviae fuerunt, ut omnino dicerent homines quod diluvium inundaret, & talis clades fuit, qualem a saeculo nullus meminit audiviſse. Ab hoc ſanctus Gregorius in Constantinopolim Apocrisiarius directus, hortatu Leandri Hiſpalensis Epiſcopi libros Moralium in Iob compoſuit. Quum vero Tiberis ex praedictarum pluviarum abundantia in tantum abundaſset, ut ſuper urbem ingrediens magnam partem regionis occuparet, ſecum trahens maximam partem beſtiarum, & maxime ſerpentium, cum uno ingenti dracone. Quae beſtiae poſt diluvium putrefactae ex aeris corruptione maximam mortalitatem hominum induxerunt, ita ut multae domus in urbe Roma vacuae remanerent, ex qua clade & Pelagius Papa mortuus eſt.

(1) Anaſtaſius, *IV. menſes X. dies XVIII.* alias *annos XI.*

Deſunt iuxta Pontificale, & veteres Catalogos a Vignolio editos.

IOannes III.

BEnedictus I. &

PElagius II.

& quae dicuntur de Gregorio, & diluvii clade, pertinent ad Vitam Pelagii II.

GRegorius primus doctor, natione Romanus, ex patre Gordiano, ſedit annis XIII, menſibus VI, diebus XVI (1), & ceſſavit Papatus menſibus V. diebus XVI. Hic doctor divinarum Scripturarum ſereniſſimus (2) & inquiſitor manſuetus fuit. Hic compoſuit Homilias numero XL. Iob, & Ezechielem expoſuit. Regiſtrum paſtorale, & Dialogum (3), & multa alia bona, fecit. Hic in propria domo, fecit Monaſterium. Merito terreſtris Angelus vocatur, quia coeleſtem vitam duxit in terris. In ſingulis Eccleſiis Romanae urbis in remiſſionem humani generis ſingulis diebus quadrageſimae ſtatuit fieri ſtationes devotioni fidelium celebrandas; & ne erroris antiqui ſemen de cetero

ro

ro pullularet, imaginibus Daemonum capita, & membra, fecit generaliter amputari; ut per hoc exſtirpata radice haereticae pravitatis, palma Eccleſiaſticae virtutis plenius exſaltaretur. Item addidit in Miſſa, *Dieſque noſtros in tua pace diſponas*; & fecit ſuper corpora Apoſtolorum Petri, & Pauli, iugiter celebrari a Papa, ſive a Cardinalibus. Hic inſtituit per ſeptiformem Litaniam placare iram Dei: ſeptiformis autem ideo dicta eſt, quia in primo choro fuit omnis Clerus, in ſecundo Abbates cum monachis, in tertio Abbatiſſae cum congregationibus ſuis; in quarto omnes infantes; in quinto omnes viduae; in ſexto omnes laici; in ſeptimo omnes coniugatae. Hic primus Pontifex, *Servus ſervorum Dei*, ſcripſit. Hic beatiſſimus Pontifex, quum proceſſionem cum Litaniis quodam Paſchali tempore ordinaret, per Romam imaginem B. Mariae Virginis, (quae nunc ut fertur manet in ſancta Maria Maiore, quam Lucas arte Medicus, & Evangeliſta, & Pictor (4) egregius, formaſſe dicitur) ante proceſſionem reverenter portari fecit; tunc in aere iuxta imaginem auditae ſunt voces Angelorum canentium: *Regina coeli laetare, alleluia; quia quem meruiſti Chriſtum portare, alleluia; reſurrexit ſicut dixit, alleluia*. Tunc beatus Gre-

go-

gorius adiunxit quae ſequuntur, *Ora pro nobis Deum, alleluia* (5). Hic ſanctiſſimus Papa, poſt multa mirabilia, quae geſſit in hoc mundo, plenus bonis operibus migravit a corpore, anno Domini ab Incarnatione ſexcenteſimo ſexto, ſepultuſque eſt in Eccleſia ſancti Petri.

(1) Anaſtaſius, X.

(2) Γαληνότατος, pro *luculentiſſimus*, ut videtur

(3) Quare Graeci eum *Gregorium Dialogum* adpellant. Conſule *Part. I. Epiſt. Glycae* in *Deliciis Erudit. pag.* 22.

(4) Lucam non fuiſſe pictorem manifeſte evincunt viri docti, & *Tillemontius Tom. II.* Quare alterius cujusdam Lucae oportet fuiſſe illas imagines, quae eſſe ab Evangeliſta depictae feruntur. Conſule etiam *Bollandianos*.

(5) Credo haec luculentiori probatione indigere.

SEvinianus (1), ſedit anno uno, menſibus quinque, diebus novem, & ceſſavit diebus viginti uno. Hic conſtituit, ut horae diei per Eccleſias pulſarentur (2).

(1) Anaſtaſius *Sabinianus*.

(2) Campanarum uſus in Eccleſia quando inceperit incertum. Saeculo quidem VIIII. iam invaluerat, ut videre apud *Mabillonium Praefat.* ad *Acta Sanct.* Vſus tamen tintinnabulorum antiquiſſimus eſt, & ab ipſis Moſaicis temporibus repetendus. Vide *Magium De Tintinnabulis*, & antiquum anaglyphum apud *Bonarotium*, in quo tintinnabulum ſculptum,

ptum, collo Aſini ſuſpenſum eſt. Antiquum aereum tintinnabulum forma noſtrarum campanarum vidi in Muſeo Comitum *Gherardeſchae*.

BOnifacius quartus, natione Marſorum, de civitate Valeria, ex patre Ioanne medico, ſedit annis ſeptem (1), mensibus octo, diebus duodecim (2), & ceſſavit mensibus octo, diebus vigintiquinque. Hic obtinuit ab Auguſto Phoca Caeſare Imperatore, ut Ecclesia beati Petri Apoſtoli caput eſset omnium Ecclesiarum, quia Conſtantinopolitana primam omnium Ecclesiarum ſe ſcribebat (3). Item Bonifacius Papa & Chriſtianiſſimus, templum quod dicitur ſancta Maria rotunda, ubi multoties a Daemonibus percutiebantur Chriſtiani, rogavit Imperatorem Phocam, ut condonaret ei hoc templum, ita mirabiliter aedificatum ad honorem Cybeles Matris Deorum, Neptuni, & Dei Martis (4), in kalendis Novembris ut ipſe poſset dedicare illud ad honorem beatae Mariae Virginis, & omnium Sanctorum; & Caeſar ei conceſſit; & ipſe Papa cum Romano populo in die kalendarum Novembris illud dedicavit, & ſtatuit ut ipſo die Romanus Pontifex miſsam ibi celebraret, & populus accipiat corpus, & ſanguinem, Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſicut in die Natalis Domini (5); & in

& in iſto die omnes cum Virgine Matre Domini Maria, & coeleſtibus Spiritibus, & omnis populus Chriſtianus, habeant feſtivitatem (6). Et defuncti habeant per Ecclesias totius mundi ſacrificium ſequentis diei, pro redemtione animarum (7).

(1) *Anaſtaſius*, VI.

(2) *Anaſtaſius*, XIII.

(3) Non ut eſſet obtinuit, quae iam prima erat; ſed ne hunc ſibi debitum titulum Eccleſia Romana in Conſtantinopolitanam videret transferri. Vide *Baronium*, *Natal. Alexandrum*, &c.

(4) In omnium Deorum honorem, adeoque *Pantheon* adpellabatur, Πάνθεον.

(5) Hinc forte eliciatur, tempore Leonis in nativitate Domini fideles ſub utraque ſpecie communicaſſe: nam hic uſus communicandi ſub utraque ſpecie deſiit XIII. Saeculo, ut oſtendit *Mabillonius* in *Prolegomenis ad Ordinem Romanum*. Ceterum Bonifacii aetate ſemper ſub utraque ſpecie fideles communicabant.

(6) Obſerva originem feſti omnium Sanctorum, de quo vide inferius in *Gregorio IV*. Sed conſulendus omnino *Baronium in notis ad Martyrolog*.

(7) Commemoratio defunctorum II die Novembris poſterius inſtituta eſt, ſcilicet poſt S. Odilonem Abbatem. Conſule *Martyrologium Romanum* cum *Baronii* notis, *Floridum Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib.* .... & *Natal. Alexand.*

Boni-

BOnifacius tertius, natione Romanus, ſedit menſibus octo, diebus viginti octo. Hic conſtituit, ut nitidus pannus poneretur ſuper Altare.

DEusdedit, natione Romanus, ex patre Stephano ſubdiacono, ſedit annis tribus, diebus viginti (1), & ceſſavit menſe uno, & diebus ſedecim. Hic dum quemdam oſcularetur leproſum, ſtatim a lepra mundatus eſt.

(1) *Anaſtaſius*, XXIV.

BOnifacius quinctus, natione Campanus, de Neapoli; ſedit annis quinque, diebus decem & tribus, & ceſſavit menſibus quatuor.

HOnorius primus, natione Campanus, ſedit annis duodecim, menſibus undecim, diebus duodeviginti (1). Hic Papa eccleſiam beati Petri Apoſtoli, auro argentoque ſplendide decoravit, & eam tabulis aereis per totum cooperuit. Etiam fecit eccleſiam beatae Agnetis, ubi requieſcit; & beati Pancratii, via Aurelia; & quatuor Coronatorum; ſepultuſque eſt hic Pontifex in eccleſia beati Petri. Hoc tempore

Ana-

Anaſtaſius monachus martyrio coronatur, qui natus in Perſide, magicas artes puer a patre didicit; ſed mox, ut a captivis chriſtianis nomen Chriſti didicit, Ieroſolymam petens, poſt Baptiſmum monachus efficitur; tandem a Saracenis captus, diverſis & graviſſimis poenis interimitur; mox quidam daemoniacus eius tunicam indutus curatus eſt; cuius corpus Heraclius Imperator, devictis Perſis, deducens Romam, in monaſterio ſancti Pauli ad Aquas Salvias collocavit.

(1) *Anaſtaſius*, XVII.

SEverinus, natione Romanus, ex patre Abieno (1), ſedit anno uno (2), & ceſſavit menſibus quatuor & diebus viginti octo (3). Hic Pontifex ſanctus, & benignus fuit, amator cleri, & pauperum; res eccleſiarum, & poſſeſſiones ampliavit; ſepultus eſt apud ſanctum Petrum.

(1) Hoc eſt, *Avieno*, mutato V in B, ut fieri ſolet.

(2) Anaſtaſius habet: *ſedit menſes duos, dies quatuor*.

(3) Anaſtaſius habet, XXIX.

Ioan-

IOannes quartus, natione Dalmata, ex patre Venantio Scholaſtico, ſedit anno uno, menſibus novem, diebus duodeviginti; & ceſſavit menſe uno, & diebus decem & tribus. Hic theſauris ecclesiae diſtractis multa millia hominum per Iſtriam, & Dalmatiam, a ſervitute redemit. Hic Anaſtasii, & Vincentii martyrum, & aliorum ſanctorum, quorum reliquias de Dalmatia, & Iſtria, adduci praeceperat, iuxta fontem Lateranenſem in oratorio Ioannis Evangeliſtae recondidit. Sepultus eſt apud ſanctum Petrum.

THeodorus, natione Graecus, ex patre Theodoro epiſcopo de civitate Ieruſalem, ſedit annis ſex, menſibus quinque, diebus octo (1), & ceſſavit diebus tribus (2). Hic conſtituit benedictionem cerei in Sabbato ſancto (3). Hic librum poenitentialem compoſuit.

(1) *Anaſtaſius* XVIII.

(2) Anaſtaſius: *& ceſſavit Epiſcopatus dies LII.*

(3) Conſule ſuperius in Zoſimo *pag.* 86. ubi de cerei benedictione inſtituta agit *Leo*, & ubi nos quaedam tempeſtive adnotavimus.

Mar-

MArtinus de civitate Tudertina Provinciae Tuſciae, ſedit annis ſeptem (1), menſe uno, diebus viginti octo (2), & ceſſavit diebus viginti ſex. Hic dum celebraret Miſsam, ſpatharius Olympii (3) miſſus eſt ad occidendum eum; qui levando gladium, ſtatim caecus effectus eſt. Hic celebravit Romae Concilium, in quo damnavit pravi dogmatis adſertorem Paulum Conſtantinopolitanum falsi nominis Patriarcham, propter quod Conſtantinus Imperator ipſum Conſtantinopolim evocavit; & inde in exsilium miſsus in Cherſonam, ubi & ſanctus Clemens Papa relegatus fuerat, ibidem ad Chriſtum feliciter migravit; cuius feſtum celebratur in vigilia (4) ſancti Martini Turonensis.

(1) *Anaſtaſius*, habet VI.
(2) *Anaſtaſius*, XXVI.
(3) Exarchi videlicet, a Conſtante Caeſare, ſeu Conſtantino miſſi.
(4) Lege ex *Martino*, *in craſtino*.

EUgenius, natione Romanus, de regione Aventina, clericus a cunabulis ex patre Rufino (1), ſedit annis duobus, menſibus octo, diebus viginti duobus (2); & ceſſavit menſe uno, diebus viginti octo (3). Hic in omnibus benignus, & amabilis, maxi-

ximaeque ſanctitatis, ſepultus eſt apud ſanctum Petrum.

(1) Anaſtaſius, *Rufiniano*.
(2) *Anaſtaſius*, XXIV.
(3) *Anaſtaſius*, XXIV.

VItalianus, natione Signienſis, provinciae Campaniae, ex patre Anaſtaſio, ſedit annis quatuordecim, menſibus ſex, & ceſſavit menſibus duobus, diebus tredecim. Hic cantum Romanorum compoſuit, & Organo concordavit. Hic nuncios direxit Conſtantinopolim, ad Imperatorem, iuxta conſuetudinem, ſignificans de ſua ordinatione; qui Nuncii poſtquam fuiſſent reverenter recepti, renovatis Romanae Eccleſiae privilegiis redierunt, portantes Evangelia auro conſcripta, & pretioſis gemmis decorata (1), quae Imperator ſancto Petro Apoſtolo tranſmiſit. Hic Papa quemdam Graecum Theodorum nomine, Monachum, & magnae litteraturae virum, Cantuarienſi Eccleſiae in Anglia praefecit in Epiſcopum; qui Theodorus ſcripſit poenitentialem librum (2) mirabili, & tanta, diſcretione diſtinguens modum ſingularum culparum; de quo libro in iure Canonico fit frequenter mentio. Hic Papa ſepultus eſt in ſancto Petro.

(1) Huiuſmodi Evangelia aureis litteris conſcripta & pretioſis gemmis decorata adſervantur Florentiae in Palatii ſacello D. Bernardo ſacro, quae unde comparata fuerint, enarrabitur in progreſſu horum operum ἀνεκδότων ad Pontificiam & Auguſtam hiſtoriam pertinentium. Heic opportune monendum, falſo a *Bocchio* in *Deſcript. Florentiae* adſeri haec Evangelia, eſſe Evangelium B. Ioannis αὐτόγραφον.

(2) Notior eſt vetus Eccleſiae circa Canonicas Poenitentias diſciplina, quam ut heic opus ſit de ea pluribus diſputare; deque illa conſuli poſſunt Viri doctiſſimi, *Io. Morinus*, *Cabaſſutius*, *Natalis Alexander*, *Iuveninus*, *Vaneſpenius*, aliique Eccleſiaſticarum rerum, & Canonicarum ſanctionum, iluſtratores. Heinc antiquitus tot canones, & libri poenitentiales, conſcripti fuerunt, quibus poenitentibus certa certorum criminum expiandorum ratio praeſcriberetur, quot uſque ad nos pervenere, vel quorum memoria adhuc in Scriptorum Eccleſiaſticorum monumentis occurrit. Certe huiuſmodi fuit liber poenitentialis Theodori Cantuarienſis, de quo conſulendus *Caveus* in *Hiſtor. Litterar. Scriptor. Eccleſiaſt.* In Bibliotheca vero Riccardiana libri cuiusdam poenitentialis Graece ſcripti fragmentum Codice MS. S. II. XXX. extat, quod concinnatum dicitur a *Nicolao Malaxo* Naupliae Protopapa; ſed quod potius praeparationes & inſtructiones quasdam ad poenitentiam & confeſſionem rite peragendam, quam Canones poenitentiales, complectitur, ex variorum Patrum operibus coagmentatum, quorum quaedam, ni fallor, *Io. Morinus* laudatus iam edidit. Sed quum temporum barbarie negligentia gliſceret, & Eccleſiaſtica ſenſim diſciplina mutaretur, alia ratio ſatisfactionum pro peccatis ſubintroducta eſt, & Canonicis

poe-

poenitentiis alia opera pietatis ſubſtituta, quae ut aequivaleant legitima auctoritate ſancitum eſt, conceſſis ob illa indulgentiis, & remiſſionibus, eo modo, quo nunc utimur. Nam licet in primitiva Eccleſia remiſſiones, & indulgentiae, concederentur, ut ex *Tertulliano*, & *Cypriano*, liquido conſtat; & Theologi doctiſſimi evidenter demonſtraverunt, & praecipue *Natal. Alexander Tom. III. Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſert. II. in Saecul. III.* & *Theolog. Dogmat. Moral. Tractat. De Indulgentiis*, & *Iuveninus Diſſert. De Indulgentiis*; alio tamen ritu, diverſaque ratione, concedebantur: quare ſperandum a θεοφιλεστάτῳ, & ſapientiſſimo Epiſcopo, in quibuſdam Feſulanis Eccleſiis programmata propoſita tolli iuſſum iri, in quibus indulgentiae a B. Petro, Silveſtro I, Liberio, & aliis antiquiſſimis Romanis Pontificibus, eadem forma, ac ritu, qui nunc in uſu eſt, praedictis Eccleſiis conceſſae commemorantur; quarumque catalogus in Bibliotheca etiam Riccardiana Codicibus MSS. Q. II. VII. & S. IV. XXI. adſervatur. Decimo igitur circiter ſaeculo, quum Canonum poenitentialium ſenſus haud recte intelligeretur, ut luculenter oſtendit *Floridus Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib. LX.* anni poenitentiae praeſcripti mirabiliter aucti ſunt, ita ut homines Chriſtiani eas difficillime implere poſſent, adeoque ad poenitentiarum redemtiones, & permutationes, confugere neceſſe fuit, vel aliis etiam de cauſſis, ut videre eſt apud *Iuveninum Diſſert. De Indulgentiis Cap. II.* & *Floridum* memoratum; ut nihil de bello ſacro dicam ſaeculo XI. ſuſcepto, quod in cauſſa fuit, cur vetus Eccleſiae diſciplina circa poenitentias prorſus immutaretur, loco poenitentiae procinctu illo, ac expeditione, ſubrogata, ut late diſſerunt *Natal. Alexander Theolog. Dogmat. Moral.*

val. Tract. De Indulgent. & *Tom. VI. Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſert. IX. in Saecul. XI.* & *XII. Art. IV. Iuveninus Diſſert. De Indulgent. Cap. II. Vaneſpenius Par. II. Iur. Eccleſiaſt. Tit. VII.* ut de *Morino*, aliiſque taceam. Haec autem, quae dixi, confirmantur & illuſtrantur antiquo monumento, cuius mihi copiam fecit Vir humaniſſimus, & huiuſmodi antiquitatum conſultiſſimus, Reverendiſſimus Domnus *Fulgentius Nardius* Florentinus, Monaſterii Sanctae Trinitatis Florentiae, Ordinis Vallis-umbroſae, Abbas digniſſimus, de quo eleganter & vere quidam ſequens anagramma compoſuit: FVLGENTIVS NARDI. TER INFVLA DIGNVS. Monumentum autem illud, quod in Piſtorienſi Archivo ſervatur, eſt quod ſequitur.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Breve recordationis pro modernis, & *futuris temporibus ad memoriam habendam, vel retinendam, qualiter actum eſt in loco, qui dicitur Campilio iuxta Bati, in praeſentia bonorum hominum, quorum nomina ſubtus leguntur.*

Manifeſti ſumus nos Alfredus, Bernardus, a Domino Lamberto Bolonienſi Epiſcopo accepimus poenitentiam triginta annorum, qua ſuſcepta, profeſſi ſumus coram Domino ſuſtinere non poſſe; qua de cauſa praefatus Epiſcopus cum voluntate, & *licentia Nordili, Lamberti,* & *Oddi, praecepit nobis pro remiſſione peccatorum noſtrorum ad Hoſpitium ſancti Salvatoris poſitum in loco, qui dicitur Fontana Taoni, omnium bonorum noſtrorum rerum decimas fideliter obſeramus,* & *ita recepimus. Praeterea alii quatuor Decimatores, videlicet Ioannes Diaconus, Lambertus, Teuzo Clericus, Presbyter Gerardus, qui antiquitus praefati hoſpitii Decimatores fuerunt, ita* & *in antea in nomine Domini conſtituimus,* & *firmamus. Ego Lambertus Dei gra-*

gratia Epiſcopus, cum Abbate Ruſtico, in praeſentia bonorum hominum Nordili, Lamberti, & Oddi, & alii quamplures, ad Hoſpitium ſancti Salvatoris pro remedio animae meae, & ſex Decimatores de vico de Caſi ab hora in antea, ut nullus Epiſcopus, Clericus, Laicus, vel aliqua perſona tollere, minuere, intentionare, praeſumat, & ita conſtituimus, & firmamus: pro quo praefatus Ruſticus Abbas, cum ſuis fratribus viginti annis de poenitentia illorum receperunt. Quod ſi quis hoc noſtrum praeceptum violare praeſumſerit in nomine Domini gladio anathematis feriatur, & ſunt anni Domini milleſimo octuageſimo, indictione V. XI. kalendas Auguſti.

Ego praefatus Dei gratia Epiſcopus Lambertus manu mea ſcripſi.

Signum manibus Nordili, Lamberti, & Oddi, Albizi, Rainerii qq. filii boni Toci, Aicardi filii boni Bomundi rogati teſtes.

Ego Ardimannus hunc Breve manu mea ſcripſi, complevi, & tradidi.

Ego Avianus Domini Frederici divinae memoriae Imperatoris Iudex atque Notarius, illud authenticum vidi, & legi, & prout in eo inveni, de verbo ad verbum fideliter transſcripſi, & exemplavi.

Proferre heic quoque fert animus *Alexandri V.* Pontificis Maximi Breve, ex quo per indulgentiam canonicarum poenitentiarum remiſſio facta intelligitur, & Miſſam veſpertina hora alicubi Sabbato ſancto celebrandi conſuetudo cognoſcitur; quodque pariter laudati Abbatis *Nardii* humanitati ſingulari acceptum fero, & anno MCCCCIX. datum fuit.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Univerſis Chriſti fidelibus praeſentes litteras inſpecturis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Altitudo providentiae divinae

maieſtatis, nullis incluſa limitibus, nullis terminis comprehenſa, recti cenſura iudicii, coeleſtia pariter, & terreſtria ordinat, & diſponit, miniſtros ſui cultores altis decorando honoribus, devotionem ipſorum quaſi quibuſdam adliciendo muneribus, ut eos efficiat coeleſtis patriae poſſeſſores, invitare conſuevit ad debiti famulatus Deo, & ſanctis eius, honorem, de cuius dulcedine aegris medicina, languentibus miſericordiae rivulus noſcitur emanare. Quum itaque, ſicut accepimus, in eccleſia Monaſterii ſancti Michaelis de Furculis Ordinis Valliſumbroſae Piſtor. annis ſingulis in vigilia feſtivitatis Reſurrectionis Dominicae hora diei vigeſima tertia, vel circa, una Miſſa ſolenniter decantari conſueverit, cui magna, cauſſa devotionis, intereſſe conſuevit populi multitudo; Nos cupientes ut huiuſmodi devotio ferventius augeatur, & ut Chriſtifideles eo libentius ex cauſſa praedicta eccleſiam viſitent antedictam, quo ex hoc ibidem dono coeleſtis gratiae uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus vere poenitentibus & confeſſis, qui celebrationi Miſſae praefatae ex cauſſa praedicta annis ſingulis ut praefatur pro tempore interfuerint, duos annos, & duas quadragenas, de iniunctis eis poenitentiis, miſericorditer relaxamus. Volumus autem quod ſi alias viſitantibus dictam eccleſiam, vel ad eius fabricam, ſeu conſervationem, manus adiutrices porrigentibus, ſeu alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, vel alia aliqua indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, auctoritate Apoſtolica conceſſa fuerit, praeſentes litterae nullius exſiſtant roboris, vel momenti. Datum Piſtorii XII. Kalendas Ianuarii, Pontificatus noſtri anno I.

A tergo

℞ *Gratis* *Io. Stalbert.*

Deo-

DEodatus (1), natione Romanus, ex patre Iobiano (2), ſedit annis quatuor, menſibus quatuor (3), & diebus quindecim. Hic tantae benignitatis fuit, ut omnem hominem a maiore uſque ad minorem ad ſe venientem conſolatum dimitteret. Huius tempore translatum eſt a monte Caſino corpus ſancti Benedicti, ad coenobium Floriacenſe (4), quod eſt ſolenne in Aurelianenſi dioeceſi; & etiam corpus ſororis eius Scholaſticae. Huius tempore regnum Siciliae a Saracenis devaſtatur. Sepultus eſt hic Pontifex apud ſanctum Petrum.

(1) *Adeodatus*.

(2) Anaſtaſius, *Iobiniano*.

(3) Anaſtaſius, *menſes* II. *dies* V.

(4) De controverſia an corpus D. Benedicti adhuc exſtet in Coenobio Montis Caſini, vel potius in hoc memorato Floriacenſi Monaſterio, conſulendi *Io. Mabillonius in Act. SS. Ord. S. Benedicti Saeculo II. circa annum* DCLIII. *pag.* 323, *edit. Venet. Bollandiani ad diem XXI. Martii*; *Matthaeus Lauretus* Hiſpanus in editione Chronicorum Caſinenſium, & *Angelus de Nuce* in ſua pariter *Chronica Caſinenſi*, pluribus in locis, ſed praecipue in *Appendice* ad eamdem Romae edita. Conſule inferius in *Zacharia*.

DOnus, natione Romanus, ex patre Mauritio, ſedit anno uno, menſibus quinque, diebus decem, ceſſavit men-

ſibus duobus, & diebus quindecim. Hic decoravit illum locum ante Baſilicam ſancti Petri, qui dicitur Paradiſus; ſepultuſque eſt in ſancto Petro.

AGathon, natione Siculus, ſedit annis duobus, menſibus ſex; & diebus tribus, & ceſſavit anno uno, menſibus ſeptem, & diebus quindecim (1). Hic dum quemdam leproſum oſcularetur, ſtatim mundatus eſt (2). Huius tempore Ravennata eccleſia, quae diu Apoſtolicae Sedi rebellis fuerat, ad obedientiam rediit.

(1) *Anaſtaſius*, *V.*

(2) Idem narrat de Deuſdedit. Adi ſuperius *pag.* 109.

LEo ſecundus, natione Siculus, ex patre Paulo, ſedit menſibus decem, diebus decem & ſeptem, & ceſsavit menſibus ſeptem, diebus viginti duobus. Hic conſtituit Pacem dari in eccleſiis totius Chriſtianitatis fidelibus poſt *Agnus Dei* (1). Hic fuit eloquentiſſimus, & in divinis Scripturis ſufficienter inſtructus, Graeca lingua Latinaque eruditus; erga inopum proviſionem, non ſolum mentis pietate, ſed etiam ſtudii labore ſolicitus. Huius tem-

pore,

pore, procurante Deo, & eius labore, eccleſia Ravennata poſuit ſe ſub ordinatione Sedis Apoſtolicae (2), ut, defuncto Archiepiſcopo, qui electus fuerit iuxta antiquam conſuetudinem veniat ad Romanam Curiam ordinandus. Hic fecit conſtitutiones, ut qui ordinandus fuerit Archiepiſcopus nulla conſuetudine pro uſu Pallii, ac diversis officiis, aliquid ecclesiae perſolvere debeat. Hic ſepultus eſt in Baſilica ſancti Petri.

(1) Videtur parum ſibi conſtare *Leo* noſter; nam inferius in *Sergio I.* conſtitutionem quamdam ſimilem narrat. Conciliare ſecum hunc Scriptorem adeo oſcitantem, opera & otio abuti eſſet. Α'σύςατα etiam quaedam haud abſimilia occurrunt in *Gregorio II.*, *&* *III.*

(2) Eadem habes in Agathone: ſed quomodo haec intelligenda vide apud *Vignolium* eruditiſſimum.

BEnedictus, natione Romanus, ex patre Ioanne, ſedit menſibus decem, diebus duodecim, & ceſſavit menſibus duobus, diebus quindecim. Hic ab Imperatore factus eſt Papa; tamen vita eius concordavit cum nomine, ita ut merito Benedictus diceretur. Sepultus eſt ad ſanctum Petrum.

Ioan-

IOannes quintus, natione Syrus, e civitate Antiochia, ex patre Abundio (1), ſedit anno uno, diebus decem (2), & ceſſavit diebus duobus (3).

(1) Anaſtaſius, *Cyriaco*.
(2) *Anaſtaſius*, *IX*.
(3) Anaſtaſius. *Et ceſſavit Epiſcopatus menſes* II, *dies* XVIII.

COnon, natione Romanus, de regione Coelii montis, ex patre Benedicto (1), ſedit menſibus undecim, diebus novem (2), & ceſſavit menſe uno, & diebus duodeviginti (3). Hic ſanctae, & multum commendabilis vitae, ſepultus eſt in ſancto Petro.

(1) Multo aliter Anaſtaſius: *Conon oriundus ex patre Traceſio, educatus apud Siciliam, poſtmodum Romam veniens*.
(2) *Anaſtaſius*, XXIII.
(3) Anaſtaſius: *Ceſſavit Epiſcopatus menſes* II, *dies* XXIII.

SErgius primus, natione Syrus, de regione Antiochiae, ex patre Tiberio, ſedit annis novem (1), menſibus octo, diebus viginti tribus. Hic conſtituit, ut *Agnus Dei* (2) ter cantaretur in Miſſa, in fra-

ctione Dominici corporis. Hic Deo ſibi revelante in ſacrario ſancti Petri invenit capſam argenteam in loco obſcuriſſimo, multae annoſitatis, ita ut argentea non adpareret, in qua sigillum erat impreſſum, quo ablato, invenit Crucem pretiosiſſimis lapidibus perornatam, & ineffabilem portionem Crucis Dominicae interius repoſitam, quae in die ſanctae Crucis adoratur. Corpus etiam primi Leonis Papae tranſtulit in Remburch, Deo revelante. Hic Pontifex, poſt laudabilem vitam moritur, & in ſancto Petro ſepelitur.

(1) *Anaſtaſius*, XIII.
(2) Conſule ſuperius in *Leone II. pag.* 120.

(1) LEo tertius, natione Romanus, ex patre Nicolao diacono, ſedit annis duobus, menſibus undecim. Hic per Patricium Romanorum Imperatorem (2) factus eſt Papa, & propter hoc in catalogo Romanorum Pontificum in pleriſque Chronicis (3) non ponitur, ſed ſequens (4), Leo tertius intitulatur, & etiam in Decreto.

(1) Hic deeſt apud *Anaſtaſium*.
(2) Haec vox *Imperatorem* delenda eſt ex *Martino*, & hiſtoriae fide.
(3) Vt in Pontificali.

(4) Sci-

(4) Scilicet ille Leo, qui deinceps primus occurrit.

IOannes ſextus, natione Graecus, ex patre Patrone, ſedit annis tribus, menſibus duobus, & diebus viginti tribus (1), & ceſsavit menſe uno, & diebus undeviginti (2). Hic Martyrio coronatur; & in ecclesiam ſancti Sebaſtiani ad Catacumbas ſepelitur.

(1) *Anaſtaſius*, XII.
(2) *Anaſtaſius*, XVIII.

IOannes ſeptimus, natione Romanus (1), ex patre Gregorio, ſedit annis tribus (2), menſibus ſeptem, diebus octo (3), & ceſſavit menſibus novem (4). Hic fuit eruditus ſcientia, & facundus eloquentia. Hic fecit Oratorium ſanctae Mariae Virginis Dei Genitricis, inter eccleſiam beati Petri Apoſtoli, cuius parietes Moſayco opere (5) depinxit; ibique ante Altare ſepultus eſt.

(1) Anaſtaſius, *Natione Græcus, ex patre Platone*. Num *Leo* patrem huius, cum ſuperioris confudit?
(2) *Anaſtaſius*, II.
(3) *Anaſtaſius*, XVII.
(4) *Anaſtaſius*, III.

(4) De

(5) De Muſivo opere vide quae diſputat *Anonymus Comment. in antiqua Monumenta Tigurina Tom. VII Amoenitatum Litterariarum Schelornii* eruditiſſimi.

SIſinnius, natione Romanus, ex patre Tranſmundo (1), ſedit diebus viginti, & ceſſavit menſibus duobus (2). Huius tempore, maximum ſchiſma fuit.

(1) Anaſtaſius, *natione Syrus, ex patre Ioanne.*
(2) *Anaſtaſius*, menſem unum, & dies XXIX.

COnſtantinus, natione Syrus, ex patre Ioanne, ſedit annis ſeptem (1), & ceſſavit die uno (2). Hunc Iuſtinianus Imperator ad ſe venire Conſtantinopolim fecit, ac ſolenniter ipſum recipiens, ut die Dominica Miſſam in eccleſia ſanctae Sophiae celebraret, rogavit, communionem de manibus eius accipiens, ac vultum in terra deiiciens, ut pro ſuis peccatis Dominum poſtularet rogavit, cuncta privilegia Romanae eccleſiae renovando. Hic etiam Philippum (3) Imperatorem denuntiavit haereticum, eo quod ſanctorum imagines deleverat. Hic Pontifex ſepultus eſt in Vaticano ſancti Petri.

(1) *Anaſtaſius, diebus XV.*

(2) *Ana-*

(2) *Anaſtaſius*, XXXX.
(3) Philippicum.

GRegorius ſecundus, natione Romanus, ex patre Ioanne (1), ſedit annis ſedecim, menſibus octo, diebus viginti quatuor (2); & ceſſavit diebus viginti quinque (3). Hic adiunxit in ſecreto: *Quorum ſolennitas hodie in conſpectu maieſtatis tuae celebratur, Domine Deus noſter, in toto orbe terrrarum*. Hic Papa Viennae Archiepiſcopatum inſtituit; quae quidem urbs, ideo dicitur Vienna, eo quod biennio (4) ſit deſtructa (5). Hoc tempore Carolus pater Pipini Maiordomus Franciae, Saxones debellavit, necnon Rhenum transiens fluvium, Alamannos, & Suevos, ac Bavaros, perluſtrat, uſque ad Danubium omnia occupando. Subegit etiam & Friſones, Burgundiam, & Lotharingiam; Saracenoſque de tranſmarinis partibus cum innumerabili multitudine in Provinciam venientes, Arelate cum ipſis pugnando, omnino delevit (6). Hic Gregorius Papa, diſtributis rebus, Monaſteriis, & omni Clero, ſepultus eſt apud Sanctum Petrum.

(1) *Anaſtaſius*, *Marcello*.
(2) *Anaſtaſius*, XX.

(3) *Ana-*

(3) Anaſtaſius, *dies V. menſem unum*.

(4) Τὸ λῆρον.

(5) Haec intruſa ſunt huc, & ad ſequentem Pontificem ſpectant, ut ex *Martino* intelligere eſt; quare in Gregorio III. eadem repetit *Leo*.

(6) De hac pugna ad Arelatem vide fabellam apud Scholiaſtes Danthis, qui ſomniant ſepulcretum, quod ad eam urbem exſtat, Chriſtianorum ibi caeſorum monumenta eſſe miraculo divino extemplo excitata: quum veterum paganorum ſarcophagi ſint, ut ipſe, quum Arelate verſarer, probe animadverti.

GRegorius tertius, natione Romanus, ex patre Marcello (1), ſedit annis decem, menſibus octo, diebus viginti quatuor (2); & ceſſavit diebus novem (3) Hic adiunxit in Secreto: *Quorum ſolennitas hodie in conſpectu maieſtatis tuae celebratur, Domine Deus noſter, in toto orbe terrarum*. Hic Synodum congregavit mille Epiſcoporum in Roma, in qua celebranda venerationem Sanctarum Imaginum confirmat, ac violatores generali ſententia anathematizat *. Hic quum Roma obſideretur a Longobardis, miſit navigio ad Carolum patrem Pipini claves confeſſionis ſancti Petri, rogans ut Romanam Eccleſiam liberaret a Longobardis. Hic Papa Viennae Archiepiſcopatum inſtituit, quae quidem urbs

urbs ideo dicitur Vienna, eo quod biennio ſit conſtructa (4).

(1) Anaſtaſius, *Natione Syrus ex patre Ioanne*.
(2) *Anaſtaſius*, *XX*.
(3) *Anaſtaſius*, *IV*.
(4) Obſerva confuſionem cum hiſtoria Pontificis ſuperioris.
* Haec Synodus XCIII. tantum Epiſcopis conſtitit, ut auctor eſt *Anaſtaſius*.

ZAcharias, natione Graecus, ex patre Polychronio, ſedit annis decem, menſibus duobus (1), diebus quindecim (2), & ceſſavit diebus duodecim. Hic fecit pacem cum Longobardis. Hic Dialogorum libros de Graeco in Latinum tranſtulit (3). Hic Carolum Magnum (4), Regem Francorum, fratrem Pipini, fecit fieri Clericum, & miſit eum in Caſinenſe Monaſterium, ut Monachus fieret; cui etiam Monaſterio dona plurima cum privilegio Sedis Apoſtolicae contulit. Huius admonitione Eraclis (5) Rex Longobardorum, cum uxore & filiis relicto mundo, Monaſticum indutus eſt habitum. Ad hunc vero Papam Zachariam Monachi coenobii Caſinenſis, adiuncto ſibi Carolo Magno Romam venerunt, rogantes Papam, ut litteras Regi Francorum Pipino dirigeret, quatenus corpus beati Benedicti, quod Floriacenſes Mo-

Monachi furtim habuerunt, loco Caſinenſi reſtituerent. Quare Rex Pipinus, quum mandaſſet Monachis Floriacenſibus, ieiunantibus, & flentibus, quod corpus auferre debuerant, percuſſi ſunt caecitate, & hoc cognito ibidem permanſit (6). Huius tempore, corpus beatae Mariae Magdalenae a Gerardo Comite Burgundiae, Verziliacum eſt translatum; quamquam alii ſcribant quod apud Epheſum quieſcit; & alii quod prope Vrbemveterem ſexto milliario in inſula lacus ſanctae Chriſtinae (7). Zacharias vero Papa, omni virtute ornatus, moritur, & apud ſanctum Petrum tumulatur.

(1) *Anaſtaſius*, III.

(2) *Anaſtaſius*, XIV.

(3) Imo e contra ex Latinis Graecos fecit: quare celebris Gregorius I. apud Graecos evaſit, quem ideo Gregorium Dialogum adpellant, ut ſuperius *pag.* 106. adnotavi. Hunc eumdem errorem erravit Auctor nuperus Vitae Ambroſii Camaldulenſis Italice ſcriptae.

(4) Carolomannum Caroli Francorum Regis filium vocat *Anaſtaſius*, & recte.

(5) *Ratchis* eſt apud *Anaſtaſium*.

(6) Conſule quae ſuperius adnotavimus in Adeodato *pag.* 119.

(7) Obſerva tempore *Leonis* noſtri non fuiſſe adcreditum corpus Mariae Magdalenae exſtare in Provincia in urbe S. Maximini. De hac controverſia

conſule *Launoium*, *Tillemontium*, *Natalem Alexandrum*, *Bollandianos*.

STephanus ſecundus, natione Romanus, ex patre Conſtantino, ſedit annis quinque, diebus viginti octo, & ceſſavit menſe uno, & diebus quinque (1). Hic ab infeſtatione Abſtulfi Regis Longobardorum, pergens in Franciam, unxit Pipinum in Regem Francorum, (2) cui Pipinus venienti occurrit ad trium milliarium ſpatium, de equo deſcendens, & per fraenum ſtratoris officium exercens, uſque ad ſuum deduxit Palatium. Hic ultimo anno Pontificatus ſui, Romanum Imperium a Graecis transtulit in Germanos (3), in perſonam magnifici Regis Caroli, tunc in iuvenili aetate conſtituti, de qua translatione tangit Decretalis *Venerabilem*, *&c.*

(1) *Anaſtaſius*, habet *diebus* XXXII.

(2) Conſule de his diſputantem *Natal. Alexandrum Tom.* V. *Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſert.* II. in *Saeculum* VIII.

(3) Fallitur. Id factum fuit ſub Leone III.

PAulus, natione Romanus, ex patre Conſtantino, ſedit annis decem, menſe uno, & ceſſavit menſe uno (1), de regione Viae latae. Hic conſtituit divina Offi-

Officia ante horam ſextam, in quadrageſima. Iſte tranſtulit corpus beatae Petronillae virginis filiae beati Petri Apoſtoli (2), cum titulo, quem beatus Petrus ſcripſerat, *Aureae Petronillae dilectiſſimae filiae*, & in ſarcophago pretioſo repoſuit. Hic fuit multis virtutibus ornatus. Hic quum propter aeſtivum calorem apud ſanctum Paulum moraretur, ibidem mortuus, & ſepultus eſt.

(1) Anaſtaſius, *annum unum, & menſem unum*.

(2) Res admodum dubia. Spiritalem filiam cenſet *Baronius*, & *Tillemontius*, qui tamen de totius huius hiſtoriae fide valde dubitare videtur.

(1) Conſtantinus ſecundus, ex laicis, natione Romanus, ſedit anno uno, & menſe uno. Hic ex laico ſubito factus eſt Presbyter, & tyrannica ambitione Papatus invaſor, magno ſcandalo Eccleſiae Dei fuit; ſed zelo fidelium ab eccleſia deturbatus, oculis privatur.

(1) Hunc non commemorat *Anaſtaſius*, niſi in vita Stephani III.

Stephanus tertius, natione Siculus, ex patre Olivo, ſedit annis tribus, menſibus quinque, & diebus viginti octo. Se-

pultus eſt in Vaticano, in Baſilica ſancti Petri. Hic ex Gallia, & Italia, Romae convocata Synodo, omnia a Conſtantino ordinata deordinavit, praeter Baptiſma, & Chriſma, & omnes per ipſum ordinatos degradavit.

ADrianus primus, natione Romanus, ex patre Theodoro, de Via lata, ſedit annis viginti tribus, menſibus decem, diebus duodeviginti (1), & ceſſavit diebus duodeviginti. Huius precibus vocatus Carolus Magnus Pipini filius, obſedit Longobardos in Papia, ubi cepit Deſiderium Regem, & uxorem eius (2), quos captivos duxit in Franciam, & veniens Romam, reddidit quod Pater eius Pipinus (3) dederat beato Petro, adiuncto ei Ducatu Spoletano, & Benevento; & ob hoc ipſe Patricius Romae eſt effectus (4). Huius tempore floruit Alcuinus Caroli auditor. Hic genere Anglicus, clarus ingenio, Philoſophica excellentiſſimus non tantum ſcientia, ſed & morum honeſtate praeclarus; & ab ipſo Carolus didicit omnes artes liberales, qui & ſtudium de urbe Roma Pariſios tranſtulit, quod de Graecia illuc translatum fuerat a Romanis (5). Cui etiam Carolus commiſit Monaſterium ſancti Martini

tini

tini Turonenſis regendum; nam Monachi, praeteritae Religionis obliti, adeo defluxerant, quod ſericis induti veſtibus, & deauratis calceamentis incedebant, carnis oblectamentis vacando. Vnde, uno Monacho vidente, duo Angeli intrantes dormitorium, (6) omnes Monachos extinxerunt, excepto illo ſolo, qui Angelos videbat; qui ne interimeretur, ſed ad poenitentiam agendam reſervaretur, vix ab Angelis obtinuit (7). Huius coenobii propter hoc factum fuit Alcuinus Abbas, & Gubernator, ac in omni ſanctitate informator, & poſt laudabilem vitam, ibidem moritur, & tumulatur (8). Huius Pontificis Adriani tempore celebrata eſt ſeptima ſancta Synodus trecentorum Epiſcoporum apud Conſtantinopolim (9). Aliam Synodum ipſe Papa Adrianus praeſente Carolo Rege Romae celebravit, in qua fuerunt centum quinquaginta quatuor religioſi Epiſcopi, & alii Praelati, & Abbates, in qua Carolo dedit Adrianus Papa, & Synodus, ius eligendi Pontificem, & ſedem Apoſtolicam ordinandi (10): item Archiepiſcopos per ſingulas provincias inveſtituram ab ipſo recipere; anathematizavit omnes huic decreto rebelles, & iuſſit bona ipſorum niſi reſipiſcerent publicari. Quidquid etiam Longobardi Romanis retroactis temporibus abſtule-

rant, totum reſtituit, & tunc ceſſavit Regnum Longobardorum, Carolo in Italia dominante. Hic Pontifex poſt laudabilem vitam, ſepultus eſt apud ſanctum Petrum.

(1) *Anaſtaſius*, XVII.

(2) Vide *Anaſtaſium*, *Eginhartum*, & *Abbatem Vrſpergenſem*, alioſque.

(3) Vide *Anaſtaſium* in Stephano II.

(4) De donationibus Pipini & Caroli Magni Eccleſiae Romanae factis conſulendus *Natal. Alexander*, & alii Eccleſiaſtici Hiſtorici.

(5) De *Alcuino*, & de hac Academiae Pariſienſis inſtitutione, vide quae ſparſim habentur in *Io. Mabillonii Praefationibus in Acta Sanctorum Benedictin.* praeter auctores mox citandos.

(6) Κοιμητήριον.

(7) Huius rei apud Auctorem fides eſto.

(8) De *Alcuino* ſeu *Albino* conſule pariter Auctores Hiſtoriae litterariae Scriptorum Eccleſiaſticorum *Bellarminum*, *Caveum*, *Oudinum*, *Natal. Alexandrum*, alioſque.

(9) De huius Synodi convocatione conſule diſputantem *Natal. Alexandrum Tom. V. Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſert.* III. *in Saecul.* VIII.

(10) Vt in Decreto *Can. Hadrianus Diſt.* LXIII. De cuius canonis auctoritate quid ſentiendum ſit videſis apud *Baronium*, & *Io. Morinum De Origin. & progreſs. tempor. Rom. Pontif. poteſtat.* & *Natal. Alexandrum Tom.* V. *Hiſtor. Eccleſiaſt.* qui pariter oſtendit, hanc Synodum commentitiam, & totam hanc hiſtoriam a ſchiſmatico *Sigeberto* confictam fuiſſe.

Leo

LEo quartus (1), natione Romanus, ex patre Aſtulpho (2), ſedit annis viginti, menſibus quinque, diebus ſedecim (3), & ceſſavit diebus tribus. Hic dum pergeret in die Sancti Marci cum Litaniis (4), quas ipſe conſtituit ante Aſcenſionem Domini, ad ſanctum Petrum, captus, & caecatus eſt, praeciſa eſt etiam ei lingua; ſed omnipotens Deus reddidit ei viſum, & loquelam; poſtea pergens ad Carolum Regem Francorum, ibi ſuſceptus eſt cum maximo honore, rediit Romam cum praefato Rege, & facta eſt vindicta de eius inimicis, purificante ſe Papa de criminibus quibusdam sibi illatis. Idem Rex eſt coronatus in Imperium Romanum (5). Hic fecit porticum ſancti Petri, quae adhuc dicitur Civitas Leonina, & muro eam cinxit propter incurſum Saracenorum. Litanias autem sic ordinavit, videlicet, ſecunda feria, Summus Pontifex, cum omni Clero, & populo, ad Ecclesiam Dei Genitricis ad Praeſepe egrediens, pergit cum hymnis, & canticis, ad ecclesiam ſancti Salvatoris, quae dicitur Conſtantiniana. Feria tertia ab eccleſia ſanctae Sabinae, ubi nunc ſunt Fratres Praedicatores, ad ſanctum Paullum. Feria quarta ab eccleſia Ieruſalem ad ſanctum Laurentium foriſmuros. Hic beatus

tus Pontifex poſt innumera bona ſepultus eſt ad ſanctum Petrum.

(1) Omnibus aliis eſt *Tertius*.

(2) Ita legit etiam Interpres *Martini* Italicus, ſed *Martinus* MS. habet *Azulpo*; *Anaſtaſius*, & *Platina*, *Azuppio*.

(3) *Anaſtaſius*, XVII.

(4) Λιτανία, Latine eſt *Supplicatio*. De Litaniis agit *Mabillonius Commentar. in Ordin. Roman.* §. *V.* Litaniae igitur adpellantur ſupplicationes, vel proceſſiones, de quibus conſulendus idem *Mabillon. Comm.* quem laudavimus. De ſeptiformi Litania ſuperius actum eſt in Gregorio I. *pag.* 105. deque ea conſulendus *Ordo Romanus*, & *Menardus in notis ad Sacramentarium*; & in *Ordine Romano* Litania quoque quinqueformis, & triformis, & ſimplex, memoratur. De ſeptena autem agunt pariter *Ordinis Romani* Scriptores, & *Mabillonius* laudato *Commentar.* §. *XV.* quemadmodum & de quina: quae cur ita adpellentur ex laudatis Auctoribus facile eſt intelligere.

(5) Id quomodo factum ſit vide apud *Natalem Alexandrum Tom.* VI. *Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſert.* I. *in* IX *&* X *Saeculum*.

STephanus quartus (1), natione Romanus, ex patre Iulio (2), ſedit menſibus ſex (3); & ceſſavit diebus duodeviginti (4). Hic Gallias veniens, honorifice ab Imperatore Ludovico ſuſcipitur, & captivos multos per Franciam redimens Romam reverſus, in ſancto Petro diem clauſit extremum.

(1) Quin-

(1) Quinctus dicitur *Anaſtaſio*, & *Natali Alexandro*; ſed *Platinae* quoque eſt *Quartus*.
(2) *Marino*, habet *Anaſtaſius*.
(3) *Anaſtaſius* habet, *annos ſeptem*, *menſes* VII.
(4) *Duos*, habet *Anaſtaſius*.

PAſchalis natione Romanus, ex patre Marino (1), ſedit annis ſeptem, diebus XVII. (2), & ceſſavit diebus viginti octo. Hic corpus ſanctae Caeciliae ipſa ei revelante, & corpora ſanctorum Tiburtii, & Valeriani, necnon & Vrbani Papae, de coemeterio, ubi fuerant repoſita, manu propria elevans, intra urbem in eccleſia beatae Caeciliae honorifice collocavit (3). Hic etiam ante aditum ad corpus beati Petri circa oſtia aerea altare conſtruxit, & in ipſo corpus ſancti Xyſti primi recondidit. Hic etiam eccleſiam ſanctae Praxedis reparans coenobium Graecorum Monachorum ibidem inſtituit, & innumera corpora Sanctorum ex coemeteriis colligens ibidem honorifice recondidit (4).

(1) *Anaſtaſius*, & *Platina* habent *Bonoſo*.
(2) *Anaſtaſius* habet, *annos VII. menſes V. dies XVI.*
(3) De hac inventione legenda eſt ipſius Paſchalis *Epiſtola*, & *Anaſtaſius Bibliothecarius*, & Hiſtoria paſſionis S. Caeciliae ab *Antonio Boſio* edita, & illuſtrata.
(4) Conſule *Anaſtaſium*.

Eu-

EVgenius ſecundus, natione Romanus, ſedit annis tribus, menſibus duobus (1). Hic ex patre Bonemundo (2), per laicos caecatus (3), & martyrio coronatus, ſepultus eſt in eccleſia ſancti Petri in Vaticano. Hic prius ſanctae Sabinae Cardinalis, eamdem eccleſiam Ciborio argenteo ſuper altare, & picturis ſolenniter decoravit.

(1) Anaſtaſius, *annos* IV. *menſes* II. *dies* XXIII.

(2) *Martinus* habet *Bonomondo*, & interpres Florentinus *Buonomondo*; ſed apud *Anaſtaſium*, & *Platinam* eſt, *Boemundo*.

(3) Id nec *Anaſtaſius*, nec ullus alius, quem viderim, habet.

VAlentinus primus, natione Romanus, ſedit diebus quadraginta, & ceſſavit diebus tribus.

GRegorius quartus, ex Patre Ioanne, ſedit annis ſedecim. Hic natione Romanus, Eccleſiam ſancti Martini (1) in monte, prius a fundamentis deſtruxit, & poſtea novis fabricis erexit. Hic ex adſenſu Ludovici Imperatoris, & omnium Epiſcoporum, inſtituit, ut feſtum omnium Sanctorum celebraretur kalendis Novembris in par-

partibus Franciae, & Germaniae, quod ex inſtitutione Bonifacii Papae (2), Romani faciebant (3). Huius tempore orta eſt magna turbatio Chriſtianis. Nam de Romanis quidam ſcelerati miſerunt ad Soldanum Babyloniae, ut Romam veniens, Italiam poſſideret (4). Tanta itaque multitudo Saracenorum, per portum Centumcellenſem intrans, implevit ſuperficiem terrae, ut locuſtae: obſeſſa Roma, capitur civitas Leonina (5), eccleſia ſancti Petri ſpoliatur, & equorum ſtabulum efficitur; & non ſolum civitas, ſed etiam tota Tuſcia in ſolitudinem redigitur. Tandem ad petitionem Gregorii Papae, Guido Marchio cum Lombardis veniens, poſt Ludovicus Rex cum Gallicis, cum multa ſanguinis effuſione Chriſtianorum, Saraceni ſunt effugati. Hic Pontifex ſanctorum Martyrum corpora, Sebaſtiani, Gorgonii, ac Tiburtii (6), ex coemeteriis, in quibus ante iacuerant, ad eccleſiam ſancti Petri perduxit; & in oratorio ſancti Gregorii ſeparatis altaribus collocavit. Corpus etiam ſancti Gregorii a loco, ubi prius iacuerat, elevans, ſub altari ipſius poſuit, & poſt innumera bona, ſepultus eſt apud ſanctum Petrum.

(1) S. Saturnini, ut habet *Anaſtaſius*.
(2) Bonifacii III. Adi ſuperius *pag.* 107.

(3) Ita tradunt *Ado* in *Martyrolog.* & *Sigebertus* ad annum DCCCXXXV. Minus diſtincte interpres *Martini* Italicus: *Col conſentimento di tutti i Veſcovi ordinò che la Feſta di tutti i Santi foſſe fatta il dì di Calendi Novembre. La qual coſa Papa Bonifazio primo* [forte *prima*] *avea ordinato che faceſſero i Romani, e queſti ordinò che ſi faceſſe per tutto il mondo.* Vide *Platinam.*

(4) Conſule veroſimiliora ſcribentem *Platinam*, & Platinae praelucentem *Anaſtaſium.*

(5) Adi ſuperius in *Leone IV. pag.* 135.

(6) Conſule *Natal. Alexandrum.*

SErgius, natione Romanus, ex patre Sergio, ſedit annis tribus, menſibus duobus (1), & ceſſavit diebus quindecim. Hic vocabatur Os Porci, unde ab iſto in antea, omnes Pontifices proprium nomen mutaverunt (2). Hic coronavit Lotharium (3) Imperatorem.

(1) *Anaſtaſius* habet tantum, *annos tres.*

(2) Deceptus eſt a *Martino Leo*, quemadmodum & *Platina*. Nam primus Pontificum Maximorum, qui nomen creatus Papa mutaverit, fuit Ioannes XII; ut oſtendit *Onuphrius* ad Platinam in hoc Sergio.

(3) Non Lotharium, ſed Ludovicum Lotharii F. coronavit in Regem. Vide *Anaſtaſium*, *Platinam*, *Natal. Alexandrum.*

LEo quintus, natione Romanus, ex patre Dualdo (1), ſedit annis octo, menſibus tribus, diebus ſex, & ceſſavit diebus ſex. Huius tempore Adulphus (2) Rex Anglorum, qui primus totius Angliae tenuit monarchiam, devotionis cauſa venit Romam, & coram Leone Papa obtulit tributum ſancto Petro de unaquaque domo argenteum unum in anno, & hoc tributum uſque hodie perſeverat. Hic Pontifex catholicus multae patientiae, & multae humilitatis, divinarum Scripturarum exſtitit ferventiſſimus perſcrutator, vigiliis & orationibus ſemper intentus. Hic primum a parentibus ob ſtudia litterarum in Monaſterio ſancti Martini confeſſoris iuxta eccleſiam beati Petri poſitus fuit, ubi non ſolum in ſcientia, ſed etiam in converſatione, tamquam perfectus Monachus exſtitit. Hunc poſt Sergius Papa, Presbyterum faciens, titulum ſanctorum quatuor Coronatorum ſibi adſignavit. Quo Sergio mortuo etiam, & ſepulto, Leo unanimiter a Romanis in ſummum Pontificem eſt electus; qui mox factus Pontifex, ſancti Petri, & ſancti Pauli, Baſilicas, & alias eccleſias, quas Saraceni paullo ante omnino devaſtaverant, & ſpoliaverant, honorifice reſtauravit. Hic pro Neapolitanis in mari contra Saracenos pugnantibus orando col-

collectam fecit: *Deus, cuius dextera beatum Petrum ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit, &c.* Et poſtquam muros civitatis Leoninae perfecerat, adponendo feras portis fecit, & orando dixit illam collectam: *Deus, qui beato Petro collatis clavibus Regni coeleſtis, &c.* Illi autem Saraceni, qui cum maxima multitudine Romam venerunt, poſtquam ſpoliatis eccleſiis Apoſtolorum Petri, & Pauli, redire vellent in Africam, in alto pelago ſunt ſubmerſi. Propter hoc Papa civitatem, quam Leo Papa quartus circa eccleſiam beati Petri inceperat, ipſe celeriter perfecit. Hic Leo Papa Romae moritur, plenus ſanctis moribus, ac operibus, & in eccleſia beati Petri ſepelitur, cuius feſtum agitur, XVII. Kalendas Auguſti.

(1) *Martinus* in Codice MS. Riccardiano habet *Radualdo*. *Platina* habet *Radulpho*. Interpretatio *Martini* Italica, facta, ut videtur, ab auctore, qui ſaeculo XIV. florebat, & habetur MS. in Bibliotheca Riccardiana *Leoni* noſtro conſentit, legitque *Dualdo*. Sed ex *Anaſtaſio* legendum eſt, *Radoaldo*.

(2) *Alidulphus* habet *Platina*. *Aſturſo* vertit Interpres Italicus, corrupto de more vocabulo. Ceterum verum nomen eſt *Ethelvulphus*, de quo agunt *Wilhelmus Malmesburienſis*, *Simeon Dunelmenſis*, *Ethelredus Rigevallenſis*, *Ioannes Bronton*, *Rogerius de Hore-*

Horedem, *Henricus Huntidonienſis*, *Polydorus Vergilius*.

IOannes Anglicus, natione Moguntinus, ſedit annis duobus, menſibus quatuor; & ceſſavit menſe uno. Hic, ut adſeritur, femina fuit, & in puellari aetate a quodam ſuo amaſio in habitu virili Athenis ducta eſt, & ſic in diverſis ſcientiis profecit, ut nullus ſibi par inveniretur, adeo ut poſt terminum, Romae legens, magnos magiſtros diſcipulos haberet, & auditores; & quum in Vrbe vita, & ſcientia, magnae opinionis eſſet, in Papam concorditer eligitur; ſed in Papatu per ſuum familiarem impregnatur. Verum tempus partus ignorans, quum de ſancto Petro in Lateranum incederet, angariata inter Coliſaeum, & Eccleſiam ſancti Clementis, peperit, & poſt mortua ibidem ſepulta fuit, ut fertur. Et quia Dominus Papa eamdem viam ſemper obliquat, creditur a pleriſque, quod ob atteſtationem huius facti, hoc faciat Papa. Nec ponitur in catalogo Pontificum, propter muliebrem ſexum, quantum ad huius deformitatem (1).

(1) Confutatio huius fabulae habetur concinnata a *Baronio*, *Bellarmino*, *Gretſero*, *Florimundo Raemundo*, & filio *Ioan. Carolo*, *Onuphrio*, *Papirio Maſſonio*, *Binio*, *Auber. Miraeo*, *Leon. Allatio*, *Phil. Labbeo*, *Da-*

David Blondello, & tandem a *Nat. Alexandro Tom.VI. Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſert. III. in IX. & X. Saecul.* ut omittam Anonymum Germanum, cuius Diſſertationem profert *Schelornius Tom. I. Amoenit. Litter.* Hic adnotabo tantum *Martini* Poloni interpretem Florentinum, qui, ut videtur, non procul a tempore *Leonis* noſtri vivebat, quum alias fidum interpretem agat, & ne verbum quidem *Martini* omittat, hanc fabulam ſuae Interpretationi non inſeruiſſe, quod quidem argumento eſt eam in ſuo *Martini* Codice non legiſſe. Codex huius verſionis MS. in Riccardiana Bibliotheca exſtat, auctori fortaſſe contemporalis, duoque alii recentiores ex eo exſcripti. Sed de Codicibus Martiniani Chronici MSS. qui hanc fabulam continent, vel non, vide egregie diſſerentem *Lambecium Tom. II. Biblioth. Caeſar.Cap.VIII.* quem exſcribit *Oudinus* in *Martino Polono*. Ceterum doctiſſimus *Vignolius* in ſuae exactiſſimae Pontificalis editionis prolegomenis adnotat, hanc de Ioanne Papiſſa fabulam poſt annum certe MCXLII. excogitatam fuiſſe ex Codice Vaticano MMMDCCLXII. MS. Pontificalis ſatis conſtare. Merito igitur etiam *Brownus* inter populares errores eam recenſet, ut alios Heterodoxos ſilentio tranſiliam, quos commemorat *Io. Chriſtianus* in Epiſtolis ad Io. Conr. Dietericum.

BEnedictus tertius, natione Romanus; ſedit annis duobus, menſibus quinque (1), & ceſſavit diebus quindecim. Hic ex patre Petro (2), conſtituit ut Clerici ordinate incederent, & honeſte. Hic etiam inter alia bona, quae fecit, porticum a porta

ta Civitatis, uſque ad ſanctum Laurentium reſtauravit; ſepultuſque eſt in Eccleſia ſancti Petri.

(1) Anaſtaſius, *menſibus V. diebus X.*
(1) *Patrodo*, habet *Leo*, & *Martinus*.

NIcolaus primus, natione Romanus, ex patre Theodoro, ſedit annis novem, menſibus duobus, diebus viginti. Hic vir fuit ſanctiſſimus; poſt magnum Gregorium Papam, vix ullus in Sede Romana adparuit comparandus; cuius ordinationem Lodoicus Imperator ſua praeſentia roboravit. Huius tempore, Coloniae orta tempeſtate, populo in Baſilicam ſancti Petri fugiente, ſubito fulgur ad inſtar ignei draconis cecidit, ſcindens Baſilicam, & tres homines diverſis in locis occidit, ſex ſemivivos relinquens. Huius tempore ſanctus Cyrillus paene omnium Sclavorum Apoſtolus, corpus ſancti Clementis Papae a Cherſona, (1) ubi in mare Ponticum proiectum fuerat, mari deſiccato, auferens, Romam deportavit, quod per Papam, & Romanos, in eccleſia ſancti Clementis fuit reconditum, ubi & ipſe ſanctus Cyrillus paucis diebus expletis defunctus eſt, & in eodem loco ſepelitur. Ni-

colaus etiam Papa, poſt multa bona, quae fecit, in eccleſia ſancti Petri ſepelitur.

(1) Conſule ſuperius in *Martino pag.* 112. & *Tillemontium* in *Clemente*, qui oſtendit hanc Clementis in Cherſoneſum relegationem in incertae & ſubleſtae fidei Actis narrari.

ADrianus ſecundus, natione Romanus, ex patre Thaloro Epiſcopo (1), ſedit annis quinque. Ad hunc Lotharius Rex, quem Nicolaus Papa pro adulterio excommunicaverat, Romam, ut ſe excuſaret, venit, a quo dum pro oſtenſione innocentiae ſuae ad communionem corporis, & ſanguinis Ieſu Chriſti, tam ipſe, quam optimates ſui per Papam invitati fuiſſent, omnes qui indigne perceperunt, ipſo anno mortui ſunt. Rex etiam ipſa via redeundo Placentiae defunctus eſt (2).

(1) *Gulielmus* habet: *Ex patre Talaro, poſt Epiſcopo Regionis tertiae.*

(2) Obſerva ſpeciem purgationis vulgaris per ſumtionem Euchariſtiae, de qua in Concilio Vormatienſi; ex quo conflatum *Cap. Saepe. II. Quaeſt. V. in Decreto.* Aliud exemplum habes in vita Gregorii VII. apud Hiſtoricos Eccleſiaſticos.

Ioan-

IOannes octavus, ſedit annis decem, diebus duobus. Hic unxit oleo Carolum filium Lodoici Regis in Imperatorem. Huius tempore Saraceni per Italiam diſcurrentes, Eccleſiam ſancti Benedicti de monte Caſino deſtruxerunt. Ad hunc Ioannem Papam Ioannes Romanae Eccleſiae Diaconus vitam primi Gregorii Papae, in quatuor libellis laudabiliter ſcripſit. Hic iniuriam paſſus eſt a Romanis, ita ut in cuſtodia tentus eſſet, eo quod non favebat Carolo, quum in Francia eſſet; nam cum Lodoico Balbo, ſibi contrario, fere per annum moratus eſt. Hic tradidit venerabili viro Angeſio Senonenſi Archiepiſcopo, caput ſanctiſſimi Gregorii Papae, & brachium Leonis Papae, quas venerandas reliquias Senonis, in Eccleſia ſancti Petri, cum magna veneratione collocavit.

MArtinus ſecundus, ſedit anno uno, menſibus quinque, & ceſſavit diebus duobus.

ADrianus tertius, natione Romanus, ex patre Benedicto, ſedit anno uno, menſibus tribus. Hic conſtituit ut Imperator non intromitteret ſe de electione Papae.

STephanus quintus, natione Romanus, ex patre Adriano de Via lata, ſedit annis ſex, diebus novem, & ceſſavt diebus quinque. Huius tempore, quum Normanni, adiunctis ſibi Dacis,(1) paene totam Galliam devaſtarent, propter ipſorum timorem, corpus beati Martini de Turonis Altiſſiodorum eſt translatum, & in eccleſia ſancti Germani collocatum. Sed Monachis propter oblationem litigantibus, & ſuo Sancto miracula quae faciebat adſcribentibus, pro determinatione, leproſus inter Sanctos, ſcilicet Martinum, & Germanum, poſitus, ex parte Martini curatur tantum; & alia nocte reverſus, ab alia parte ab eodem curatur; non propter impotentiam Germani, ſed quia hoſpitem honoravit.

(1) Lege *Danis*.

FOrmoſus, Epiſcopus Portuenſis, ſedit annis quinque, menſibus ſex, & ceſſavit diebus duobus. Hic per picturam renovavit totam eccleſiam beati Petri principis Apoſtolorum. Hic aliquando ob timorem Ioannis Papae fugiens, Epiſcopatum Portuenſem dereliquit, & poſt, quum revocatus redire nollet, anathematizatus eſt; ſed poſt in Galliam ad Papam veniens

niens uſque ad laicatum ſtatum degradatus eſt. Inſuper iuravit, nec Romam, nec ad Epiſcopatum, ſe reverſurum. Poſt a Martino ſucceſſore Ioannis, contra iuramentum reſtitutus, non ſolum Romam eſt reverſus, ſed & Pontificatum ſuſcepit Romanum; propter quod de facto ipſius multa altercatio fuit; prout in ſequentibus patebit.

Bonifacius ſextus natione Tuſcus, ſedit diebus quindecim (1).

(1) Tempus huius Pontificatus in ſententiis eſt. *Platina* tamen cenſet fuiſſe XXV. dierum.

Stephanus ſextus, natione Romanus, ſedit anno uno, menſibus tribus (1), & ceſſavit diebus tribus. Hic a Formoſo Papa Epiſcopus Anagniae ordinatus ipſum perſequitur, & omnes ordinationes ipſius irritas eſſe decrevit (2). Legitur etiam, quod ipſe corpus Formoſi Papae, in Concilio poſitum, a Papali veſte exutum, laicali induit, & duobus digitis dexterae ipſius abſciſſis, manus eius in Tiberim iactari praecepit.

 (4) Tem-

(1) *Gulielmus* habet: *ſedit annos IV. menſes VII. dies XIV.*

(2) Quomodo id intelligendum veniat, vide apud *Natal. Alexandrum Tom. VI. Hiſtor. Eccleſiaſt.* qui late probat perperam id a Stephano factum, & Formoſi ordinationes fuiſſe validas ac canonicas, totamque hanc hiſtoriam eleganter contexit & illuſtrat. Conſule etiam *Thomaſin. De Beneficiis, Part. II. lib. II. Cap. LXIII.*

ROmanus, natione Romanus, ſedit menſibus tribus, diebus viginti duobus (1).

(1) *Platina* ſcribit obiiſſe ſui Pontificatus anno III.

THeodorus ſecundus, natione Romanus, ſedit diebus viginti. Hic contra Stephanum Papam ſententians reconciliavit omnes ordinatos a Papa Formoſo.

IOannes nonus, ſedit annis duobus, diebus quindecim (1). Hic natione Romanus, pugnam fecit cum Romanis. Hic ad confirmandam Formoſi Papae ordinationem, Synodum Ravennae ſtatuit ſeptuaginta quatuor Epiſcoporum, ubi Synodus, quam Stephanus Papa contra Formoſum Papam fecit, reprobata fuit.

(1) *Pla-*

(1) *Platina* ait obiiſſe Pontificatus ſui anno II. die XV.

Benedictus quartus, natione Romanus, ſedit annis tribus, menſibus duobus (1), & ceſſavit diebus ſex.

(1) *Platina* tradit, eſſe mortuum anno Pontificatus tertio, menſe IV.

Leo quintus, ſedit diebus quadraginta. Hunc, poſt quadraginta dies ordinationis ſuae, Chriſtophorus Presbyter ſuus capiens, & in carcerem trudens, per invaſionem rapuit praeſulatum, qui, quum octo menſibus praefuiſſet, a Sergio Papa deponitur, & in carcere tamquam invaſor retruditur.

Chriſtophorus ſedit menſibus octo (1). Hic Papatu eiectus, factus eſt Monachus.

(1) *Platina* ſcribit ſeptimo menſe Pontificatus deiectum.

Sergius, natione Romanus, ex patre Benedicto, ſedit annis ſeptem, menſibus tribus (1), diebus ſedecim, & ceſſa-

vit diebus ſeptem . Huius tempore eccleſia Lateranenſis corruit , quam Papa a fundamento reparavit. Hic Sergius , Diaconus , per Papam Formoſum , a Papatu reprobatus , tandem Papa factus , ad Francos ſe contulit , quorum auxilio Chriſtophorum invaſorem Papatus incarcerans , Romam ingreſſus , Papatum obtinuit , & in ultionem ſuae repulſae , Formoſum Papam , de ſepulcro extractum , & in ſede pontificaliter indutum , decollari praecepit , & in Tiberim iactari , & omnes per ipſum ordinatos deordinavit : quem a Piſcatoribus inventum , & in Baſilicam ſancti Petri repoſitum, quaedam imagines Sanctorum adoraſſe , & venerabiliter ſalutaſſe , palam coram omnibus viſae ſunt.

(1) *Platina* habet , IV , diebus XVI.

ANaſtaſius tertius , natione Romanus , ſedit annis ſex , & ceſſavit diebus triginta uno .

LAndo ſedit menſibus VI , & ceſſavit diebus triginta uno . Hic fuit natione Romanus .

Io-

IOannes decimus, ſedit annis tredecim, menſibus duobus, diebus tribus. Hic fuit filius Sergii Papae, & Epiſcopus Ravennas, qui invaſor Eccleſiae fuit, & ab omni populo Ravennatę depoſitus eſt. Huius conſilio, & auxilio, Saraceni, qui tunc dominabantur in Italia, primo prope Vrbem devicti ſunt. Demum ipſe Papa cum Marchione Alberico intrans Apuliam, contra Saracenos, apud Garilianum cum Saracenis durum bellum habentes, victores effecti, poſtquam Romam redierunt, a Populo Romano cum gaudio, & honore ſunt recepti (1). Sed poſt diſcordia interveniente, Marchio de Vrbe expulſus, in horto Caſtrum exſtruens, ibi ſe recepit, & nuntios pro Hungaris, ut terram Romanorum poſſideant, miſit; qui venientes totam Tuſciam devaſtando, mares, & feminas, & quidquid tollere poterant, in Hungariam deportaverunt, propter quod Romani commoti praedictum Marchionem trucidaverunt; Hungari vero per ſingulos annos, multo tempore fines Romanos devaſtare ſoliti erant. Ioannes vero Papa, a militibus Comitis Guidonis captus, & in carcerem miſſus, ſuper os eius cervicali poſito ſtrangulatus (2) eſt, in cuius loco alter Ioannes ſubrogatur; & quia idem Ioannes

male

male intraverat, ſtatim eiectus fuit, ideo in numero Pontificum non ponitur.

(1) An Pontifex Maximus aliquando bellum indicere & gerere poſſit, diſputat *Ioannes de Carthagena Lib. de Iure Belli Romani Pontificis*, &c.

(2) Strangulatus pro ſuffocatus, de qua phraſi conſule *Thom. Brown. De Error. Popular. Tom. II. Lib. VII. Cap. XI.*

LEo, natione Romanus, ſedit menſibus ſex, diebus ſedecim (1), & ceſſavit diebus decem.

(1) *Platina* habet menſibus VII. diebus XV.

STephanus, natione Romanus, ſedit annis duobus, menſe uno, diebus duodecim, & ceſſavit diebus duobus.

IOannes, ſedit annis quatuor, menſibus decem, diebus quindecim, & ceſſavit die uno. Huius primo anno, in Ianuenſi (1) Civitate fons ſanguinis largiſſime effluxit (2), forte portendens cladem ipſius imminentem; nam eodem anno, Saracenis ab Africa venientibus capta fuit, hominibus, & theſauris, evacuata.

(1) Ge-

(1) Genua, forte, ut *Salvinius* aiebat, dicta, quod in Italiae, cruris humani imaginem referentis, genu ſita ſit, cur a barbari aevi Scriptoribus Ianua adpelletur in cauſſa eſt falſa credulitas, qua eam a Iano conditam perhibent, ut mihi incredulo ſaepius, dum in ea urbe morarer, aures obtundentes incolae fabulabantur. Adi *Cluverium Lib. I. Ital. Antiq. Capit. VIII.*

(2) Fabella.

LEo, natione Romanus, ſedit annis tribus, menſibus quatuor (2), diebus decem, & ceſſavit diebus viginti quinque (1).

(1) *Platina* habet, VI.

(2) *Platina*, ait tres tantum dies vacaſſe.

STephanus, ſedit annis tribus, menſibus quatuor, diebus quindecim (1), & ceſſavit diebus decem. Hic natione Germanus, fuit mutilatus a quibuſdam Romanis.

(1) *Platina* habet, XII.

AGapitus, ſedit annis octo (1), menſibus ſex, diebus decem, & ceſſavit diebus duodecim; natione Romanus.

(1) *Pla-*

(1) *Platina* ſcribit regnaſſe annis IX. menſibus VII. diebus X.

IOannes de regione Via lata, ſedit annis ſeptem (1), menſibus decem, diebus quinque, & ceſſavit diebus duodecim, ex patre Alberico. Hic Albericus quum eſſet potens in Vrbe, vocatis nobilibus, rogavit eos, & induxit, iuramento conſtringendo, ut mortuo Agapito Papa promoverent filium ſuum Octavianum in Papam, quod & factum eſt, vocatuſque eſt Ioannes. Hic erat venator, & totus lubricus, adeo quod & publice tenebat feminas, propter quod, quidam Cardinalium, & Romanorum, ſcripſerunt occulte Othoni Principi Saxonum, ut ſcandalo Eccleſiae compatiens, ſine mora Romam properaret. Hoc Papa percipiens, Ioanni Diacono Cardinali, tamquam huius facti conſiliatori, naſum, & alteri Ioanni Subdiacono, qui litteras ſcripſerat, manum amputare fecit. Hic quum frequenter per Imperatorem, & Clerum, de ſua correptione fuiſſet adnotatus, admonitus, & non correptus, praeſente Imperatore de Papatu deſtitutus, communi voto Leo Papa eligitur (3).

(1) *Platina* ſcribit regnaſſe annis IX. menſibus III. diebus V.

(2) Quan-

(2) Quantum haec Ioannis XII. exauctoratio illegitima fuerit, adeoque Leonem VIII. pro Antipapa habendum eſſe, oſtendit *Natal. Alexand. Tom. VI. Hiſt. Eccleſ. Diſſert. XVI. in IX. & X. Saecul.* Ioanni igitur XII. Benedictus V. ſucceſſit: Martinus vero tertius ante Agapetum II. collocandus eſt iuxta *Platinam*. Sed *Catalogus III. Romanorum Pontificum* a *Vignolio* editus, poſt Ioannem XII. Leonem ſubiicit, poſteaque Benedictum. Idem facit & *Catalogus IV.* At *Platina* Leonem VIII. poſt Benedictum recenſet.

(1) MArtinus tertius, ſedit annis tribus, menſibus tribus, diebus quatuordecim, & ceſſavit diebus tribus; natione Romanus.

(1) Hunc *Platina* ante Agapetum collocat, ut iam adnotavimus.

BEnedictus, ſedit menſibus duobus (1), diebus quinque, & ceſſavit diebus viginti. Hic vivente Leone Papa, a Romanis in Papam eligitur, propter quod quum Imperator Otho Romam obſideret, traditur Benedictus Imperatori a Romanis, & Leone reſtituto, Benedictus in exſilio in Saxonia moritur, & in Amburg ſepelitur (2). Ioannes vero Papa, oblectatus adultera, ſine poenitentia moritur.

(1) *Pla-*

(1) *Platina* habet, VI.

(2) Hic in catalogo legitimorum Pontificum collocandus non erat, ut oſtendit *Onuphrius*.

LEo, ſedit anno uno, menſibus quatuor, diebus quinque (1), & ceſſavit diebus ſeptem. Hic propter malitiam Romanorum ſtatuit ut nullus Papa fieret, niſi de adſenſu Imperatoris.

(1) Hos dies V. non habet *Platina*.

IOannes Narnienſis, ſedit annis ſeptem(1), menſibus undecim, diebus quindecim, & ceſſavit diebus tredecim. Hic a Petro Praefecto Vrbis Romae comprehenſus eſt, & in Caſtello ſancti Angeli recluſus, deinde in Campaniam in exſilium miſſus, decem menſibus, & viginti octo diebus, reverſus eſt Romam, & de perſequutoribus ſuis ab Othone Imperatore ſupplicium eſt ſumtum; nam nobiles Vrbis, quos culpabiles invenit, alios trucidavit, alios laqueo ſuſpendit, quamplures vero in exſilium ad Saxoniae partes tranſmiſit.

(1) *Platina* habet, annis VI. menſibus XI. diebus XV.

Be-

BEnedictus, ſedit anno uno, menſibus ſex, & ceſſavit diebus decem. Hic natione Romanus, in Caſtello ſancti Angeli retruſus, ſtrangulatus eſt abſinthio.

DOnus, ſedit anno uno, menſibus ſex (1), & ceſſavit diebus duobus.

(1) Sex menſes non habet *Platina*.

BOnifacius ſedit menſe uno (1), diebus duodecim, & ceſſavit diebus decem. Hunc Romani, ſuffocato Benedicto ſexto, Papam fecerant, qui poſt non volentes in Vrbe ſuſtinere eum, depraedata eccleſia ſancti Petri, & omnibus pretioſis, fugit in Conſtantinopolim: tandem Romam cum magna pecunia rediens, quum proficere non poſſet, Ioanni diacono Cardinali oculos eruit, & ipſe ſubito deinde extinctus fuit.

(1) *Platina* ſcribit ſediſſe menſibus VII. diebus V. vacaſſe autem ſedem dies XX.

BEnedictus, ſedit annis octo, menſibus ſex, & ceſſavit diebus quinque. Hic, favore Imperatoris multos ex Romanis capi fecit, & fuit natione Romanus. Huius

ius tempore fuit in Remenſi eccleſia Archiepiſcopus vir honorabilis Rodulphus, de genealogia Caroli magni, quae iam in Franciae Regno regnare ceſſaverat, propagatus, quem Hugo tunc Rex Franciae de alia Proſapia genitus, in corde odium habens, convocatis Epiſcopis, adlegans ipſum illegitimum, deponi procuravit, Gilbertum Monachum Presbyterum Philoſophicum, immo potius Necromanticum, ſubſtituendo: quod ſummus Pontifex intelligens, Legatum miſit Remis, & Concilio convocato, Gilbertus deponitur, & Rodulphus reſtituitur. Gilbertus vero depoſitus ad Imperatorem Othonem ſe contulit, quem & ipſe ſcientia erudiverat, qui innata opportunitate, primo Ravennatem Archiepiſcopum, poſt Romanum Pontificem, diabolo inſtigante (1), fieri procuravit; qui infra dictus eſt Silveſter, unde verſus: *Scandit in R. Gilbertus ad R. poſt Papa vigens R.*

(1) Vide inferius adnotata in *Silveſtro*.

IOannes ſedit menſibus octo; & ceſſavit diebus decem. Hic in caſtello ſancti Angeli per quatuor menſes fame adflictus, mortuus eſt, & ſepultus in Vaticano.

Ioan-

IOannes, natione Romanus, ſedit menſibus quatuor (1), & ceſſavit die uno.

(1) *Platina* habet, VIII.

IOannes, natione Romanus, ſedit annis decem, menſibus ſeptem (1). Hunc Creſcentius Patricius in tantum perſequi coepit, quod ipſum oportuit Vrbem relinquere, & Tuſciam intrare. Cognito autem Creſcentius quod Papa pro Othone Imperatore miſiſſet, ut ad urbem rediret nuntios miſit, & veniente Papa, ipſe cum Senatu ad pedes Papae veniam poſtulavit, ſicque Papa, facta pace, Romae defunctus eſt.

(1) *Platina* ſcribit, menſibus VI. diebus X.

GRegorius, natione Saxo, ex patre Othone, ſedit annis duobus, menſibus quinque, & ceſſavit diebus viginti quinque (1). Hic Bruno primo dictus, quum eſſet conſanguineus Othonis tertii, ad inſtantiam Imperatoris eſt electus in Papam; ſed poſt parvum tempus Creſcentius Conſul Vrbis, Placentinum Epiſcopum, de regione Conſtantinopolitana cum magna

pecunia redeuntem, in Papatum intruſit: ſed hoc factum per Imperatorem gravem ultionem recepit.

(1) XV. habet *Platina*.

IOannes, ſedit menſibus decem, & ceſſavit diebus viginti. Hic nihil conſtituit. Hic natione Graecus, Placentinus Epiſcopus, vivente Papa Gregorio, per Conſulem Vrbis Papatum habuit; ſed poſt per Imperatorem exoculatus fuit.

SIlveſter, natione Gallicus, nomine Gilbertus, qui mortuus fuit ad ſanctam Crucem in Ieruſalem, ſedit annis tribus (1), menſe uno. Hic primum iuvenis Floriacenſis coenobii in Aurelianenſi dioeceſi Monachus fuit, ſed dimiſſo Monaſterio, homagium (2) diabolo fecit, ut ſibi omnia ad votum ſuccederent, quod diabolus promiſit implere. Ipſe obſequiis diaboli inſiſtens, frequenter ſuper deſideriis ſuis cum eo loquebatur. Veniens autem Hiſpalim Hiſpaniae, cauſa diſcendi, in tantum profecit, quod ſua doctrina etiam maximis placuit; habuit enim diſcipulos, Othonem Imperatorem, & Robertum Regem Franciae (qui inter alia Sequentiam,

tiam, *Sancti Spiritus adſit nobis gratia*, compoſuit) & Leoteringum, qui poſt fuit Epiſcopus Senonenſis. Sed idem Gilbertus quia plurimum honores ambiebat, diabolus, ea quae petebat, ad votum implevit; fuit enim poſt Remenſis Archiepiſcopus; poſt Ravennenſis, vel Ravennas; tandem Papa: & tunc quaeſivit a diabolo, quantum viveret in Papatu; reſponſum habuit, quamdiu non celebraret in Ieruſalem. Gaviſus fuit valde, ſperans ſe longe vivere, & longe eſſe a fine, ſicut longe fuit a voluntate peregrinationis in Ieruſalem ultra mare. Et quum in Quadrageſima in eccleſia, quae dicitur Ieruſalem, celebraret, ex ſtrepitu daemonum, praeſenſit ſibi mortem imminere, & ſubſpirans ingemuit. Licet autem ſceleratiſſimus eſſet, de miſericordia Dei non deſperans, coram omnibus revelando peccatum ſuum, membra omnia, quibus diabolo obſequium praeſtiterat, iuſſit praecidi, & demum truncum mortuum ſuper bigam poni, ut ubicumque animalia perducerent, & ſubſiſterent, ibi ſepelirent; ſepultuſque eſt in Lateranenſi eccleſia, & in ſignum miſericordiae conſequutae, ſepulcrum ipſius, tam ex tumultu oſſium, quam ex ſudore, praeſagium eſt morituri Papae, ſicut in eodem ſepulcro eſt in litteris exaratum.

(1) *Platina* ſcribit, annis IV. menſe I. dies X.

(2) Fabulae omnes, & mileſiae, de quibus vide quid ſcribat *Onuphrius* ad Platinam. Similia quaedam plane deridicula occurrunt in Auctore Anonymo MS. Bibliothecae Laurentianae, qui anno circiter MCC LXXVII. hiſtoriam belli ſacri in Palaeſtina confecti Gallica lingua conſcripſit. Nam in extremo Codice, ſeu idem contextus ſit, quod non videtur; ſeu continuatio quaedam & additamentum, aliqua etiam de illius aetatis Pontificibus commentatur.

IOannes, ſedit menſibus quinque (1), diebus viginti quinque, & ceſſavit diebus undeviginti.

(1) *Platina* habet, quatuor, & dies XX.

IOannes, natione Romanus, de regione, quae vocatur Porta metropolis, ſepultus eſt (1). Huius tempore floruit Rex (2) Robertus, vita, & ſcientia praeclarus, qui tantae devotionis fuit, quod in feſtis ſemper in aliquo Monaſterio propter officium voluit eſſe; & non ſolum cum Monachis cantabat, verum etiam capa ſerica indutus, chorum regebat: unde, quum quoddam caſtrum obſediſſet, dimiſſo exercitu propter feſtum S. Aniani Aurelianos venit, & quum choro regendo alta voce *Agnus Dei*, flectendo genua, incepiſſet, muri caſtri,

quod

quod obſiderat, funditus corruerunt. Hic fecit Sequentiam, *Sancti Spiritus adſit nobis gratia* (3).

(1) Supplendum ex *Martino; apud ſanctum Petrum.*

(2) Scilicet *Franciae*.

(3) Vide ſuperius in *Silveſtro pag.* 162. Huius Pontificis mentio occurrit in antiquo Inſtrumento, ex quo conſtat Bonifacium Marchionem, Mathildae patrem, donaſſe quaedam bona & agros Monaſterio Fontanae Taonis in Apennino ſito: quod debeo humanitati numquam ſatis laudatae Reverendiſſimi Domni Abbatis *Fulgentii Nardii*, alias memorati, & cujus ſaepius mentio in huius voluminis decurſu merito occurret. Inſtrumentum autem ita ſe habet:

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno Deo propitius Pontificatus Domni Iohannis Summi Pontificis, & univerſali Pape in apoſtolica ſacratiſſima Sede Beati Petri Apoſtoli, Domini noſtri Ieſu Chriſti Sede ſecunda, atque regnante Domno Heinrico piiſſimo Rege in Italia, Anno tertio, die vigeſimo tertio menſis Septembris, indictione ſeptimo. Fontana Tanoni fel.

Profitentes profiteor ego quidem in Dei nomine Bonifacius glorioſus Marchio per huius pagine noſtre voces, profeſſionis, ſponſionis, donationis, ſeu transperſionis, atque perpetualis tranſactionis, a preſente dies noſtre pagine te preſente in Dei nomine Domno Iohannes venerabilis presbyter & monachus, atque Abbas, & ſpiritualis Pater noſter, & per te in monaſterio ſancti Salvatoris tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum per remedium anime noſtre. Pro Deo enim dans damus, donamus, cedimus, ſeu transferimus, atque cum obligationibus offerimus, & de noſtru iu-

ru, noſtroque dominiū, noſtriſque filii & heredibus alienamus, ſeu tranſcribimus, atque ſubdamus in iura & dominiū tuū ſuperſcripto Iohannes Abbas ſpirituali patri meo, tuiſque ſucceſſoribus in perpetuū. Nos quod habemus, ac poſſidemus, & a noſtris manibus iure videmus, quas obvenit, per quod modis, vel titulū aut undique nobis adveniſſe, ideſt, Caphadio Bonisacingo qui eſt poſito territurio Piſtorienſe plebe ipſius Piſtorienſe inter affines de ſupraſcripta terra, quae ſuperius legitur, hoc eſt ab uno latere Garitano, ab alio latere fluvio, qui vocatur Caſſianola, a tertio latere Caſſadio Sancti Zenoni, qui vocatur Madiatica, ſed quarto latere poſſidente Rainerio daſtruta. Vero etiam damus, & cedimus tibi presbytero Iohanni ſupraſcripto, & Abbas venerabilis Monacho, tuiſque ſubceſſoribus perpetuū locū noſtrum in integro, qui vocatur Stazano, cum omnibus pertinentiis ſuis, & in Bazio, omnia que nobis pertinent ut ămodo preſente die, aut quando volueris, liceat tibi ſupraſcripto Iohanni monachus, & Abbas, tuiſque ſucceſſoribus in his omnibus q. ſuperius legitur, inibidē introire, & preoccupare, adq. ingredere, & poteſtatē ſine ullo atque obſtaculo, vel impedimento per huiuſmodi pagine donationis transactionis a nobis in vobis facta, atque tradita, tamquā per legitimam, & noſtrā corporalē traditionē de iſta Eccleſia ſancti Salvatoris, & de nrīs manibus in tuis mittimus in preſentia teſtium damus, atque corporaliter tradimus cum oīa que ſuperius legitur habendi dominiū & poteſtatem quieti tramite habeatis, teneatis, poſſideatis, vindicetis, atque defendatis, etia utendi, ſolvendi e more ſalario in eodē monaſterio in perpetuo permanendi pro eo, ſicut diximus pro redemptione anime noſtre, & ab odierna die nūquā liceat mihi ſupraſcripto donatori, benefactori, neque meis

filiis,

ſiliis, & heredibus ullo unquã in tẽmpore quamvis exinde facere queſtionẽ, repetitionẽ, aut cauſationẽ, vel interpellationẽ, ullamq. moleſtiã generare contra te Iohannes Abb. vel tuis ſubceſſoribus, pro his omnibus, q. ſuperius legitur, pro ex parte, vel ex toto nũquã agimus, neque contendimus, aut invadimus, vel occupamus, neque a gentibus, quo defendere audeam pro nulla occaſione, neque ingenio non per nos, neque per noſtros heredes filios . . . . . . a noſtra ſummiſſa perſona, maioris, vel minoris, propinquis, vel exteris non adeundũ judiciũ, aut ad ſupplicandum Principibus . . . . pro Eccleſiaſtica interpellatione, aut per regalẽ, vel imperialẽ mageſtatẽ neque pro ullo modo, ullũq. tructionẽ contraire, de quo ſenſus humanus arguere potẽs eſt, ſed in omni tẽpore ſecurus, & quietũ, tuoſque ſubceſſores exinde maneatis in omnib. in perpetuũ. Et ſi quoq. tẽpore quiſpiam perſona homine inſurgerit, qui vos exinde, vel ex parte, vel ex totum expellere, aut qualibet calupnia generare voluerit nos ſupraſcripto donatore pro remedio anime noſtre una cum nois filiis, & heredibus tibi ſupraſcripto Iohannes Monachus, & Abb. tuiſque ſubceſſoribus ab omni perſona hoium ſtare. & obtociare, ſeu defendere debeamus, quod ſi omĩa hec que ſuperius legitur non ſervavimus, vel non adimpleverimus, pro quibus iurata voce dicimus per Deum omnipotentem, Sedemque Apoſtolica, & vita ſuperſcriptorum Dominorum Atti Tizone confirmamus, quia dare nos eſſe permittimus tibi ſupraſcripto Iohanni presbytero, & monacho, atque Abb. tuiſque ſubceſſoribus. Et ſi quis contra hanc cartula ire, aut corrumpere, vel minuare, aut inviolare, cum Datham, & Abiron, Anna, & Caipha, & Iuda traditore dampnetur in infernum, & cum Simone Mago, qui gratia Spiritus Sancti uſurpa-

 vit,

vit, ſiat dampnatus, & confuſus ante oms litis initium, aut interpellatione poene nomine auri obrizo libras quatuor ſit compoſiturus, & poenam ſolutam maneat hanc cartula donationis permaneat in ſua firmitate.

Signum ſcriptum manus ſupraſcripto Bonifacio marchiones iam dicti donatoris ad omia cui relictu eſt.

S. manus Sigifredo in hac cartula donationis rogatus teſt. SS.

S. manus Attius in hanc cartula donationis rogatus teſt. SS.

S. manus Bondi in hanc cartula donationis rogatus teſt. SS.

S. manus Garandus in hanc cartula donationis rogatus tt. SS.

S. manus Petrus in hanc cartula donationis rogatus tt. SS.

Quam vero paginam Petrus quidem in Dei nomine Notario noſtrum ſcribendum rogavimus, & ſuper manus noſtra propria firmavimus, teſtibuſque a nobis rogatis obtulimus, & eorumque preſentia tradimus ſub dies vigeſimo tertio menſe Septembris, Indicione ſeptimo Fontana Tanoni.

Huius quidem Bonifacii Marchionis donationis confirmatio quaedam videri poteſt cum alia donatione coniuncta, haec, quam exhibet ſequens Diploma Conradi II. Imperatoris, & Regis, quod ita habet.

In nomine Sanctiſſimae, & individuae Trinitatis Chonradus divina favente clementia Rex.

Quidquid locis divino cultui mancipatis noſtrae liberalitatis munere conferimus, id nobis in aeterna re-

retributione lucrum pro certo credimus; quapropter cognoſcet omnium fidelium ſanctae Dei Eccleſiae, praeſentium ſcilicet, & futurorum, ſollertia qualiter nos interventu, & petitione dilectae coniugis noſtrae Giſlae Reginae per hanc praecepti noſtri paginam, prout iuſte & legaliter poſſumus, Monaſterium S. Salvatoris, una cum Abbate Monachiſque, in loco, qui dicitur Fontana Taonis, Deo, & S. Salvatori ſervientibus cum eorum omnibus rebus & proprietatibus, ſcilicet terris, vineis, pratis, paſcuis, paſcuationibus, cultis vel incultis, quod quidam Bonifacius Marchius pro remedio animae ſuae ibidem contulit, nominative Caſagium quod vocant Bonifazingo, & quod nos pro Dei timore donamus manſum & ſupraſcriptum illorum in loco Stagiano cum omnibus ad eamdem Villam pertinentiis, & in Baio quidquid ad noſtrum regale dominium attinet, & Alpem, ubi praefatum Monaſterium ſitum eſt, ab eccleſia ſancti Mamme, vel a cetera loca quae ita nominantur Colles Bolagi, Petra Bottiliaria, Capud Lentule, Collem Fraſcini, cum Vallibus eorum, aquarumque decurſibus, in Lementria, Riola, loca Canilia, & via Publica colline, & quidquid eidem loco, vel in antea vel amodo a quoquam collata extiterit, confirmamus, & ſicut ab anteceſſore noſtro pie memorie Sereniſſimo ac ſemper Auguſto Henrico Imperatore diſpoſitum eſt, nos etiam noſtrae regalis potentiae auctoritate conroboramus, quatenus praedicti Monaſterii Abbas eiuſque Monachi ibidem Deo ſervientes in uſum, & ſumptum praedictas res teneant, poſſideant iure perpetuo, omnium contradictione remota, firmiter praecipientes ut nullus Dux, Marchio, Comes, Gaſtaldius, Decanus, ſeu ulla regni noſtri magna parvaque perſona, eumdem Abbatem, ſuoſque ſucceſſores atque Monachos, inquietare, moleſtare,

aut

aut diſveſtire praeſumat de omni praedicta re. Siquis autem huius praecepti noſtri violator exſtiterit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi libras centum, medietatem Camerae noſtrae, & medietatem praefatis Monachis, quod ut verius credatur manu propria roborantes, Sigilli noſtri impoſitione iuſſimus inſigniri.

Signa Domini Chonradi Sereniſſimi, & Invictiſſimi Regis.

Hugo Cancellarius vice Arbonis Archiepiſcopi, & Archicancellarii Regnorum.

Data anno Dominicae Incarnationis MXXVI *Indict.* X *anno Domno Chunrado Reg.* III *in Campo Luce feliciter.*

Ego Gualbertus Notarius, & Iudex ſacri Palatii, qualiter in autenticum ſcriptum inveni fideliter exemplavi.

SErgius, ſedit annis duobus, menſibus ſeptem (1), & ceſſavit diebus octo. Hic fuit ſanctae vitae, & caſtitatis, & converſationis honeſtae: ſepultus eſt in ſancto Petro.

(1) *Platina* habet tantum, annis II. diebus XV.

BEnedictus, ex patre Gregorio, ſedit annis undecim, diebus viginti uno (1), & ceſſavit diebus quinque. Hic fuit natione Tuſculanus, & eiectus de Papatu, factus eſt alius Papa; unde maximum ſchiſma fuit. Dicit *Petrus Damianus* (2), quod qui-

quidam Epiſcopus vidit hunc Benedictum Papam equo nigro quidem corporaliter inſidere; & dixit ei, *Nonne tu es Benedictus Papa, quem iam deſunctum novimus? Ego ſum*, inquit, *ille infelix Benedictus. Et quomodo eſt tibi*, inquit, *Pater?* Et ille, *Graviter*, inquit, *torqueor; ſed de Dei miſericordia non deſpero, ſi mihi adiutorium non deſit; vade*, ait, *ad ſucceſſorem meum Ioannem Papam, & dic ei, ut in tali theca ſummam pecuniae accipiens, pauperibus diſtribuat; quia quicquid ante per me datum fuerat pauperibus, nihil mihi profuit; quia de rapina fuit*. Quod Epiſcopus & fideliter explevit, & epiſcopatui cedens, monaſterium intravit.

(1) *Platina* habet, menſe uno, diebus XIII.
(2) Proprie *Petrus Damiani* dicendus eſt.

IOannes, ex patre Gregorio, ſedit annis novem (1), & ceſſavit diebus duobus (2). Hic natione Romanus habuit bellum cum Romanis. Huius tempore Almericus ſancti Stephani primi Regis Hungariae filius, virgo cum ſponſa ſua, obiit, miraculis coruſcando (3).

(1) *Platina* habet, annis XI. & diebus IX.
(2) *Platina*, VIII.

(3) Hu-

(3) Huius Ioannis XX. Pontificis Maximi iuſſu id actum eſt a delegatis Iudicibus in cauſſa, quae vertebat inter Theodaldum Arretinum Epiſcopum, & Leonem Epiſcopum Sehenſem, quod inſtrumento, quod proferimus, continetur; quodque humanitati clariſſimi Viri *Marii Florii*, Patricii Arretini, acceptum fero; qui inſuper illud quaedam adnotando illuſtravit, & ſequentia adſcripſit: *Theodaldus filius Theodaldi Ducis Ferrariae, Marchionis Eſtenſis, Comitis Canoſſae, Domini Lucae, Placentiae, Parmae, atque Regii Lepidi. Theodaldum alii, alii Theobaldum dixere.* Thomas Dempſterus, *in ſua* Etruria Regali Tom. 2. Lib. 5. Cap. 7. p. 308. *Theobaldum adpellat, eumdemque ſediſſe adfirmat anno* 1022. *&* 1033. *Fuit & eiuſdem nominis alius Theobaldus in Arretina Eccleſia Marcellini Albergotti, ſive, ut alii, Marcellini Peti anteſignanus, qui Pontificatus ſedem tenebat anno* 1250, 1256, *&* 1275, *ut ex tabula chronologica ſuperius laudati* Dempſteri. *Theodaldus S. Patris Romualdi precibus inductus, conſecravit Eccleſiam ſacrae Eremi Camaldulenſis, ſub titulo S. Salvatoris. Quidam putaverunt, inter quos* Bonamicus *Hiſtoricus Arretinus, id factum anno* 1027. Anno Domini 1027. menſe Auguſti. Theobaldus Arretinus Epiſcopus 5. anno ſui epiſcopatus ad honorem piae recordationis Domni Romualdi clariſſimi Eremitae, de conſilio, & conſenſu fratrum ſuorum, pro remedio animae ſuae conceſſit quamdam Eccleſiam in mediis Alpibus, dividentibus Tuſciam & Romandiolam, poſitam, & rogatu dicti Domni Romualdi Eremitae in honorem S. Salvatoris a ſe ipſo conſecratam, in loco, qui dicitur Campus malduli, Campus ſpecioſus, & amabilis, & totum circa dictam Eccleſiam territorium, & quamplura alia bona, prout latius legitur,

tur, & adparet ex inſtrumento inde confecto, dato Arretii in Clauſtro Canonicorum. *Ex privilegio Franciſci de Minerbettis de eadem conſecratione verba habentis, ac eiusdem Theobaldi in Arretina Eccleſia ſub annum* 1524. *poſtmodum ſucceſſoris elicitur hoc eveniſſe anno* 1032.

. . . Theodaldus fieri praecepit honorus,
Anno milleno, ter deno inſtante ſecundo.

Hactenus *Florius* eruditus. Ipſe addiderim tantum hunc Theobaldum Comitiſſae Mathildis patruum fuiſſe, fratremque Bonifacii, de quo ſupra *pag.* 165. ut ex Mathildis hiſtoriae Scriptoribus conſtat, & conſulendus eſt etiam *Vghellus* noſter in Epiſcopis Arretinis. Ceterum Bonamici locus illuſtrandus ex ipſo inſtrumento, quod in Archivo Camalduli adſervatur, & ex parte a *Mabillonio* in Itinere Italico refertur, in eoque eſt quod Theobaldus *ſancti Donati Vicarius ob amorem piae recordationis Patris noſtri*, inquit, *domni Romaldi clariſſimi Eremitae*, communi conſilio fratrum ſuorum clericorum concedit *domno Petro Venerabili Eremitae ad uſum confratrum Eremiticam vitam ſub eo degentium, quamdam Eccleſiam in mediis Alpibus, iuris Epiſcopii S. Donati, quam nos*, inquit, *rogatu domni Romaldi Eremitae conſecravimus ſub honore & nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Sancti Salvatoris, &c. Datum anno Dom. Incarn. MXXVII. anno vero Pontificatus domni Theobaldi Epiſcopi V. menſe Auguſto, Indictione X.* Ex quo evidenter emineret error numerorum in privilegio *Franciſci Minerbettii*, niſi *Vghellus* doceret, Theodaldum ſummae aedis Arretinae tribunam, olim templum Apollinis, exornandam curaviſſe, ubi illa carmina legebantur:

Theodaldus fierique ſimul praecepit honorus,
Anno milleno, ter deno inſtante ſecundo.

Qua-

Quare haec non reſpiciunt Theobaldi donationem Petro Venerabili factam, ut patet. Inſtrumentum autem ita habet:

In nomine Domini Dei eterni Salvatoris N. Jeſu Chriſti. Dum ex juſſione Donni Iohannis Apoſtolici, & univerſalis Papae coniunxiſſemus nos, Donnus Benedictus Portuenſis Eccleſiae Epiſcopus, & R. Sedis Apocriſiarius, & Donnus Petrus Caſtri Felicitatis., & Gonfredus Volaterren. Epiſcopi, apud plebem S. Marcellini, qualiter nos Deo adiuvante canonice diffiniremus intentionem Plebium, quas Aretina Eccleſia detinet in Senen. Comitatu, de quibus Leo Senen. Epiſcopus in Synodo proclamavit, repreſentavit ſe nobis Donnus Theodaldus Aretin. Sedis Epiſcopus cum Petro Plebitano S. Petri in Pava, & cum Raifredo S. Marie in Salto, & cum Petro S. Agate in Sciſciano, & Rainaldus S. Viti in Corſignano, & cum Hoperto, & Bonzone S. Ioannis in Veſcona, Ioannes & Barocio S. Viti in Verſuris, & cum Donato, & Martino S. Marie in Pacina, & cum Purizone, & Liuzone S. Victoris, & cum Petro S. Quirici in Auxenna, & Adamo S. Marie in Conſona, & Liuzone S. Andree in Malcinis religioſis, & Plebitanis, & cum nobilibus Vaſſis eiusdem Aretine Eccleſie, ideſt, cum Hubaldo filio Ilderonis, Ildibrando, & Rodulfo filiis vice Rodulfi, & cum Rainerio filio Ildibrandi, Gottizzone filio Gottizzone, Vrſone filio Grifonis, Grifone, & Saſſone filiis Ildibrandi, & Everardo filio Vvalcapi, Rolando filio Benzonis, & Runerio filio Vviltelmi, & Ranerio filio vice Ragenerii de Doſſena, & cum judicibus Vrſone, Anſelmo, Alberto, Iohanne, Sigifredo, & Arnulfo, & ceteris compluribus clericis, ac laicis, Donni Apoſtolici Decretum, & Sinodalia Decreta precetta complere paratus. 1. fines ſue Eccleſie dioceſis oſtendere & poſſeſſio-

ſeſſionem eccleſiaſticam & mundanam ad partem S. Aretinae Eccleſiae jurare, adſtantibus Ardingo & Vualfredo Comitibus. Predicti vero Reverendiſs. Epiſcopi & Comites videntes prefatum Donnum Theodaldum Epiſcopum cum ſuis presbyteris ac laicis preceptum Apoſtolicum complere paratum, dixerunt, Si vobis placeat inquiratur ſi domnus Leo Epiſcopus hoc recipere voluerit. *Ad quod inquirendum predicti epiſcopi cum irent directi ſunt a Donno Theodaldo Epiſcopo & ſupradicti Iudices, & ſue Eccleſie Archidiaconus, qui audirent quid prefatus Leo Epiſcopus reſponderet Epiſcopis, & Comitibus; & ſibi veraciter cuncta que diceret referrent: qui vero que dixit audierant, & inſuper Vincentius Archidiaconus vice Donni Theodaldi ſui Epiſcopi per prefatos Preſules, & Comites, invitavit eum ut Dioceſis fines videret, & ſacramenta canonice & legalis poſſeſſionis ſecundum quod praeceperat Domnus Apoſtolicus qui reciperet qui penitus hoc recipere . . . . In hoc ſpreto Apoſtolico, & Sinodali decreto, quod videntes praedicti Epiſcopi, & Comites, & qui a Donno Theodaldo Epiſcopo ſunt directi, reverſi, que audierunt, retulerunt, ideſt, quod ipſe Leo Epiſcopus nec fines dioceſis Aretine Eccleſie videre, neque ſacramenta audire voluiſſet. Tum Donnus Petrus S. Quirici Archipresbiter, & Aretine Canonice Prepoſitus ante omnes Archipresbiteros Evangeliorum librum coram ſe habens talem prorupit in vocem.* Cum ſemper in mente mea propoſuiſſem, numquam in vita mea ſacramentum facere, tamen quia ſpero me verum iurare, & in hoc non offendere, hoc iuro, quod Aretina Eccleſia ſemper illas plebes tenuit ab eo tempore quo natus fui, & Eccleſiaſticam obedientiam Aretinae Eccleſiae facere vidi. *Item ceteri Archipresbiteri dixere.* Secundum quod & avi noſtri dixere patribus noſtris, & patres no-

noſtri dixere nobis, & nos quia ſenes ſumus, neque ab his audivimus quod illas plebes aliquo in tempore a centum annis & ſuper Senenſis Eccleſia teneret, ſed S. Aretina Eccleſia ſemper tenuit, omnem Eccleſiaſticam obedientiam a nobis, & a Patribus noſtris habuit, & hoc ſumus iurare parati. *Poſt Vbaldus Aretine Eccleſie nobilis Vaſſus cum Ildiprando, Rodulfo, Griffone, Saſſone, Rainerio, Heverardo, Gottizzone, Rolando, Vrſone, itemque Rainerio ſibi ſimilibus, & predicte Aretine Eccleſie nobilibus Vaſſis accepto Evangeliorum libro profeſſus eſt ſe iurare canonicam, & mondanam poſſeſſionem ad partem S. Aretine Eccleſie. Epiſcopi autem hoc cernentes dixere:* Nos videmus quia vos preparati eſtis, ſed nos non recipimus, quia Senenſis Epiſcopus recipere non vult: nos tamen hec omnia Donno Apoſtolico debemus renunciare, & Deo favente renunciabimus: ipſe cum ſuis Epiſcopis Deo auctore inveniat qualiter Aretina Eccleſia ut ſemper tenuit teneat, & ſupradictus Leo Epiſcopus, ſuique ſucceſſores, in perpetuum ex . . . . ſileant: quia haec omnia vidimus, & ut ille nos vidiſſe credat manu noſtra ſubſcripſimus. *Hoc autem factum eſt anno Dominice Incarnationis milleſimo vigeſimo nono. Regnante Currado Imperatore piiſſimo Anno Imperii tertio menſe Maio Ind. X.*

Ego Benedictus Portuenſis Epiſcopus, & Apocriſiarius S. Apoſtolice Sedis hec omnia vidi & pro defenſione S. Aretine Eccleſie ſcribi iuſſi & manu mea inferius ſcripſi.

Ego Petrus Caſtellanen. Epiſcopus interfui ut ſupra.

Ego Gonfredus Volaterranen. Epiſcopus miſſus a Donno Apoſtolico interfui, & ſubſcripſi.

Albertus Judex Domini Imperatoris ſcripſi hec ac fideliter denotavi.

Be-

BEnedictus, natione Tuſculanus, ex patre Alberico, ſedit annis quatuordecim (1). Iſte fuit eiectus de Papatu, & factus eſt Papa Sabinenſis Epiſcopus, qui infra vocatus eſt Silveſter; & iſte quoque eiectus eſt, & Benedictus recuperavit Papatum; & iſte iterum eſt eiectus, & datus eſt Papatus Ioanni Archipresbytero ſancti Ioannis ante portam Latinam, qui Gregorius ſextus infra dictus eſt; & hic, habito Papatu, quum eſſet rudis litterarum, alterum Papam, ad vices Eccleſiaſtici officii exſequendas, ſecum conſecrari fecit, quod quum multis non placeret, tertius adducitur, qui ſolus vices duorum impleret: unus itaque contra duos, & duo de Papatu contra unum altercantur. Mortuo itaque Gregorio, Henricus Imperator contra duos Romam accedit, & eis canonica, & imiperiali, cenſura depoſitis, Sindigerum Bambergenſem Epiſcopum, qui & Clemens ſecundus dictus eſt, in Papatu per vim ſubſtituit, a quo Henricus Imperator coronatur, Romanis ſibi promittentibus, & iurantibus, ſe ſine ipſius conſenſu numquam Romanum Pontificem electuros. Iſte Benedictus, qui fuit nepos ſuperioris Benedicti, adparuit cuidam in ſpecie cuiusdam monſtruoſi animalis, cuius caput & cauda aſini erant, reliquum corpus ſicut urſus;

quumque conſpector territus fugeret, clamans monſtrum poſt ipſum dixit: *Noli me expaveſcere, ſcio me hominem fuiſſe, ſicut tu es, ſed ſic repraeſento, ſicut olim infelix Papa exſiſtens, beſtialiter vixi* (2). Huius tempore ſanctus Gerardus Epiſcopus in Hungaria, ſuper bigam ligatus de altiſſimo monte curſu praecipiti martyrio coronatur.

(1) *Platina* ſcribit, annis X. menſibus IV. diebus IX.

(2) Hanc quidem adparitionem fabuloſam exiſtimo; ſed narratio haec ſuffragari videtur iis, quae περὶ μετεμψυχώσεως commentatur *AEneas Gazaeus* in *Theophraſto*, & *Marſ. Ficinus*, ut Pythagoram, & Platonem, Platonicoſque aliquo modo excuſent. Nil enim aliud forte illi ſignificare volebant, quam corruptis moribus nos ex rationalium animalium cenſu, ad irrationales & mutas pecudes deficere quodammodo. Quam quidem animalium diſtinctionem, quum non adhibuiſſet *Riccius* ad Homiliam Baſilii, inter Italice ab eo converſas duodecimam, ea adnotat, quae ſatis oſtendunt Baſilii ſententiam ab eo non ſatis explicari, ubi ait Baſilius, cum rationales, tum irrationales creaturas adpetitu glorificandi Deum natura inſito agi: adnotat enim *Riccius* id metaphorice a Baſilio dici; quum id proprie ab illo enunciari liquido conſtet. Nan ſi bruta adpetitu edendi, bibendi, generandi, ducuntur; cur proprie etiam non dicetur, impetu quodam & inſtinctu ad creatorem ſuum glorificandum impelli, implendo ea, quae iis praeſcripſit; quandoquidem, tam animata, quam ina-

inanima, *maieſtatem*, ut *Hieronymus* ait, *ſentiunt conditoris?* Et eo praecipue, quod nihil tritius, & uſitatius, in quorumdam Philoſophorum ſcholis, quam adpetitus quosdam etiam rebus inanimis proprie tribuere; quos quidem, ſi recte intelligas, cum *vi attractiva* Newtonianorum facile confundas. Confundit etiam ibidem *Riccius*, ut patet, irrationalia cum inanimis, quia ea cognitione carentia adſerit, quod quidem παράδοξον, vel vehementer controverſum. Sed animadvertere debuerat aliud eſſe inanimum, quod Baſilius non commemorat; aliud, irrationale, in quo adpetitum glorificandi Deum ingenitum Baſilius adgnoſcit. Quod ſi ita Baſilius non ſenſiſſet, ineptiret profecto, & nugas ageret. Quum enim coniungat rationalia, & irrationalia, iiſque aeque adpetitum glorificandi Deum natura inſitum dicat; quomodo feratur, ſi de illis proprie, de his metaphorice eodem tempore loquatur? Quum utraque deinde etiam comparet, & utraque pariter dicat, digne de Deo loquendi, aut cogitandi, facultate deſtitui, quod quidem vere & proprie de utriſque dicitur? Et profecto quis umquam erit, qui credere poſſit, *id natura eſt inſitum; id natura eſt ingenitum; rerum natura comparatum eſt*, in metaphoris a quoquam poſſe uſurpari? Nonne fuerit Hippocratis vinculis adligandus qui dixerit, *Rerum natura comparatum eſt ut prata rideant?* Aliud eſt rhetoricas phaleras, & poetica commenta perſonare; aliud de rebus graviſſimis docte, & copioſe, diſſerere, quod doctiſſimus Baſilius facit, dum in praedicta ſententia eſt. An vero Baſilius falſus fuerit, necne, modo non quaero. Sed quoniam Baſilii mentem indagare incepimus, animadvertemus pariter minus vere a citato *Riccio* ad Homiliam V. a ſe verſam adnotari, Baſi-

lium dixiſſe, Adamum in paradiſo collocatum, principatum, ut Angelos, a Deo accepiſſe; & Archangelorum ibidem ſocium & familiarem fuiſſe, amplificationis tantum gratia; quod quidem de Patre adeo gravi, docto, ac ſapiente, non facile eſt credendum. Non enim idem eſt Angelos tantum commemorare, ac Angelos Archangeloſque nominare. Nec temere quidquam, aut utiliter, Pater ille prudentiſſimus profert; ſed id effatus eſt, vel quia multi opinantur, Deum miniſterio Angelorum & Archangelorum uſum, ubi cum hominibus loquutus eſt; de quo *Auguſtinus Lib.* III. *De Trinit. Cap.* VIII. & IX; quare ſtatim Baſilius poſt nominatos Archangelos ſubiicit, Adamum divinae vocis auditorem fuiſſe; vel quia vere cenſuit, Adamum a Deo horum familiaritate dignatum fuiſſe; quod quidem Iudaeis Cabaliſtis in primis adridet. Et in memoriam revocandum, quid de *Raphaelis*, & *Cabrielis* miniſterio coeleſtes litterae tradunt.

(1) SIlveſter, de ſancto Ioanne ad Portam Latinam, ſedit annis duobus, menſibus ſex. Hic cum Rege Henrico habuit bellum. Hunc *Gulielmus* in ſuis Chronicis dicit, ſanctum virum, & quum ad Papatum veniſſet, parum vel nihil ad Papatum pertinens, propter incuriam, & negligentiam anteceſſorum ſuorum, inveniſſe; nam paene omnia a praedonibus tollebantur. Peregrini Romam venientes quidem omnes ſpoliabantur, & pervenientium

tum oblationes violenter auferebantur. Quos omnes Papa admonuit primo, poſt excommunicavit, tertio, quia contemſerunt, manum armatam adpoſuit, & primo raptores oblationum ſancti Petri, aut penitus extinxit, aut fugavit. Occiſis itaque raptoribus, praedam, & oppida multo tempore amiſſa recuperavit. Tunc ipſum omnes homicidam clamantes, non Papam, ſed ſanguineum dicebant. Cardinales quoque ipſum in infirmitate, in qua & mortuus eſt, indignum fore dixerunt in eccleſia ſancti Petri ſepeliri, qui tot mortibus hominum ſacerdotium foedaſſet. Tunc Papa licet infirmus, reſumto ſpiritu, longum ſermonem Cardinalibus fecit, adſerens, ipſos ſtulte loquutos fuiſſe, & ſe bene feciſſe, inducens illud, quod *Ezechiel* dixit Sacerdotibus, qui ſe non opponebant murum pro Domo Iſrael, & multa alia; & poſt ſubdidit: *Quum mortuus fuero, corpus meum ante ianuas eccleſiae ponite, ipſas quoque ſeris, & vectibus, obfirmate; ſi voluntate divina portae apertae fuerint, ipſum ſepelite ibidem; alioquin, facite quod vultis*. Quumque mortuo ſic factum eſſet, turbo divinitus veniens, portas eccleſiae firmatas, non ſolum aperuit, ſed etiam cum magno fragore uſque ad parietem deportavit. His temporibus floruit

 Ful-

Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus, qui inter alia laudabilia, *Stirps Ieſſe* compoſuit.

(1) Hic exſiſtit confuſio. Conſule *Platinam*, & ad eum *Onuphrium*.

CLemens, ſedit menſibus undevignti (1), diebus ſeptem. Hic fuit invaſor eccleſiae, & per vim habuit Papatum, & ceſſavit diebus viginti.

(1) Novem tantum menſes habet *Platina*.

DAmaſus, ſedit diebus viginti tribus, & ceſſavit diebus undeviginti. Hic fuit invaſor ſedis Apoſtolicae, & ſubito defunctus eſt (1).

(1) Conſule *Onuphrium* ad Platinam, qui *Damaſi* & trium ſequentium Pontificum famam, contra *Martinum*, *Galfridum*, *Platinamque* ipſum, egregie defendit.

LEo, genere Alamannus, de Lotharii regno (1), ſedit annis quinque, menſibus duobus, diebus ſex. Romani ex prava conſuetudine, poſtquam petiiſſent ab Imperatore Henrico Pontificem ſibi dari, Imperator, quum nullum Teutonicorum ad hoc

hoc ut reciperet, poſſet inducere, Epiſcopum Tullenſem, Brunonem nomine, virum ſimplicem, ad hoc inclinavit. Qui ad Vrbem veniens, & ex hoc conſcientiam habens, omnino reſignavit (2); & denuo ab omnibus eſt electus. Poſt laudabilem vitam, in eccleſia Sancti Petri tumulatur, magnis clareſcens miraculis (3).

(1) Hoc eſt, de Lotharingia.

(2) Hoc eſt, renuntiavit.

(1) Heic edere lubet Diploma quoddam Leonis huius, quo anno MLI. privilegium, & immunitatem, Monaſterio Sanctae Mariae in Gradibus in Arretina Dioeceſi conſtituto concedit: cuius quidem *ἀπόγραφον* eruditioni ac liberalitati nobilis Viri *Marii Florii*, alias etiam laudati, me debere profiteor [illegible]teque ita habet:

Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectiſſimo nobis filio Albizoni Religioſo Viro in Domino Deo omnium aeternam ſalutem. Sub multa, & incomprehenſibili, pariterque irreprehenſibili, abyſſo iudiciorum divinitatis, inter confratres, & conſervos noſtros eminentiorem gradum adepti, tanto intentius cum timore, & tremore, noſtram, ipſorumque ſalutem, debemus eis condeſcendendo, & conſulendo, inceſſanter operari; quanto certius ſcimus cunctae diſpoſitionis, & actionis noſtrae, rationem poſituros illi, cuius univerſae viae miſericordia, & veritas, merito creduntur, & videntur in omni adminiſtratione Mundi. Quapropter quid . . . . ſapientibus, & inſipientibus debitor . . . . . . Doctoris gentium merito cogimur . . . . . . reddere cunctis. Quae ſi de-

ſi denegare minime . . . . alicui externorum ; nec . . . . quanto magis domeſticis fidei in interioribus ; maxime quum id a vobis exigitur , quod Deo omnipotenti plurimum placere nullo modo dubitatur ? Itaque kariſſime Fili , quoniam humillim . . . . Apoſtolicam , & magiſtram omnium Sedem , & prece nobis gratiſſima inculcaſti , ut auctoritatis noſtrae praecepto tutarem iura a quorumvis rapacitate , & hominum nequam infeſtatione , ac defend . . . . . Monaſterium beatiſſimae Matris . . . . Mariae ſitum in Aretina Dioeceſi in nullo . . . . tuae tam iuſtae petitioni , ſed eidem optamus per omnia ſuffragari , nec denegandam tuae religioſitati duximus tutelam ſpecialem , qui omnibus debemus , & . . . . . . Non enim parum tibi in Domino inde congaudemus , quod ECCLESIAM *illic* PRIMITIVAM , *& olim* CELEBERRIMAM , *ſed peccatis exigentibus iam diu neglectam , omnino delapſam , reſtruere , aliquantulumque reparare , fueris conatus , tam patrimonii , ſeu beneficii tui , quam etiam fratrum , & conſanguineorum tuorum , aliorumque religioſorum , collationibus , quatenus inibi Deo deſerviret perpetim Ordo Monaſticus . Quam utique* ECCLESIAM , *quia Conditor noſter inter alia innumera nobilitavit , & honoravit* FRACTI CALICIS ET RESOLIDATI *miraculo , atque glorioſo* BEATI DONATI PONTIFICIS MARTYRIO , *& nos eam gratanti honoramus noſtrae Apoſtolicae Sedis praecepto . Salva itaque debita ſubiectione , quae ex praefato loco Epiſcopum Aretinum iure ſolet attingere , huius noſtri praecepti tenore perpetualiter confirmamus , & decreto ſancimus , quicquid idem Coenobium in rebus mobilibus , vel immobilibus , tam tua , quam cuiuſcumque , donatione , in praeſentiarum videtur poſſidere , & ſi quid*

illic

illic a piis adaugebitur, aut donabitur in futuro tempore, ut nemo inde quidquam praeſumat ſubripere, fraudare, alienare, minuere . . . . quovis ingenio uſurpare . . . . ſed cuncta inibi hactenus conquiſita, & Deo propitio deinceps conquirenda ſerviant uſibus, ac Monachorum ibidem ſervientium utilitati, quos pro nullo alio Ordine Eccleſiaſtico permittimus inde aliquando perturbari, iuxta ſtatuta Chalcedonenſis Synodi, taliter hoc ipſum decernentis. Quae ſemel Deo dicata ſunt Monaſteria conſenſu Epiſcoporum, maneant perpetuo Monaſteria, & res, quae ad ea pertinent, Monaſteriis reſerventur, &c. *Si quis autem praeſenti noſtro Decreto pro Deo, & ſecundum Deum, promulgato contraire quolibet modo praeſumſerit, & inſuper ſi aliquas oblationes vivorum, ſive defunctorum, praefato loco delegatas ſibi vendicare, vel aliis contradere, tentaverit, quaſi ſacrilegus, & Deo rebellis, donec forte reſipiſcat, diſtricto anathemate ſe multandum Apoſtolica auctoritate noverit. Qui vero integre & devote illud obſervaverit, nec conſenſerit ſacrilegis, ſed potius pro poſſe ac noſſe ſuo reſtiterit, mereatur copiam ſupernae benedictionis, & praemium ſempiternae ſalutis. Amen.*

B T

V

Datum IV. *Kal.* Iunias *per manum Petri Diaconi Bibliothecarii, & Anno Domini Leonis IX. Papae II. Ind. III.*

Inferius vero intra duos circulos concentricos eſt crux, in cuius quatuor angulis quatuor exſtant litterae unciales hae, ſingulae in ſingulis: L E O P. Intra autem interioris, & exterioris, circuli ſpatium duabus peripheriis concluſum legitur, *Miſericordia Domini plena eſt terra.*

Victor

Victor, genere Alamannus, ſedit annis duobus, menſibus tribus, & ceſſavit diebus tribus (1). Hic timore Imperiali factus eſt Papa. Hic temporibus Henrici Imperatoris apud Florentiam Synodum celebravit, & multos Epiſcopos propter ſimoniam, & fornicationem depoſuit. Hic in Galliam veniens ab Henrico Imperatore honorifice ſuſcipitur, & eo praeſente Imperatore moritur.

(1) *Platina* addit, *diebus XIV.* quem conſule quoad profectionem in Galliam.

Stephanus, ſedit menſibus novem, diebus viginti octo (1). Hic natione Lotharingus, Abbas prius Caſinenſis, in Tuſcia ſepultus eſt (2).

(1) *Platina* habet, menſibus VII. diebus VIII.
(2) Florentiae videlicet.

Benedictus, ſedit menſibus novem (1). Hic prius Velletrenſis Epiſcopus, Nutius nomine, per violentiam Papa factus, poſtea ceſſit (2).

(1) *Platina* addit, dies XX.
(2) Hic Pontifex legitimus non fuit. Conſule *Onuphrium* ad Platinam.

Nico-

NIcolaus, natione Burgundus (1) ſedit annis duobus (2), menſibus ſex, diebus viginti ſex, & ceſſavit diebus decem (3). Hic prius Florentinus Epiſcopus, apud Senas a Cardinalibus unanimiter eſt electus, & celebrato Romae Concilio, defunctus eſt.

(1) Platinae *Allobrox* dicitur.
(2) *Platina* habet, tribus.
(3) *Platina* ſcribit, XII.

ALexander, natione Mediolanenſis, ſedit annis undecim, menſibus ſex, diebus viginti quinque (1). Hic quum eſſet Lucanus Epiſcopus, concorditer a Cardinalibus in Papam electus eſt. Contra fuit Cadulus, qui fuit Parmenſis Epiſcopus, & fere ab omnibus Lombardiae Epiſcopis in Papam electus, adſerentes Papam non debere eligi, niſi de Paradiſo Italiae. Qui Cadulus cum magno exercitu bis Romam veniens, violenter voluit Papatum obtinere, ſed non potuit. Deinde Alexander Papa ad rogatum Henrici Imperatoris deſcendit in Lombardiam, & in Mantua ſolemniter celebrato Concilio, pacificatis omnibus, ad Vrbem eſt reverſus, & ibidem defunctus, in Lateranenſi eccleſia eſt tumulatus. Eodem tempore Nortmanni, qui

qui in praeiudicium domini Papae, Regnum Apuliae occupaverant, fines Campaniae devaſtabant; quos Dux Spoletanus Godefridus, & Comitiſſa devota filia ſancti Petri Mathildis expulerunt. Haec Mathildis fuit Comitiſſa adeo potentiſſima, quod & cum Imperatore bellum duriſſimum habuit; quae quum ampliſſimis poſseſſionibus abundaret, totum patrimonium ſuum ſuper altare ſancti Petri obtulit. Et hoc, quod obtulit, uſque in hodiernum diem, dicitur Patrimonium ſancti Petri (2).

(1) Dies XXV. non habet *Platina*.

(2) Quanta fuerit huius illuſtris Ducatricis, ut *Domnizonis* verbo utar, erga Chriſti Eccleſias largitas, & munificentia, & haec tam ampla patrimonii donatio oſtendit (quam quidem, quum primum inſtrumentum deperditum fuiſſet, aliud exarando renovavit in manu S. Bernardi Vberti, Legati Apoſtolici, qui etſi Cardinalis Tit. S. Chryſogoni eſſet, tamen Abbas Vallumbroſanus generalis eſſe non deſtitit, donec Parmenſis Epiſcopus factus eſt, ut *Carol. Bartholom. Piazza* in ſuo *Hemerologio ſacro* auctor eſt) & inſuper plures aliae donationes factae, privilegia conceſſa, ſeu Eccleſiis, ſeu Monaſteriis, quorum quaedam heic proferre lubet ab humanitate Reverendiſs. D. Abbatis *Nardii*, alias memorati, mecum liberaliter communicata, quae ita habent:

In

In Nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti anno ab Incarnatione eius milleſimo centeſimo quarto XIX. Kal. Februarii, Indict. XII.

Domina Comitiſſa Mathildis pro amore Dei, & animae ſuae remedio, conceſſit, atque donavit ſex cultre de terra, quae ſita eſt in cultre pl ..... Monaſterio S. Salvatoris ſito alpe Fontonis, & ſi ullo tempore ipſa, vel ſui ſucceſſores .... vel cauſare de praedicta terra contra ſupraſcriptum Monaſterium tentaverit, aut aliquo ingenio inceperit, vel alicui dederit, aut contra datum aliquid fecerit, quominus praedicto Monaſterio habere liceat, res illa in duplum componere praedicto Monaſterio ſupraſcripta Domina permiſit. Hoc actum eſt in praeſentia Epiſcopi Motinenſis, qui vocatur Dottus, & Archipresbyteri Bonuto, & Aliprandi primiceri de Bagiſe, Vgo de Nonantula, Bernardus filius Imeldae de Feroniano, Corvolus de Feroniano, Saſſo de Bibianello, Wigelmus de Ferraria, Wido de Piſsa, Bonittus advocatus de Piſtoria, Bernardus Beneventanus: poſt penam autem ſolutam, hoc ſcriptum in ſua maneat firmitate. Hoc actum eſt in Villa, quae vocatur Carpenetum, quae ſita eſt iuxta Civitatem Piſtoriam.

Ego Ardericus Iudex interfui, & ſubſcripſi.

Ego Sigifredus Iudex, & Tabellio, manu mea ſcripſi, & poſt traditum complevi, & dedi.

Mathil-	*dis*
Dei	*Gratia*
ſiquid	*eſt.*

In

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, anno ab Incarnatione eius milleſimo nonageſimo nono, regnante Imperatore Henricus, VIII. Id. Septemb. Indict. VI.

Ego Domina Mathilda Ducatrice, propter Deum, & remedium anime mee, vel abluentis peccatis mee que commiſi, & pro anime Bonifacii Marchionis genitori meo, & Beatricis matris mee, do & offero tibi Deo in Monaſterio ſancti Salvatoris, & tibi Ioanni Abbati, tuiſque ſucceſſoribus, cum licentia, & integra bona voluntate Domini Petri Piſtorienſis Epiſcopi, & Bonuti Archipresbyteri, Eccleſia ſancte Marie de Picente cum omnibus rebus & poſſeſſionibus ſuis, quod ab hac ora in antea poteſtatem habeatis illam habendi, tenendi, regendi, gubernandi, poſſidendi, & omnibus modis indo agendi presbyterum, & clericum ſecundum veſtram voluntatem mittendi, & trahendi, que autem iam dictas res, quales ſupra legitur cum ſuperioribus, & inferioribus, & ingreſſibus ſuis in integrum, taliter a preſenti die, & ora per hanc paginam offertionis mee tibi Domino in Monaſterio ſancti Salvatoris, & tibi Iohanni Abbati, tuiſque ſucceſſoribus a parte noſtra, Eccleſiam ſancte Marie de Picente maneat, perſiſtat poteſtatem ad habendum, tenendum abſque omni contradictione mea, meorumque ſucceſſorum. Inſuper ſpondimus, atque promittimus, ego predictus Petrus Eccleſie ſancti Zenonis Epiſcopus, meorumque ſucceſſorum, & Domina Mathilda tibi Deo, & Monaſterio ſancti Salvatoris de Fontana Taoni, & tibi Iohanni Abbati, eiuſque ſucceſſoribus, noſtris rebus omni tempore ab omni homine defenſare iuxta legem dampna litis omnia ſuſtinere, quod ſi ad defenſandum minime fuero, aut contra hanc offertionem per quodcumque ingenium agere, aut cauſare preſumpſero, vel ſi agentes, conſentientes fue-

ro,

ro, tunc promittimus componere, & dare penam libras quinquaginta bonorum denariorum Lucenſium, & poſt penam ſolutam, hec pagina offertionis mee in ſua maneat firmitate. Hoc actum eſt in Prato Veſcovi. Teſtes autem ſunt Comes Albertus de Sabluneta, Guido Comes de Mutilgnano, Raimuldus de Bagiſe, Vgo de Nonantula, Bernardus filius Imelde de Ferignano, Vbertus de Stagno, Guido de Piſa, Vgiccione de Montalto, Bonect. Advocatus de Piſtoria rogati teſtes.

Ego Petrus Epiſcopus
Ego Aldericus Iudex interfui, & ſubſcripſi.

Matil	dis
Dei	Gratia
ſiquid	eſt.

Ego Golberto Not. ſcriptum poſt tradita complevit, & dedit.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Anno ab Incarnatione eiuſdem Milleſimo nonageſimo octavo, regnante Imperatore Henrico, V. Id. Auguſti, Indict. VI. Ideo autem Hoſpitale quod eſt conſtructum ad onorem Dei, & beati Michaelis Archangeli, ſitum in locum Bübiano, ubi dicitur, Plano de la Curte pro reno.

Ego Domina Mathilda Ducatrice propter Deum, & remedium anime mee, vel abluentis peccatis mei que commiſi, & pro anime Bonifacii Marchione genitori meo, & Beatrice matris mee, concedo, ſeu offero vobis Donato presbytero, & Girardo Monacho a parte predicto Oſpitale, ſeu in veſtris ſucceſſoribus ad iure eidem Oſpitali idem locum & plano ubi edificatum

eſt

eſt cõiuges quadraginta & octo de terra bona laboratoria, id ſunt manſibus quatuor in circuitu predicti Oſpitalis, & de alia ſilva Bonbiano habeant miniſtratores Oſpitalis ius paſcendi gregis, & lignis, & feno faciendi quantum oportuna fuerit ad prefato Oſpitale his iam dictis rebus, quales ſupra concedo, & offero ego predicta Domina Mathilda eadem racione, ut Oſpitale fiat ſub iugum ſancti Petri, cuius eſt proprietas, hoc videlicet obſervandum, ut nullus Bolonienſi Epiſcopus tollat bonis de Oſpitale, & ſi tollerit, revertat in meam poteſtatem quantum iam dictas res, quales ſupra legitur com ſuperioribus, & inferioribus, atque com ingreſſibus, & acceſſionibus, & affinibus ſuis in integrum, taliter a preſenti die, & hora per hanc paginam offertionis mee in vobis predictis Donato presbytero, & Girardo Monacho, veſtriſque ſucceſſoribus a parte noſtro Oſpitale maneat, & perſiſtat poteſtatem ad habendum, tenendum abſque omni contradictione mea meorumque ſucceſſorum, & inſuper ſpondeo, atque promitto, ego predicta Mathilda vobis noſtro Donato presbyter, & Girardo Monacho a parte Oſpitale noſtris rebus omni tempore ab omni homine defenſare, iuxta legem dampna litis omnia ſubſtinere. Quod ſi ad defenſandum minime fecero, aut contra hanc offertionem per quodcumque vis ingenium agere, aut cauſare preſumſero, vel ſi agentibus conſentientes fuero, tunc promitto componere libras quinquaginta denariorum Lucenſium, & poſt penam ſolutam hec pagina offertionis mee omni tempore in ſua maneat firmitate. Actum in Prato Freſcoſo feliciter, in preſentia Bernardo Epiſcopo feliciter. Signum † man. Ego predicta Mathilda, que hec fieri rogavit, & inſuper iubeo, atque precipio, & iuſſionem facio, ut nullus homo audeat predare, neque furtum facere, aut ullam

offen-

offenſionem facere ad iam dicto Oſpitale, & quicumque hoc non obſervaverit, ſciat ſe compoſiturum libras quinquaginta nomine pene.

Signum ſcriptum manibus Alberto Comite, & Raginerius fil. quondam Bulgarelli, & Corbolo, & Alberto, filiis Magifredi, & Saſolo da Bibianelio, & Vberto de Stangno, qui rogati ſunt teſtes.

f. namque Ardrico iudice teſte.

Ego Golberto Notarius feliciter poſt tradita complevi.

Id autem quod Comitiſſa Mathilda donavit, atque conceſſit, praedicto Hoſpitali, Henricus V. Imperator confirmando, bannum emiſit, quo immunitatem conceſſit, & quod ita habet.

In nomine Dei aeterni. Henricus Dei gratia Romanus Imperator auguſtus, Imperiali clementia, precibus Teuzi Venerabilis presbyteri commotus, praeceptum, quod adpellant Bannum emiſit ſuper domo venerabili, hoc eſt, Oſpitali, quae conſtructa eſt iuxta Renum in Curte Marchionis, ut in omnibus rebus, quas Comitiſſa Mathildis eidem venerabili domui largita erat, vel in futurum ei poſſit adquiri, ab omni iniuria permaneant inleſa, atque inviolata. Nec vero quiſquam hominum, publicarum functionum exactor, aliquid ab ea petere, vel percipere audeat, niſi hoc Imperator ipſe nominatim iubeat. Quod ſi qua forte perſona publica, ſeu privata, contra praecepti praeſentis tenorem aliquid iniurie iam dicte domui intulerit, vel aliquid ab ea publicae functionis nomine tentaverit exigere, centum librarum auri optimi pene ſit obno-

noxius, cuius dimidium quidem noſtris ſcriniis, dimidium vero iam dicte venerabili domui perſolvat.

Actum in loco Bombiano, anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo centeſimo octavo decimo, XI. Kal. Iulii, Indictione XI. feliciter. Interfuerunt teſtes, Corvolus de Ferignano, & Seraſinellus filius eius, & Vgizone filius Rainerii, & Vbertus de Bibiano, & Vbertinus nepos eius, & Vbertinus de Siviliana, & Brunettus, & Tacus de eodem loco, & Mlūs de Caſtilione, & Saſſolo, & Gilizone de Gazo, & alii quamplures ibi interfuerunt.

Ego Gernerius Iudex aſſui, & ſcribſi.

Ego Girardus Iudex, & Notarius interfui, & per iuſſionem ſancti Henrici Imperatoris, qui iſtum ſignum Crucis fecit, hec ſcripſi.

At quoniam iſta, quae Comitiſſam Mathildam attinent, protulimus; hancque illuſtrem Principem patet Etruriae fuiſſe dominam; iuvat heic obſervare, eam habuiſſe Vicedominum, & Legatum, in Etruria, qui in Caſtro Liciniani habitabat: idque conſtat ex inſtrumento confecto anno MCIII. Kal. Iuliis Indict. X. in quo legitur quod Federicus de Benno, & Rainerius Bernardi de Liciniano, *in praeſentia Oppizzi Vicedomini, & Legati domine Comitiſſe Mathilde reſtutaverunt omnem litem, & cauſationem, in manus Iohannis Abbatis de Monaſterio Cultusboni, omnium rerum, quas ipſe Abbas habebat in ſcriptis, & iure, de rebus, quae fuere Azonis filius Thedaldi de Licignano, ſive de mobilibus, ſive immobilibus, ſicut tradiderunt ſibi Vgo filius dicti Azonis, & Adalaſcia mater ipſius Vgonis, ut deinceps alterius non liceat eis memoratum Monaſterium, nec ullum legatum ipſius Monaſterii de iam dictis rebus fati-*

ti-

tigare , nec moleſtare , nec per ſe , nec per ſummiſſam perſonam ullo modo vel ingenio. Videlicet , nec litigando in placito , ſive extraplacito , nec de ipſis rebus demendo , vel rapiendo , vel aliquam vim inferendo , ſeu etiam aliquo modo demoliendo , ſed omni tempore erunt taciti ex hoc , & quieti. Quod ſi facere noluerint , & oc pactum vel firmamentum infringere ullo tempore temptaverint , tunc debeant componere libras arienti denariorum Lucenſium viginti , medietatem ſancto Monaſterio , & medietatem poteſtati , quae pro tempore fuit , & res in perpetuum inviolata permaneat. Ipſe memoratus Oppizzus Vicecomes Marchioniſſae Mathildae ſtans prope Caſtro de Licignano iuxta eccleſie ſancte Criſtine , vice ſue Domine miſit bamnum ut ſiquis hominum deinceps eſſet , qui vellet ullo modo memoratum Monaſterium de iſtis rebus moleſtare , deberet componere viginti libras arienti. Hoc autem factum eſt anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo centeſimo tertio Kalendis Iuliis Indict. X. adſtante iam dicto Oppizzo Vicecomite , Wido , & Vgo gis filii Alberti , & Wido filius quondam Bernardi , Federicus filius Federichi , & Federico filius Walandi , & Ildibrando filius quondam Raineri , & Azo Benſi , & Feralmo de Cerrito , & Bernardo filius quondam Benni , & Albertino filius quondam Vgi , & reliqui plures.

Membrana ex Archivo Monaſterii Cultusboni.

Hiſce igitur antiquis monumentis prolatis , ut Principis adeo generoſae , & eximiae hiſtoria magis atque magis illuſtretur , unum adhuc animadvertendum eſt , *Fr. Mar.* ſcilicet , *Florentinium* , Scriptorem alias diligentiſſimum , in *Hiſtoria Mathildae* , haud videri recte conſignaſſe tempus , quo Theodaldus filio Bonifacio , Mathildae genitori , adhuc vivens ſuorum do-

miniorum regimen ac adminiſtrationem commiſit; id enim eveniſſe notat anno MVI, vel MVII, quum ex inſtrumento, quod ſuperius *pag.* 165. produximus, evidenter eluceat, anno iam MV, tertio videlicet Henrici II Imperatoris, vel fortaſſis MIV (nam Henricus anno MII Imperii habenas ſuſcepit) ditiones paternas ab eo procuratas fuiſſe; niſi enim ita res ſe habuiſſet, eam donationem ipſe non feciſſet, neve adeo Coenobium, & Eccleſiam ſancti Salvatoris Fontanae Taonis, latifundiis, & agris, ditaviſſet. Hoc enim factum arguit liberam Bonifacii rerum moderationem: quae tamen non adeo amplae videntur fuiſſe ſub patre Theodaldo, ut ſub ipſo Bonifacio fuere, quemadmodum ex laudato *Florentinio* intelligere eſt, cuius quoque auctoritate illuſtranda ſunt, ea quae ſuperius *pag.* 172. eruditus *Florius* de ditione Theodaldi adnotavit. Ceterum hic etiam obiter obſervaverim, falli quoque *Florentinium*, dum opinatur, quum Theodaldus filio Bonifacio dominium regimenque conceſſit, iam Theodaldum filium, & Bonifacii fratrem, Epiſcopum Arretinum exſtitiſſe, quum ex Inſtrumento Archivi Camaldulenſis ſuperius *pag.* 173. liquido conſtiterit, annum MXXVII, fuiſſe annum quinctum Epiſcopatus Theodaldi: Theodaldus autem pater, ut ipſe *Florentinius* docet, anno MVII naturae conceſſerit; praeter obſtantia illa quae iam obſervavimus.

GRegorius, natione Tuſcus, patria Suanenſis, de Comitatu, & diſtrictu Vrbeveteris. Hic prius Ildibrandinus Cardinalis, ſedit annis duodecim, menſe uno, diebus quatuor (1). Hic propter lauda-

dabilem vitam a Cardinalibus eſt in Papam electus. Hunc Centius Praefecti filius in nocte Natalis Domini, quum primam miſſam in ſancta Maria Maiore ad Praeſepe Domini celebraret, cepit, & in turri ſua poſuit; ſed Romani eadem nocte turrim deſtruxerunt, Papam liberando, & praedictum Centium ex Vrbe eiecerunt. Hic Pontifex Henricum tertium Imperatorem, concilio centum decem Epiſcoporum habito, excommunicavit, quia Romanae Eccleſiae unitatem ſcindere voluit. Sed poſt ad Papam in Lombardiam veniens, nudis pedibus ſuper nivem, & glaciem, pluribus diebus ſtans, vix abſolutionem impetravit. Poſt de conſenſu eiuſdem Regis iterato excommunicati, plurimi ſeditioſi Epiſcopi apud Brixiam convenientes, Guipertum Ravennatem Epiſcopum in Papam elegerunt, Clementem vocantes, quem Rex Henricus pronus in terram cum omnibus aliis mox adoravit, & cum ipſo Romam veniens ſine Cardinalibus, a Bononienſi, Cremonenſi, & Mutinenſi, Epiſcopis in Papam benedici fecit; & ab eodem Guiperto in die Paſchae coronam Imperii adſumſit, Papam Gregorium in Caſtro ſancti Angeli cum Cardinalibus obſidendo. Sed audito, quod Rex Guiſcardus in adiutorium Papae de Apulia veniebat,

bat, Imperator deſtructo Capitolio, & Vrbe Leonina, cum ſuo Papa fugit Senas; & Rex Guiſcardus Apuliae eodem die, Vrbem capiens, & ferro, & igne conſumens, Papam Gregorium de obſidione liberando, in Palatio Lateranenſi reſtituit, qui poſt in Apuliam deſcendens, Salerni mortuus eſt, miraculis coruſcando (2).

(1) Tribus habet *Platina*.

(2) *Gregorii VII.* Epiſtola ad Laetum Abbatem Vallumbroſanum adſervatur in Archivo Vallis Vmbroſae; ſed quum nec primigenius textus reperiatur, nec tempus, quo data eſt, adſcriptum ſit, de ea iudicet Lector uti lubet. Ita vero ſe habet.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto in Chriſto Filio Laeto Abb. Monaſterii ſancti Michaelis Archangeli in Paſſiniano, ſuiſque ſucceſſoribus ibidem regulariter promovendis in perpetuum.

Supremae miſerationis reſpectu ad hoc univerſalis eccleſiae curam ſuſcepimus, & Apoſtolici moderaminis ſolicitudinem gerimus, ut iuſtis precantiū votis attenta benignitate faveamus, & libramine aequitatis omnibus in neceſſitate poſitis quantū Deo donāte poſſumus ſubvenire debeamus. Praecipue tamen de venerabilium locorum ſtabilitate pro debito honore ſummae, & Apoſtolicae Sedis, cuius mēbra ſunt, quantū ex divino adiutorio poſſibilitas datur, nobis penſandū, & laborandū eſſe perpendimus. Proinde iuxta petitionē tuā praedicto Monaſterio vel Eccleſiae tuae, cui praeeſſe dignoſcere, huiuſmodi privilegia praeſenti auctoritatis noſtrae decreto, conſēſu, & rogatu, fratris noſtri Guillelmi Feſulani Epiſcopi indulgemus, cedimus, atque firmamus

mus, ſtatuentes nullū Regum, vel Imperatorū, Antiſtitū nullū, quacūque dignitate praeditū, vel quēquā aliū audere de his, quae eidem venerabili loco a quibuslibet hominibus de principio iure iam donata ſunt, vel in futurum Deo miſerante collata fuerint ſub cuiuslibet cauſae occaſione ſive ſpecie minuare, vel auferre, ſive ſuis uſibus applicare, vel quaſi piis de cauſis pro ſuae avaritiae excuſatione concedere. Sed cuncta quae ibi oblata ſunt, vel offerri contigerit, tam a te, quam ab eis, qui in tuo officio locoque ſucceſſerit, perēni tēmpore illibata, & ſine inquietudine volumus poſſideri, eorum quidem uſibus, pro quorū ſubſtētatione, gubernationeque conceſſa ſunt, modis omnibus profutura. Nominatim etiam concedimus eidē Eccleſiae, vel Monaſterio decimas ſuarū poſſeſſionū in uſū pauperum & advenientium. Confirmātes ſicut ſupra diximus quaecumque nunc iuſte habet, aut in poſterum Domino annuente habere contigerit in quibuslibet rebus mobilibus, vel immobilibus, ſalva quidem canonica ſubiectione proprii Epiſcopi. Haec igitur omnia, que huius praecepti, decretique noſtri, pagina continet, in perpetuum ſervanda decernimus. Si quis vero Regū, Imperatorū, Sacerdotū, Clericorū, Iudicū, ac ſeculariū perſonarū, hanc conſtitutionis noſtrae paginā agnoſcens, contra eā temerario auſu venire tēptaverit, admonitus ſemel, & iterum, uſque tertio per convenientes inducias, ſi non reſipuerit, atque praedictae Eccleſiae non ſatisfecerit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reūque ſe divino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat. Et niſi ea quae ab illo ſunt male ablata reſtituerit, vel digna poenitentia illicita acta defleverit, a ſacratiſſimo corpore, ac ſanguine Domini Redēptoris noſtri Ieſu Chriſti alienus fiat, atque in extremo examine diſtrictae ultioni ſubiaceat.

Cunctis autem eidē loco iuſta ſervātibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus hic fructum bonae actionis percipiant, & apud diſtrictū Iudicē praemia aeternae pacis inveniāt.

VIctor, ſedit anno uno, menſibus quatuor, diebus ſeptem (1), & ceſsavit diebus novem. Hic proprio nomine Deſiderius dictus, Abbas fuit Caſinenſis, qui veneno in Calice miſſo (2), dicitur extinctus. Huius tempore Ordo Chartuſienſis incepit.

(1) Dies ſeptem non habet *Platina*.

(2) Adeo immane ſcelus hoc eſt, ut huiuſmodi crimina inter ea, quae ut falſo adſererentur optandum eſſet, *Brownus* recenſeat *Lib. VII. Error. Popularium*, *Cap. XIX Tom. II.*

VRbanus, ſedit annis undecim (1), menſibus quatuor, & ceſsavit diebus viginti ſex. Huius tempore, Dux Boemundus (2) cum Chriſtianis recuperavit ſepulcrum Domini: ſepultus eſt in eccleſia Lateranenſi. Circa hoc tempus de Myra (3) Civitate Lyciae iam deſtructa, a Civibus Barenſibus, oſſa beati Nicolai transferuntur (4). Hic Papa primum Concilium apud Claramontem celebravit, in quo ſtatutum eſt, ut Horae beatae Virginis quo-

quotidie dicantur, officiumque eius diebus Sabbati ſolemniter fiat (5); adnuntiatur etiam in Concilio Ieruſalem captio, Chriſtianorum oppreſſio, concilium quaeritur, auxilium imploratur. Idem Papa, Concilio Turonis celebrato, paene totum occidentem provocat in terrae ſanctae ſubſidium, & maxime in regno Franciae; qui per terram, & deinde per brachium ſancti Georgii (6) tranſeuntes, inventa per revelationem Chriſti Lancea, Antiochiam, Tripolim, Accon, & paene totam terram ſanctam cum Ieruſalem ceperunt. Hoc anno, in Burgundia, in die ſancti Benedicti, fundatum eſt coenobium, quod Ciſtercienſium vocatum eſt, in Dioeceſi Cabillonenſi.

(1) *Platina* habet XII, menſibus IV dies XIX.

(2) Boemundus etiam egregiam in bello ſacro operam navavit; ſed Godefridus Bullionius potius commemorandus videbatur, utpote primus exercitus Imperator, ac poſtmodum Rex Ieroſolymitanus. Conſule *Bened. Accoltum De Bello ſacro*, ut antiquiores Scriptores ſilentio tranſiliam.

(3) De Myris. Τα Μύρα. Ceterum haec translatio contigit anno MLXXXVII, ut videre eſt apud *Tillemontium Tom. VI.* Quod ſi verum eſt ſub Vrbano II. id eveniſſe, oportet, ut eo anno iam Vrbanus Pontifex creatus eſſet, non anno inſequenti, ut *Graveſonius* ſtatuit, quem nos ſequuti ſumus in Pontificum Chronologica ſerie, quam praemiſimus.

(4) Con-

(4) Conſule *Tillemontium*.

(5) Adi *Hippolytum Marraccium* in *Pontificibus Marianis*; deque uſu recitandi haſce horas, conſule *Mabillonium Praefat. in Saecul. V. Benedict. §. CXVII.*

(6) Hoc eſt per Boſporum Thracium.

PAſchalis, natione Tuſcus (1) de Bleda, ſedit annis duodeviginti, menſibus quinque (2), diebus ſeptem, & ceſſavit diebus duobus: ſepultus eſt in eccleſia Lateranenſi. Huius tempore Henricus quartus Teutonicorum Rex, cum magno exercitu veniens in Tuſciam, ut Romae coronaretur in Imperatorem, &, praemiſſis ad Papam nunciis, per litteras refutabat omnem inveſtituram Epiſcoporum, Abbatum, & aliorum eccleſiaſticorum; ſuper qua alii Imperatores praedeceſſores ſui quaeſtionem cum Romanis Pontificibus habuerunt, & iuramento tam Imperatoris, quam ſuorum Principum, ſuper hoc dominus Papa accepto, poſtquam tam Clerus, quam Populus exiens verſus Montem malum, de mandato domini Papae obviaſſent, & ipſum uſque ad ſummitatem graduum ſancti Petri conduxiſsent, & quum ibi ſummus Pontifex cum Cardinalibus, & Epiſcopis, expectaſset, Rex adveniens poſt pedum oſcula, ſe invicem oſculati ſunt, &

& ſemper manus ad manum tenentes, poſt quam ad portam Argenteam perveniſſent, oſculo dato, dominus Papa deſignavit ipſum Imperatorem; ſed poſtquam ad portam porphyricam perveniſset, & ſuper inveſtitura refutanda iuramenta expetiiſset, Rex cum ſuis conſilio habito, Papam, & Cardinales, cum tota curia captivavit. Eodem tempore Rex Hungariae ad admonitiones Papales, per litteras ſuas ſcribens, domino Papae renuntiavit inveſtituram Epiſcoporum, & aliorum Praelatorum, quas uſque ad illa tempora Reges Hungariae facere conſueverunt. Hoc etiam tempore venerabilis Bernardus habens annos circiter viginti duos, ſub Abbate Stephano, cum ſociis triginta, Ciſtercium ingreditur; ſed eodem anno Claravalle fundata illuc pro Abbate mittitur. Paſchalis vero Papa, poſt liberationem ſuam, facta pace cum Imperatore, & ipſo Rege coronato, & in campum extra muros ſtatim egreſſo, Pontifex cum Epiſcopis, & Cardinalibus in Vrbem regrediens, tanta frequentia populi concurrentis, & dominum laudantis, excipitur, ut vix ad Palatium Lateranenſe circa veſperas potuerit pervenire. Demum defunctus eſt apud eccleſiam ſanctae Mariae Tranſpadinae (3), & inde cum totius Cleri, & Populi frequentia, per-

per mediam Vrbem vectus, in Eccleſia ſancti Salvatoris, ſepultus eſt. Circa haec tempora, ſcilicet anno Domini milleſimo centeſimo decimonono incepit Praemonſtratenſis ordo ſub Patre Nortberto, in Lugdunenſi Dioeceſi, qui fuit Colonicenſis, ſicut & Bruno, qui ordinem Carthuſienſem incepit (4).

(1) Platina habet, *Italus e Flaminia*.

(2) *Sex* eſt apud *Platinam*.

(3) Sanctae Mariae trans Tiberim habet *Marraccius* in *Pontificibus Marianis*.

(4) Paſchalis huius Epiſtolam heic exhibeo; quam mecum doctiſſimus, & humaniſſimus D. Abbas *Nardius* liberaliter de more communicavit.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto Filio Petro presbytero ſalutē, & Apoſtolicam benedictionem.

Devotiōis tuae petitiones benigne admittimus, ideoque in Burgo Senae, opportuno tamen loco Monaſterium aedificandi cū conſēſu eiusdē civitatis Epiſcopi licentiā concedimus. Statuimus enim, ut, ſi Dei gratia conſtructū fuerit, ſub Paſſinianēſis, & Valēbroſianae Congregationis cuſtodia, & regula quietū ſemper & liberum ſit manſurū. Decernimus ergo, ut nulli ōino homini liceat ipſum Monaſterium ad honorem Dei, ſanctique Benedicti, aliorūque Sanctorū aedificatū temere perturbare, vel eius poſſeſſiones auferre, vel ablata retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, ſed oīa quae vel a te, vel ab aliis Fidelibus de proprio iure oblata fuerīt, illibata, atque integra conſerventur. Quicūque vero ipſum Monaſterium, & in

eo

eo Domino ſervientes fovere, ſuiſque rebus honorare curaverit, omnipotentis Dei, & Apoſtolorũ eius gratiam conſequatur. Si quis autem, quod abſit, huic noſtro decreto contraire tẽptaverit, honoris & officii ſui periculum patiatur, niſi praeſũptionẽ ſuã digna ſatisfactiõe correxerit.

Ego Paſchalis Catholicae Eccleſiae Ep. SS.

Dat. apud Caſtellionẽ per manũ Iohannis Sanctae Romanae Eccleſiae Diaconi Cardinalis III. Kal. Octobris, Indict. III. Incarn. Dominicae anno MCIX. Pontificat. aut. Domni Paſchalis Secundi PP. anno X.

GElaſius, natione Campanus, de civitate Caieta, ſedit anno uno, diebus quinque, & ceſſavit diebus viginti quatuor. Hic propter Henricum Imperatorem, cum Cardinalibus ſeceſſit; & inde in Cluniacum mortuus eſt, & ſepultus.

CAlliſtus, ſedit annis quinque, menſibus decem, diebus quatuordecim, & ceſſavit diebus quinque. Hic natione Burgundus, Comitis filius, & Archiepiſcopus Viennenſis. Poſt mortem Gelaſii Papae, in Cluniaco a Cardinalibus concorditer electus eſt; qui, quum per provinciam Lombardiam, & Tuſciam, Romam rediret, ubique ſolemniter, & cum gaudio eſt receptus. Burdinus vero, qui per Henricum Imperatorem, Papa fuerat factus (1), audito adven-

adventu Papae, in Sutris ſe recepit; quem obſeſſum Papa cum Romanis quaſi habuiſset, poſito in Camelo, verſa facie ad tergum, habens caudam pro fraeno, Papa ad urbem procedebat, & poſt in arce Fumonis, eſt receptus, vel recluſus: Papa vero facta pace cum Imperatore, in Ecclesia Lateranensi eſt ſepultus.

(1) Et *Gregorius* nuncupatus. *Platina*.

HOnorius, ſedit annis quinque, menſibus duobus, diebus tribus. Hic patria Bononienſi (1) natus, deſcendit in Aquilam a Baronibus vocatus, ut eam quia iuris beati Petri eſt, tueretur a Comite Rogerio Siculo; ſed quum Papa vidiſſet infidelitatem Baronum, ſaniori conſilio habito, Rogerium recepit in gratiam, & facto homagio, & fidelitate firmata, ipſum in Ducatum Apuliae inveſtivit. Hic per Legatum Cardinalem, duos Patriarchas, ſcilicet Aquileienſem, & Venetum, depoſuit. Hic Romae mortuus in Eccleſia Lateranenſi eſt ſepultus.

(1) Ex agro Imolenſi oriundus, habet *Platina*.

Inno-

INnocentius, natione Romanus, de regione trans Tiberim, ſedit annis tredecim, menſibus ſeptem, diebus octo, & ceſſavit diebus tribus. Hic perrexit contra Rogerium Ducem Apuliae cum exercitu Romanorum, ſed cum ſuis, cum quibus fugam coepit, captus eſt ab eo. Hic condemnavit totam partem Petri Leonis; cum ordinatione. Impius iſte Petrus, Leonis filius, Cardinalis, a paucioribus eſt electus, & Anacletus dictus, hoſtiliter fecit adgredi domos Frangepanorum, in quibus ſe Innocentius cum Cardinalibus receperat; ſed quia ſic nihil profecit, cum manu armata, eccleſiam beati Petri adiit, & per violentiam habitam, aureum Crucifixum, pendenteſque coronas, cum toto theſauro auri, & argenti, ac lapidibus pretioſis ſpoliavit. Ciborium (1) quoque, quod ſanctiſſimus Leo Papa conſtruxerat, deſtruxit. Hoc idem ad ſanctam Mariam Maiorem magno theſauro ditatam, & aliis eccleſiis Vrbis fecit. Cum quo theſauro, poſtquam paene omnes Romanos corrupiſſet, Innocentius Papa nullum in Vrbem ſubſidium habens, cum Cardinalibus galeis (1) tranſivit in Galliam, & a Rege Francorum honorifice eſt receptus. Poſtquam in Claromonte, & Remis celebraſſet concilia, in reditu, pacificatis Ianuenſibus,

ſibus, & Piſanis, attendens ipſorum, quae ſibi & eccleſiae magna fecerunt, beneficia & ſervitia. Ianuenſem Epiſcopum, qui ſub Mediolano fuit, fecit Archiepiſcopum, & Piſanum Primatem totius Sardiniae. Hic coronato Laterani Lothario Imperatore, ambo ſimul intraverunt Apuliam, & fugato Rogerio Siculo, qui domino Papae rebellis erat, Lotharius chriſtianiſſimus rediit in Theotoniam, & Papa Romam, ubi celebrato Concilio (2) ſolemniter, ſepultus eſt in Laterano in eccleſia Porphyritica, miro opere ſculpta.

(1) Ciborium unde dictum ſit differit *Cabaſſutius* in *Notit. Concilior.*

(2) Galea unde dicta ſit docet doctiſſimus *Du Cangius*.

(3) De hoc Concilio Lateranenſi II. Oecumenico X. quod anno MCXXXVIII. convocatum eſt, & cui adfuere mille circiter Patres, & de Petri Leonis ſchiſmate, conſule diſputantem *Nat. Alexandrum Tom.* VI. *Hiſt. Eccleſ. diſſert.* VI. *in* XI. *&* XII. *ſaecul.*

CAEleſtinus natione Tuſcus, de Caſtro Felicitatis (1), ſedit menſibus quinque diebus quatuordecim. Hic ſepultus eſt in Laterano (2).

(1) Hoc nonnulli Civitatem Caſtelli, ſive Tifernum, eſſe adfirmant.

(2) Lu-

(2) Lubet heic proferre Caeleſtini huius ſeu Bullam, ſeu Epiſtolam, quae ita habet:

Caeleſtinus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiabus Agneti Abbatiſſae Monaſterii S. Hillari in Epiſcopatu Feſulano ſiti . . . . eiuſque tam praeſentibus, quam futuris, regularem vitam profeſſis in perpetuum. Ad hoc univerſalis Eccleſiae cura nobis a proviſore omnium bonorum Deo commiſſa eſt, ut religioſas diligamus perſonas, & beneplacentem Deo religionem ſtudeamus modis omnibus propagare, nec enim Deo gratus aliquando famulatus impeditur, ſi ex caritatis radice procedens a puritate religionis fuerit conſervatus. Eapropter dilectae in Domino filiae, veſtris iuſtis poſtulationibus clementer adnuimus, & praefatum monaſterium, in quo divino mancipatae eſtis obſequio, ſub b. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & praeſentis ſcripti privilegio communimus, ſtatuentes, ut omnia caſtella, praedia, iura, curtes, eccleſiae, vineae, terrae cultae, ſive incultae, cum pertinentiis ſuis, quaecumque etiam idem Monaſterium in praeſentiarum iuſte, & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis iuſtis modis, Deo propitio, poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus ſuccedentibus & illibata permaneant; ipſum vero Monaſterium in eodem ſtatu, & regimine ſanctarum Monialium, videlicet feminarum, quotidie in religione proficiens, ſicut ab exordio ſui . . . . perpetuo manere ſancimus. Praedeceſſoris quoque noſtri bonae memoriae Alexandri Papae veſtigiis inhaerentes, integras decimationes de cultis, & incultis terris, & ceteris rebus veſtris ad uſum pauperum, & peregrinorum, Apoſtolica vobis auctoritate concedimus, & firmamus. Conſecrationes vero Altarium, ſeu Baſilicarum, &

Clericorum veſtrorum ordinationes, qui ad ſacros ordines fuerint promovendi, a Dioeceſano ſuſcipietis Epiſcopo, ſiquidem Catholicus fuerit, & gratiam, atque communionem, Sedis Apoſtolicae habuerit, & ea gratis, & abſque aliqua pravitate vobis voluerit exhibere; Alioquin liceat vobis Catholicum quemcumque malueritis adire Antiſtitem, qui nimirum noſtra fultus auctoritate, quod poſtulatur, indulgeat. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatum Monaſterium temere perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, ſed omnia integre conſerventur, veſtris, & aliorum uſibus, pro quorum gubernatione, & ſubſtentatione, conceſſa ſunt, omnimodis profutura, ſalva nimirum in omnibus Apoſtolicae ſedis auctoritate. Siqua igitur in futurum Eccleſiaſtica, ſecularisve perſona hanc noſtrae conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit, ſecundo, tertiove canonice commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino iudicio exſiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo Corpore, & Sanguine Dei, & Dñi Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictae ſubiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco iuſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hinc fructum bonae actionis percipiant, & apud diſtrictum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

In fine huius privilegii erat circulus quidam cum Cruce ſurſum ducta in medio, in cuius circumferentia erant hae litterae, quae ſic legi videbantur: *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.* In medio vero dicti circuli erant hae:

S. Pe-

S. Petrus. S. Paulus. Caeleſtinus Papa II. Erant etiam in fine dicti privilegii hae ſubſcriptiones:

Ego Caeleſtinus Catholicae Eccleſiae Epiſcopus.

Ego Gibi Presbyter Cardinalis Tituli S. Mariae in Transtiberim.

Ego Petrus Cardinalis Presbyter Tituli S. Suſannae.

Ego Guido Presbyter Cardinalis Tit. S. Laurentii in Damaſo.

Ego Octavianus Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano.

Ego Ioannes.

Datum Laterani per manum Gerardi S. Romanae Eccleſiae Presbyteri Cardinalis, ac Bibliothecarii VI. *Id. Februar. Indictione* VII. *Incarnationis Dominicae anno* MCXLIII. *Pontificatus vero D. Caeleſtini PP. II. anno primo.*

Ego Guizzo Presbyter Cardinalis Tituli S. Caeciliae.

Ego Thomas Presbyter Cardinalis S. Veſtinae.

LVcius, natione Bononienſis, ex Patre Alberto, ſedit menſibus undecim, diebus quatuor. Sepultus eſt in Lateranenſi Eccleſia. Hic ante presbyter Cardinalis ſanctae Crucis, totam illam Eccleſiam, & clauſtrum a fundo renovavit.

EVgenius, natione Piſanus, ſedit annis quinque, mensibus quatuor, die-

bus viginti, & ceſſavit diebus duobus. Hic obiit Tibure, & cum totius cleri, & populi turba, per mediam fere urbem, cum maximo luctu, ad Eccleſiam beati Petri deductus, circa altare ſepultus eſt. Hic Abbas ſancti Anaſtasii quum eſſet, ex inſperato apud Eccleſiam ſancti Caeſarii eſt electus a Cardinalibus, & propter metum Senatorum, qui contra voluntatem Praedeceſſoris ſui fuerant electi a Populo, ad Farſenſe, vel Stranſenſe Monaſterium ſe tranſtulit, ibique vocatis Cardinalibus, & Praelatis, munus conſecrationis accepit. Hunc, quum ſimplex fuerit antea, Deus mirabili gratia perfudit, & eloquentia. Huic redeunti ad Vrbem, clerus, & populus Romanus, cum magna laetitia occurrit, cantans, *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Hic a Rege Ludoico in Franciam vocatus, quum ipſum trans maria Cruce ſignaſſet, & Concilium Remis celebraſſet, rediit ad Vrbem, ibique in Baſilica ſancti Petri circa altare eſt ſepultus. Eodem tempore fuit in Alemannia Ildegardis Monialis famoſa, quae in Pigna ſuper Rhenum requieſcit (1).

(1) Non iniucundum, neque abs re fore arbitror exhibere heic Epiſtolam quamdam Eugenii, eſtque haec, quae ſequitur.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Dilectis In Chriſto filiabus Agneti Abbatiſsae Monaſterii S. Hilari in Epiſcopatu Feſulano *ſiti, eiuſque ſororibus tam praeſentibus, quam futuris, regularem vitam profeſſis in perpetuum.*

Quoniam ſine vero cultu Religionis, *nec caritatis unitas poteſt ſubſiſtere, nec* Deo *gratum exhibere fructum, expedit Apoſtolicae auctoritati religioſas perſonas, & religioſa loca,* Sedis *Apoſtolicae munimine confovere.* Proinde, *dilectae in* Domino *filiae, veſtris iuſtis poſtulationibus clementer annuimus, & praefatum Monaſterium, in quo divino mancipatae eſtis obſequio, ſub* B. Petri, *& noſtra protectione ſuſcipimus, & praeſentis ſcripti privilegio communimus, ſtatuentes, ut omnia caſtella, praedia, iura, eccleſiae, curtes, vineae, terrae cultae, ſive incultae, cum pertinentiis ſuis, quaecumque etiam idem* Monaſterium *in praeſentiarum iuſte, & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione* Pontificum, *largitione* Regum, *vel Principum, oblatione fidelium, ſeu etiam aliis iuſtis modis (* Deo *propitio) poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant.* Ipſum *vero Monaſterium in eodem ſtatu, & religione ſanctimonialium, quotidie in religione proficiens, ſicut ab exordio ſui ſtatutum eſt, perpetuo manere ſancimus, praedeceſſorum quoque noſtrorum fel. mem. Alexandri, & Caeleſtini* Romanorum Pontificum *veſtigiis inhaerentes, integras decimationes de cultis, & incultis terris, & ceteris rebus veſtris, ad uſum pauperum, & peregrinorum, Apoſtolica vobis auctoritate concedimus, & firmamus. Conſecrationes vero altarium, ſeu Baſilicarum, & Clericorum veſtrorum ordinationes, qui ad ſacros ordines fuerint promovendi, a dioeceſano ſuſcipietis Epiſcopo, ſiquidem* Catholicus *fuerit, & gratiam, atque*

communionem Sedis Apoſtolicae habuerit, & ea gratis, & abſque aliqua pravitate vobis voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis Catholicum quemcumque malueritis adire Antiſtitem, qui nimirum noſtra fultus auctoritate, quod poſtulatur, indulgeat. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatum Monaſterium temere perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, ſed omnia integre conſerventur; veſtris, & aliorum uſibus, pro quorum gubernatione, & ſubſtentatione, conceſſa ſunt, omnimodis profutura, ſalva nimirum in omnibus Apoſtolicae Sedis auctoritate. Siqua igitur in futurum eccleſiaſtica, ſecularisve perſona hanc noſtrae conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo, tertiove canonice commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino iudicio exſiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo Corpore, & Sanguine Dei, & Dñi Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictae ſubiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco iuſta ſervantibus ſit pax Dei noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hinc fructum bonae actionis percipiant, & apud diſtrictum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

✠ Loco circuli.

Ego Eugenius Catholicae Eccleſiae Epiſcopus S.

Ego Conradus Sabinenſis Epiſcopus S.

Ego Ogdo Diaconus Cardinalis S. Georgii ad Velum aureum.

Ego Octavianus Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano.

Ego Vbaldus Presbyter Cardinalis S. Ioannis, & Pauli.

Ego

Ego Gilibertus indignus Sacerdos Tit. S. Marci.

Ego Guido Presbyter Cardinalis Tit. SS. Laurentii, & Damaſi.

Ego Iulius Presbyter Cardinalis Tit. S. Marcelli.

Ego Ioannes Diaconus Cardinalis Sanctae Mariae Novae.

Datum Piſis per manum Guidonis S. Romanae Eccleſiae Cardinalis, & Cancellarii XVII. Cal. Decembris Indict. XII. Incarn. Domin. anno MCXLVIII. Pontificatus vero Domini Eugenii PP. III. anno IV.

ANaſtaſius, natione Romanus, ſedit anno uno, menſibus quatuor, diebus viginti quatuor, & ceſſavit diebus viginti. Hic fecit apud ſanctam Mariam Rotundam novum Palatium. Hic dedit Eccleſiae Lateranenſi Calicem pulcrum operis, penſantem viginti marchas, & plura alia, & ibidem in tumba porphyrica tumulatus eſt.

HAdrianus, natione Anglicus, ſedit annis quatuor, menſibus octo, diebus viginti octo, & ceſſavit diebus viginti. Sepultus eſt autem in Vaticano in Baſilica ſancti Petri. Vixit ſep ... Eugenii Papae. Hic primum Epiſcopus Albanus in legatione Norvegiam eſt miſſus pro verbi Dei praedicatione. Ipſe vero gentem illam barbaricam in lege divina diligenter inſtruxit. Poſt re-

reditum defunćto Anaſtaſio eſt in Papam electus. Hic propter vulnerationem unius Cardinalis, totam Vrbem uſque ad ſatisfactionem condignam poſuit ſub interdicto. Hic Guillielmum regem Siciliae tamquam rebellem ſibi excommunicavit. Qui prius abſolutus homagium domino Papae faciens terram ab ipſo ſuſcepit. Hic primus dicitur Papa fuiſſe, qui in Vrbe veteri cum curia ſua moram traxit. Hic fecit gyronem in Radicophano, & turribus munivit. Hic Caſtrum, & multas poſſeſſiones circa lacum ſanctae Chriſtinae a Comitibus comparavit.

ALexander, natione Tuſcus, patria Senenſis, ex patre Ranuccio (1) ſedit annis XXI, menſibus XI, diebus IX. Hic vicit quatuor ſchiſmaticos, Octavianum, Guidonem Cremenſem, Ioannem Trimenſem, & Landonem. Primus fecit ſe vocare Victorem; ſecundus, Paſchalem; tertius Calliſtum; quartus, Innocentium. Quorum tres Presbyteri Cardinales fuerunt, qui per Papam excommunicati mala morte perierunt. Iſtius tempore maximum ſchiſma fuit, & eiectus fuit conventus Sancti Anaſtaſii, & Abbas Sancti Pauli eumdem locum ſibi vendicavit per Regem ſchiſmaticum, qui lo-

locus per eumdem Alexandrum eſt reſtitutus. Hic Fridericum Imperatorem ad concordiam Eccleſiae revocavit, qui tunc illos ſchiſmaticos, qui eiusdem Papae invaſores fuerunt, manutenebat. Hic duo Concilia ordinavit. Vnum Turonis, aliud Romae (2) celebravit. Fridericum Imperatorem Romanorum, & Emanuel Conſtantinopolitanum, & Guillelmum Siculum, atque Lombardos, ad concordiam revocavit. Per xv. annos ſub eius temporibus terrae motus magni fuerunt per loca; ita quod civitas Antiochena cum Tripoli cecidit, atque Damaſcus cum multis aliis civitatibus ſubmerſa eſt. Tunc quoque Catinenſium civitas evulſa eſt, & pluſquam xx. millia hominum, mortui ſunt. Et mare retrogradum viſum, & v. millia hominum in Sicilia mortui ſunt. Huius tempore Mediolanum cum Cremona, & Placentia, contra Papienſem civitatem, unam conſtruxerunt, quae ut famoſior fieret, ab Alexandro Papa Alexandriam vocaverunt. Et poſt ad petitionem Lombardorum conſtituit eis Epiſcopum, Papienſem vero Epiſcopum Crucis, & Pallii dignitate privavit, eo quod Frederico Imperatori tunc, & ab antiquo Regibus perſecutoribus Eccleſiae, adhaeſiſſet. Hic quum omne patrimonium beati Petri, praeter Civitatem Vrbevetanam, & Terraci-

nam

nam, ab Aqua pendente uſque Ceperanum per Imperium, & ſchiſmaticos occupatum fuiſſet, in Franciam tranſivit, ibique celebrato Turonis ſolemni Concilio, per mare ad urbem rediens, quum Meſſanae adplicuiſſet, Rex Guillelmus, non ſolum quia Papa, ſed etiam ipſum Dominum, a quo tenebat regnum, recognoſcens, eum debito honore proſequutus eſt (3).

(1) E gente eorum, qui a Cereto dicti ſunt; & diviſa eſt deinde in Bandinellos, & Ceretanos, clariſſimas familias, illam Senae, hanc Florentiae. E familia Bandinella ortum tradit *Alfonſ. Ciacconius*. Ceretani autem Florentini ex eodem ſtipite cum Bandinellis derivari adfirmant.

(2) Lateranenſe III. videlicet, anno MCLXXVII, de quo late diſputat *Natal. Alexand. Tom. VI. Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſert. IX. in Saecul. XI. & XII.*

(3) Huius Alexandri Epiſtolam heic proferre lubet, quae ita habet:

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Abbati, & Fratribus Monaſterii de Paſſiniano ſalut. & Apoſtolicam benedict.

Petitiones religioſorum virorum, que rationi concordant, & ab Eccleſiaſtica non diſſonant honeſtate, decet nos animo libenti admittere, & utili effectu proſequente complere. Ea propter, dilecti in Domino filii, veſtris iuſtis poſtulationibus benigne annuentes ius patronatus, quod habetis in Eccleſia de Lician. & quicquid habetis in Parochia preſcripte Eccleſie, inter duo flumina, que dicuntur Caſſian. & ius patronatus Eccleſiae de Maian. quicquid habetis in preſcripta villa.

Ius

ius patronatus Eccleſiae de Fonte Rutul. & annuum cenſum, & alia que exinde annuatim percipitis, & quicquid habetis in curte de Treal. Ius patronatus eccleſiae de Matraio, & ius patronatus eccleſiae de Calle bonto, ſicut ea rationabiliter poſſidetis, vobis, & per vos monaſterio veſtro auctoritate Apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Preterea auctoritate Apoſtolica inhibemus, ne inſtitutiones, quas ſecundum Deum, & beati Benedicti regulam, & conſuetudinem monaſterii veſtri, concorditer in capitulo veſtro feciſtis, aut facietis, aliquis immutare praeſumat, ſed eas precipimus inviolabiliter obſervari. Decernimus ergo, ut nulli hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis, & conſtitutionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Siquis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Anagn. IV. Id. Octobr.

Alexander
PP. III.

S.P.A. S.P.A.

LVcius natione Tuſcus, ſedit annis quatuor, menſibus duobus, diebus duodeviginti, & ceſſavit diebus tredecim. Huius tempore floruit Petrus Comeſtor, qui utriuſque teſtamenti hiſtorias utiliter exponendo,

do, in unum volumen redegit, qui liber Scholaſtica Hiſtoria nominatur (1).

(1) Lucii III. Epiſtolas quasdam heic exhibere haud abs re exiſtimaverim. Eae ſunt quae ſequuntur.

Lucius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis in Chriſto filiabus Capitinigro Abbatiſſae Monaſterii S. Hillari in Epiſcopatu Feſulano ſiti, eiuſque Sororibus tam praeſentibus, quam futuris, Regularem vitam profeſſis in perpetuum. Prudentibus Virginibus, quae ſub habitu Religionis accenſis lampadibus per opera ſanctitatis iugiter ſe praeparant ire obviam ſponſo, Sedes Apoſtolica debet praeſidium impertiri, ne forte cuiuslibet temeritatis incurſus, aut eas a propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacrae religionis infringat. Eapropter dilectae in Chriſto filiae veſtris iuſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Praedeceſſorum noſtrorum fel. record. Alexandri, Caeleſtini, Eugenii, & Hadriani, Romanorum Pontificum veſtigiis inhaerentes praefatum Monaſterium S. Hillari in Epiſcopatu Feſulano ſitum, in quo divino eſtis obſequio mancipatae, ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & praeſentis ſcripti privilegio communimus, ſtatuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quaecumque bona idem Monaſterium in praeſentiarum iuſte ac canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis iuſtis modis praeſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis, & his, quae vobis ſucceſſerint, & illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. Monaſterium S. Gorgonii cum pertinentiis ſuis; Monaſterium S. Gregorii cum pertinentiis ſuis, quod

eſt

eſt poſitum iuxta Bononiae Civitatem; Eccleſiam S. Mariae de Anagnio cum pertinentiis ſuis; Eccleſiam S. Martini de Moſignano cum pertinentiis ſuis; Eccleſiam S. Stephani de Pitiana cum pertinentiis ſuis; Eccleſiam, quae eſt in Caſtro S. Hillari cum pertinentiis ſuis; Eccleſiam S. Mariae, quae eſt intra Caſtrum, & Monaſterium cum pertinentiis ſuis; Caſtrum S. Hillari cum omnibus pertinentiis ſuis; Caſtrum de Remulo cum pertinentiis ſuis: redditus quoque, iura patronatus, & rationabiles, & antiquas conſuetudines, quas habetis in Monaſterio in Valleumbroſa vobis nihilominus confirmamus, ſane novalium veſtrorum, quae propriis manibus aut ſumtibus colitis, ſive de nutrimentis animalium veſtrorum nullus a vobis exigere praeſumat. Liceat vobis feminas e ſeculo fugientes liberas, & abſolutas, ad converſionem recipere, & eas abſque contradictione aliqua retinere. Quum autem generale Interdictum . . . fuerit, liceat vobis clauſis ianuis, excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſa voce divina officia celebrare. In Parochialibus autem Eccleſiis, quas habetis, liceat vobis Sacerdotes eligere, & Dioeceſano Epiſcopo praeſentare, quibus, ſi idonei fuerint, Epiſcopus animarum curam committat, ut ei de ſpiritualibus, vobis autem de temporalibus, debeant reſpondere. Praeterea praedeceſſoris noſtri Hadriani Papae veſtigiis inhaerentes ipſum Monaſterium in eodem ſtatu, & religione, ſanctimonialium videlicet feminarum, quotidie in religione proficientes, ſicut ab exordio ſui ſtatutum eſt, perpetuo manere ſancimus. Novas autem conſuetudines, vel exactiones vobis, vel Eccleſiis, aut hominibus veſtris imponi auctoritate Apoſtolica prohibemus. Baptiſmus quoque, ſicut eſt antiquitus conſuetum, ita ſemper in Eccleſia veſtra, omni cuiuslibet

per-

ſonae contradictione ceſſante, ſuo tempore celebretur. Prohibemus inſuper, ut nulli eiusdem coenobii vice comitatum ſibi audeat uſurpare, ſed liceat Abbatiſſae, quae pro tempore ipſi Monaſterio praefuerit, communicato totius Capituli ſui conſilio, idem officium dare, & culpa, vel alia manifeſta cauſa rationabili exigente, auferre. Chriſma vero, Oleum ſanctum, conſecrationes Altarium, ſeu Baſilicarum, ordinationes Clericorum, qui ad ſacros Ordines fuerint promovendi, a Dioeceſano ſuſcipietis Epiſcopo, ſiquidem Catholicus fuerit, & gratiam, atque communionem Apoſtolicae Sedis habuerit, & ea vobis gratis, & abſque pravitate aliqua voluerit exhibere. Sepulturam praeterea Monaſterii veſtri liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni, extremae voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi forte excommunicati, vel interdicti ſint, nullus obſiſtat, ſalva tamen iuſtitia illarum Eccleſiarum, a quibus mortuorum corpora adſumuntur. Obeunte vero te nunc eiusdem loci Abbatiſſa, vel earum qualibet, quae tibi ſucceſſerint, nulla ibi cuiuslibet ſubreptionis aſtutia, ſeu violentia proponatur, niſi quam Sorores communi conſenſu, vel Sororum pars conſilii ſanioris ſecundum Dei timorem, & beati Benedicti regulam providerint eligendam. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas ſit praefatum Monaſterium temere perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas minuere, ſeu aliquibus vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur earum, pro quarum gubernatione, ac ſubſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva Sedis Apoſtolicae, & Dioeceſani Epiſcopi canonica iuſtitia. Siqua igitur in futurum eccleſiaſtica, ſeculariſve, perſona hanc noſtrae conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo, tertiove canonice commoni-

ta,

ta, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino iudicio exſiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo Corpore, & Sanguine Dei, & Dñi Redemtoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictae ſubiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco iuſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hinc fructum bonae actionis percipiant, & apud diſtrictum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

In fine vero dicti privilegii erat circulus quidam cum Cruce ſurſum ducta, in quo quidem circulo in circumferentia erant hae litterae, quae ſic legi videbantur: *Adiuva nos Deus ſalutaris noſter.* In medio autem dicti circuli erant hae, quae ſic legebantur: *S. Petrus, S. Paulus, Lucius PP. III.* Erant etiam in fine dicti privilegii hae ſubſcriptiones:

Ego Lucius Catholicae Eccleſiae Epiſcopus.

Ego Theodinus Portuenſis, & S. Ruffinae Sedis Epiſcopus.

Ego Paulus Praeneſtinus Epiſcopus.

Ego Petrus Tituli S. Suſannae Presbyter Cardinalis.

Ego Vivianus Presbyter Cardinalis Tituli S. Stephani in Caelio monte.

Ego Cinthius Presbyter Cardinalis Tituli S. Caeciliae.

Ego Vgo Tituli S. Clementis Presbyter Cardinalis.

Ego Ardricus Presbyter Cardinalis Tituli S. Crucis in Ieruſalem.

Ego Matthaeus Tituli S. Marcelli Presbyter Cardinalis.

Ego

Ego Iacintus Diaconus Cardinalis S. Mariae in Coſmedin.

Ego Rainerius Diaconus Cardinalis S. Georgii ad Velum aureum.

Ego Gratianus Sanctorum Coſmae, & Damiani Diaconus Cardinalis.

Ego Rainerius Diaconus Cardinalis S. Hadriani.

Ego Matthaeus S. Mariae Novae Diaconus Cardinalis.

Datum Laterani per manum Alberti S. R. E. Presbyteri Cardinalis, & Cancellarii, IV. Kalendas Ianuarii, Indictione XV. Incarnationis Dominicae anno MCLXXXI. Pontificatus vero D. Lucii PP. III. anno I.

VRbanus natione Lombardus, ſedit anno uno, menſibus decem, diebus viginti quinque. Huius tempore capta eſt Ieruſalem a Saracenis. Qui quum de trans maris partibus tam flebilem rem audiſſet, prae nimio dolore obiit, ſepultuſque eſt in Ferraria.

GRegorius natione Beneventanus, ſedit menſe uno, diebus XXVII, & ceſſavit diebus viginti. Hic zelando pro Terra ſancta ad diverſas provincias litteras miſit. Et facta pace inter Ianuam, & Piſas (1) mortuus ſepelitur.

(1) Adi *Io. Villanium Lib. V. Cap. XV.*

Cle-

CLemens natione Romanus, ſedit annis tribus, diebus ſedecim. Hic ex patre Ioanne Scholari, Clauſtrum extra muros ordinavit, & Lateranenſe Palatium fecit altius, & puteum ante aereum equum fecit fieri.

(1) Clementis III. Epiſtolam heic edo.

Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis in Chriſto filiabus, Abbatiſsae, & ſororibus S. Hilari, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Intelleximus ex quodam authentico inſtrumento exhibito nobis, quod quum inter vos, & dilectum filium noſtrum .... Praepoſitum Florentinum ſuper quibusdam decimis quaeſtio verteretur, & fuiſſet cauſa dilectis filiis Camaldulenſium, & SS. Apoſtolorum, Prioribus a felicis recordationis Vrbano praedeceſſore noſtro commiſſa, ipſi partibus in ſua praeſentia conſtitutis, & rationibus hinc inde auditis, & cognitis, pro vobis & Eccleſia veſtra ſuper illis decimis ſententiam promulgarunt. Quum itaque controverſias, quas de mandato Apoſtolico calculum definitionis accipiunt, dignum ſit firmitatem perpetuam obtinere, ſententiam ipſam ſicut rationabiliter lata eſt, nec legitima adpellatione ſubſpenſa, & in ſcripto authentico continetur, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & praeſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare praeſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli, Apoſtolorum eius, ſe noverit incurſurum. Datum Laterani II. Nonas Maii, Pontificatus noſtri anno I.

COElestinus natione Romanus, ex patre Petro Bubonis, ſedit annis VI., menſibus VIII, diebus XI. Hic conſecratur die Reſurrectionis. Hic ſecunda die Pontificatus ſui coronavit Henricum Imperatorem, & fecit palatium apud ſanctum Petrum. (1)

(1) Caeleſtini huius Epiſtolas quasdam heic profero.

Caeleſtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Abbati, & Conventui S. Benedicti Placentino ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Iuſtis petentium deſideriis dignum eſt nos facile praebere conſenſum, & vota, quae a rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere. Quum autem inter te, fili Abbas, ac dilectum filium noſtrum Martinum Abbatem S. Mariae Vallisumbroſae, nomine monaſterii veſtri, ſuper iure, & inſtitutione coenobii S. Iacobi Taurinenſis controverſia fuiſſet exorta, tandem quaeſtio ipſa fuit amicabili compoſitione ſopita, cuius utique compoſitionis tenor in publico ſcripto exinde facto plenius explicatur. Vt igitur compoſitio deberet de cetero inconcuſſe ſervari, ne per aliquorum malitiam poſſit infringi, eam ſicut provide, ac ſine pravitate facta eſt, & recepta, & hactenus obſervata, & in eodem ſcripto plenarie continetur, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & praeſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae confirmationis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare preſumſerit, indignationem omnipotentis

Dei

Dei, & beatorum Petri, & Pauli, Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Laterani XII. Kal. Febr. Pontificatus noſtri anno IV.

Caeleſtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilecto filio Siphredo Tit. S. Praxedis Presbytero Cardinali ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Quum ex iniuncto, quod licet indigni gerimus, Apoſtolatus officio, nobis immineat omnium Eccleſiarum ſolicitudinem gerere, ad eas tenemur ſpecialiter oculos paternae proviſionis extendere, quae in Vrbe poſitae ad nos ſpecialius ſpectare noſcuntur, & ad nullum alium, ſicut condecet, habentes reſpectum providentiae noſtrae, & curam, ſpeciali quadam praerogativa expectaverit, & expectant favorabilis ſubventionis auxilium. Quum igitur Eccleſia S. Praxedis Priori, & fratribus S. Mariae de Rheno per bon. mem. Anaſtaſium anteceſſorem noſtrum olim ordinanda, & diſponenda commiſſa fuiſſet, ut ordo canonicus in ea perpetuis temporibus ſervaretur illaeſus, deficiente tandem in ipſa religionis vigore, & per iniuriam fratrum, qui in eadem deſervierant, uſurariis debitis enormiter excreſcentibus, inſtantius a nobis & ſaepius poſtulaſti, ut reparationi eiusdem Eccleſiae paterna ſolicitudine deberemus intendere, & providere cautius, ne ad extremam exinanitionem deducta cogeretur, omnimodis expectare. Tuis igitur inſtantiſſimis poſtulationibus, sicut debuimus, annuentes per fratres noſtros ad Eccleſiam ſupradictam deſcendimus, & contra nimium defectum, quo laborare dicebatur, neceſſarium cognoſcentes praedictos Priorem, & fratres S. Mariae de Rheno per litteras noſtras commonuimus, ut accederent ad praeſentiam noſtram, de his quae praediximus, reſponſuri.

Quia igitur per annum circiter expectati, in his, quae per ſuos enormiter acta fuerant, nullum curaverunt emendationis remedium adhibere, nos, ſicut & debuimus, nolentes, ut ſaepedicta Eccleſia tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, prorſus extenuata deficeret, ipſam de communi conſilio omnium fratrum noſtrorum ab omni cura, ordinatione, ſubiectione, & obedientia ſaepedictorum fratrum, & Eccleſiae S. Mariae de Reno ſubtraximus, tam privilegia, quam ſcripta omnia quae de ipſa Eccleſia S. Praxedis eisdem ab Eccleſia Romana indulta fuerant, & omnem ordinationem, quae in ea fuerant, decernentes in poſterum iuribus omnino carere, ipſam tibi, & ſucceſſoribus tuis diſponendi, & ordinandi, tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus, liberam concedimus auctoritate Apoſtolica facultatem. Decernimus ergo, ut nulli hominum liceat hanc paginam noſtrae conſtitutionis & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare praeſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Laterani II. Kalend. Martii, Pontificatus noſtri anno IV.

INnocentius, natione Campanus (1), conſecratur in feſto Cathedrae ſancti Petri; ſedit annis XVIII, menſibus IIII, diebus XXIII. Hic quantum fuit gloſſatus, opera eius teſtimonium perhibent veritati. Fecit inter cetera Hoſpitale ſancti Spiritus, & renovavit eccleſiam ſancti Xyſti. Compoſuit Decretales, Sermones, & Libros de miſera con-

conditione humani generis, & multa alia gloſſa. Anno vero Pontificatus ſui xvii. menſe Novembris in Baſilica Lateranenſi, quae Conſtantiniana vocatur, celebratum eſt Concilium generale pro ſubſidio Terrae ſanctae, & pro ſtatu univerſalis Eccleſiae multa ſtatuta utilia ibi ſunt promulgata. In quo fuit cum Patriarchis, & aliis Epiſcopis, & Praelatis, ſumma Praelatorum MCCCXV. Tempore huius Concilii conſecravit eccleſiam ſanctae Mariae trans Tiberim (2). Demum, quum propter ſubventionem Terrae ſanctae inter Piſanos, Ianuenſes, & Lombardos, pacem facere intenderet, in itinere ad hoc conſtitutus apud Peruſium eſt defunctus, ibique in eccleſia ſancti Laurentii tumulatus. Et ceſſavit Papatus per unum diem, Peruſinis cauſa electionis Papae Cardinales ſtrictiſſime coarctantibus. Hic Abbatis Ioachim libellum, quem contra Magiſtrum Petrum Lombardum compoſuit damnavit (3).

(1) Anagninus erat.

(2) Mirum id ſilentio praeteriri a *Marraccio* in *Pontificibus Marianis*.

(3) *Innocentii III.* Epiſtolas tres heic in medium adducere iuvat.

In Dei Nomine. Amen.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Martino Abbati Monaſterii Vallumbroſani, eiuſ-

eiuſque fratribus, tam praeſentibus, quam futuris, regularem vitam profeſſis, in perpetuum. Religioſam vitam eligentibus, Apoſtolicum convenit adeſſe praeſidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incurſus, aut eos a propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacrae religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, iuſtis poſtulationibus clementer annuimus, & praeſcriptum monaſterium Vallumbroſanum, in quo divino mancipati eſtis obſequio, ad exemplar fel. rec. Praedeceſſorum noſtrorum, Paſchalis, Adriani, Alexandri, Lucii, Vrbani, & Coeleſtini, Romanorum Pontificum, quod pro B. Mariae Virginis reverentia Deo dicatum eſt, in Romanae Eccleſiae proprietatem, tutelam, & protectionem Apoſtolicae Sedis ſuſcipimus, & praeſentis ſcripti privilegio communimus; in primis ſiquidem ſtatuentes, ut ordo monaſticus, qui ſecundum Deum, & D. Benedicti regulam, in eorum loco inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Praeterea quaſcumque poſſeſſiones, quaecumque bona idem Monaſterium in praeſentiarum iuſte, & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis iuſtis modis [praeſtante Domino] poterit adipiſci, firma vobis, veſtrisque ſucceſſoribus, & illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis, locum ipſum, in quo praedictum Monaſterium ſitum eſt, cum omnibus adiacentiis, & pertinentiis ſuis, Eccleſiis, & aliis, quae ad idem Monaſterium pertinere noſcuntur, Monaſterium ſancti Salvii, Monaſterium S. Trinitatis de Florentia, Monaſterium de Oſella, & S. Iacobi de Caſtello, Monaſterium de Paſſiniano, & S. Michaelis de Senis, & de Alphiano, Monaſterium de Cultubono, de monte Piſis, Monaſterium de monte Scalario, & Nerana, Monaſterium

ſterium

ſterium de Cappiano, Monaſterium S. Pauli Piſani in Sardinia, Monaſterium S. Michaelis de Plaiano, Monaſterium S. Michaelis de Salvenereo in Arborea, Monaſterium S. Michaelis de Erculento, Monaſterium S. Angeli de Piſtorio, Monaſterium de Pacciano, Monaſterium S. Mariae de Prato, Monaſterium de Vaiano, Monaſterium de Oppleto, & de Monte Plano, Monaſterium de Fonte Thaonis, Monaſterium de Muſceto, Monaſterium de Monte armato, Monaſterium S. Ceciliae, Monaſterium S. Reparatae, Monaſterium de Trecento, Monaſterium de Criſpino, Monaſterium de Razolo, Monaſterium S. Sepulchri de Papia, Monaſterium de Rivo Caeſaris, Monaſterium de Cuneo, Monaſterium de Turri, Monaſterium de Caprilia, Monaſterium S. Benedicti de Placentia, Monaſterium de Herba armata, Monaſterium de Cavanna, Monaſterium S. Mercurialis Forolivien. Monaſterium de Novaria, Monaſterium de Vercellis, Monaſterium de Ianua, Monaſterium S. Pauli Terdon. Monaſterium S. Iacobi Taurinen. Monaſterium Brixien. Monaſterium S. Trinitatis Veronen. Monaſterium S. Vigilii, Monaſterium Bergomen. Monaſterium Mediolanen. Monaſterium S. Chriſtophori, Monaſterium Aſten. Monaſterium S. Angeli Iuniperiti, Monaſterium S. Sigiſmundi, Monaſterium S. Mariae de Flumana, Monaſterium S. Mariae de Serena, Monaſterium S. Mariae de Dorea, Monaſterium S. Petri de Polongeia, Monaſterium de Latronoce, & in urbe Monaſterium S. Praxedis, Caſtrum de Flumana, Magnale cum Curte, Eccleſiis, & omnibus pertinentiis ſuis, Monaſterium de Ripula cum pertinentiis ſuis, libertates, & immunitates a Praedeceſſoribus noſtris felicis rec. Victore, Gregorio VII. Vrbano II. Paſchale, Innocentio, Eugenio, Alexandro, Lucio, Vrbano III. atque Caeleſtino, Romanis Pontificibus vobis indultas, & uſque ad haec tem-

pora pacifice confirmatas, ratas habemus, & eas auctoritate Apoſtolica confirmamus. Porro fructuum veſtrorum Decimas, quos ubilibet propriis ſumtibus, laboribuſque colligitis, abſque Epiſcoporum, vel epiſcopalium miniſtrorum, ſeu etiam Plebanorum contradictione Coenobio veſtro, & Conventualibus monaſteriis veſtris reddendas, poſſidendaſque ſancimus: liceat quoque vobis clericos, vel laicos liberos, & abſoluto. e ſaeculo fugientes, ad converſionem recipere, & eos abſque contradictione retinere. Nulli quoque liceat aliquod veſtrae Religionis monaſterium a loci ſui ſtabilitate revellere, ac movere, ſine Abbatis, & Congregationis communi conſenſu. Sancimus inſuper, ut nulli Epiſcoporum fas ſit in vos excommunicationis, vel interdicti ſententiam promulgare, ut qui in ſpeciales eſtis filios Apoſtolicae Sedis aſſumpti, nullius alterius iudicem temere ſubeatis. Statuentes, ut omnium praedictorum monaſteriorum caput, quod in Valleumbroſa ſitum eſt monaſterium, habeatur. Sane cum terminus vitae paſtori veſtro, divina diſpoſitione, contigerit, qui eius loco ſubſtituendus fuerit, quia vobis, & aliis omnibus praeeſſe debebit, omnium, qui ceteris praeſunt monaſteriis, conſenſu, & iudicio eligatur. Quod ſi forte ex ipſis Abbatibus quilibet, Domino diſponente, ad hoc generale regimen electus fuerit, ad veſtrum praedictum coenobium tranſeatur, & eius mox iudicio, ſicut in diebus ven. me. Ioannis primi Abbatis veſtri factum conſtat, cetera omnia unita vobis monaſteria diſponantur. Chriſma vero, Oleum ſanctum, conſecrationes Altarium, ſeu Baſilicarum, Ordines Clericorum, & Monachorum veſtrorum, a quocumque malueritis ſuſcipietis Epiſcopo, ſiquidem Catholicus fuerit, & gratiam, atque communionem Apoſtolicae Sedis habuerit, & ea gratis, & abſque pravitate voluerit imperti-

ri.

ri. Sepulturam quoque vobis liberam eſſe concedimus, ut eorum devotioni, & extremae voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi forte excommunicati, vel interdicti fuerint, nullus obſiſtat, ſalva iuſtitia illarum Eccleſiarum, a quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praedictum Monaſterium temere perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia illibata, & integra, conſerventur eorum, pro quorum gubernatione, ac ſubſtentatione, conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva Sedis Apoſtolicae auctoritate. Siqua igitur in futurum eccleſiaſtica, ſecularisve perſona, hanc noſtrae conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo, tertiove commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino iudicio de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo Corpore, ac Sanguine Dei, & Dñi Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictae ultioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco ſua iura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hinc fructum bonae actionis percipiant, & apud diſtrictum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

In fine vero dicti privilegii erat circulus quidam cum cruce ſurſum ducta in medio, in quo erant ſcriptae litterae, quae ſic legebantur, *Sanctus Petrus, Sanctus Paulus, Innocentius Papa III.* In circumferentia vero erant litterae, quae ſic habebant: *Fac mecum Domine ſignum in bonum.* Erant etiam in fine dicti privilegii ſubſcriptiones in hunc modum.

Ego Innocentius Apoſtolicae Eccleſiae Epiſcopus S.

Ego Petrus Portuen. & S. Rufinae Epiſcopus S.

Ego Petrus Dei gratia Tituli S. Caeciliae Presbyter Cardinalis S.

Ego Ioannes Tit. S. Clementis Cardin. Viterbien. & Tuſcan. Epiſcopus S.

Ego Guido Presbyter Cardinalis S. Mariae Transtiberim Tituli S. Calliſti S.

Ego Vgo Presbyter Cardinalis S. Martini Tituli Equitis, &c. S.

Ego Cinthius Tituli S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis S.

Ego Siphredus Tituli S. Praxedis Presbyter Cardinalis S.

Ego Gratianus SS. Coſmae, & Damiani Diaconus Cardinalis S.

Ego Gregorius S. Mariae in Porticu Diaconus Cardinalis S.

Ego Gregorius S. Georgii ad Velum aureum Diaconus Cardinalis S.

Ego Nicolaus S. Mariae in Coſmedin Diaconus Cardinalis S.

Ego Gregorius S. Angeli Diaconus Cardinalis S.

Ego Bobo S. Theodori Diaconus Cardinalis S.

Ego Vgo S. Euſtachii iuxta Templum Agrippae Diac. Cardinalis S.

Ego Gerardus S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis S.

Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papae Notarii, Cancellarii vicem agentis, II. Nonas Ianuar. Indict. II. Incarnat. Domincae anno MCXCVIII. Pontificatus vero Domini Innocentii PP. III. anno primo.

In-

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Dilecto Filio Abbati S. Stephani Bonon. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Querelam dilectorum Filiorum . . . . . Abbatis, & Conventus Monaſterii de Criſpino Ordinis Vallisumbroſae Faventin. Dioec. recepimus continentem, quod Poteſtas, Conſilium, & Commune Florentinum pro ſua voluntate fingentes Monaſterium ipſum eſſe in Florentin. Dioec. conſtitutum, ac illud propter hoc Civitati Florentiae ſubiicere geſtientes, & tallias, & collectas imponere, ac ipſas a dictis Abbate, & Conventu praeſumunt in eiusdem Monaſterii grave praeiudicium extorquere. Quocirca diſcretioni tuae per Apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ſi ita eſt praefatos Abbatem, & Conventum, ac Monaſterium ipſum, & membra eius ſita infra dictam Dioec. Florentin. non permittas ſuper praemiſſis ab illis aliquatenus moleſtari, moleſtatores huiuſmodi per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, non obſtante ſi eis communiter, vel ſingillatim, a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, vel excommunicari non poſſint; niſi de indulto huiuſmodi ſibi conceſſo plena, & expreſſa in noſtris litteris mentio habeatur; proviſo ne in Vniverſitatem Florentin. excommunicationis, vel interdicti ſententiam proferas, niſi a nobis ſuper hoc mandatum receperis ſpeciale.

Datum Peruſii XVI. Kal. Martii Pontificatus noſtri anno X.

Innocentius ſervus ſervorum Dei . . . Abbati de Strumis Aretin. Dioeceſis, & . . . . Priori Sancti Iacobi de Florentia, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Cum Dilecto Filio . . . . Abbati Vallisumbroſae dederimus in mandatis, ut accerſitis duobus coabbati-

bus

HOnorius, natione Romanus, Peruſii eſt electus; ſedit annis x, menſibus VIII, diebus XXVIII. Hic apud ſanctum Laurentium foris muros Petrum Altiſſiodorenſem Comitem in Imperatorem Conſtantinopolitanum coronavit. Hic etiam eccleſiam ſancti Laurentii extra muros, & Baſilicam, quae dicitur Sancta Sanctorum, renovavit; & Decretales compilavit (1). Hic in Baſilica ſancti Petri Fredericum Regem Siciliae in Imperatorem Romanorum coronavit. Huius tempore Chriſtiani Damiatam ceperunt; ſed Saraceni fortuito caſu contingente eam poſtea recuperaverunt. Hic Honorius Papa moritur, & in eccleſia ſanctae Mariae Maioris, Romae ſepelitur; & dominus Hugolinus (2) Oſtienſis Epiſcopus in Papam electus Gregorius eſt vocatus. Honorius primo anno ſui Pontificatus, Ordinem Praedicatorum confirmavit (3), beato Dominico, natione Hiſpano, inventore eiusdem ſanctiſſimi Ordinis, procurante. Nam Innocentius Papa, qui durus ei in hoc fuerat, viſione habita, quod beatus Dominicus Lateranenſem Eccleſiam cadentem humeris ſubſtentaſſet, confirmare deliberaverat; ſed morte praeventus non potuit.

(1) Honorii III. Epiſtolarum Decretalium Collectio concinnata fuit, ut intelligere eſt ex *Vaneſpenio*, & *Natal. Alexandro*. Scripſit etiam *Ordinem Romanum*, quem edidit *Mabillonius Tom. II. Muſ. Italic.*

(2) Quum Statuta quaedam Vallisumbroſanae Congregationis invenerim, ſancita in Capitulo, ut vocant, quodam ſub Abbate Benigno celebrato, cui Cardinalis Hugolinus hic, poſtea Gregorius IX. interfuit, haud abs re exiſtimavi heic illa exhibere.

Anno Domini MCCXXIII. apud Vallem Vmbroſam, ibidem Capitulo generali ſolenniter celebrato, Dominus Benignus Vallumbroſanus Abbas ſtatuit, ut quod de varietate panni fuit praeceptum in Capitulo facto MCCXVI Vallimbroſae, firmiter obſervetur. Et quia per Monachos, & Converſos, qui ad alium ordinem motu & arbitrio ſuo vadunt, noſtri ordinis ſtatus deſtruitur, firmiter inhibemus ne quis de Fratribus noſtris Monachis, vel converſis abſque licentia ſui Abbatis, vel maioris Abbatis, id deinceps praeſumat. Conſpirationes omnes, vel iuramenta ſine Praelati ſui licentia facientes, & incendiarios univerſos perpetuo condepnamus. Quod de varietate cantuum in praefato Capitulo eſt ſtatutum, firmiter praecipimus obſervari. Omnes contra praedicta venientes excommunicationis vinculo innodamus; quam excommunicationem omni anno in feſto Sancti Stephani per ſingula Monaſteria iubemus ſollenniter innovari. Officium Regulare tantum, officium Beatae Mariae, Officium Defunctorum, Pſalmi Graduum, Suffragia Sanctorum, celebrentur a Fratribus more ſolito in Conventu, & ſeptem Pſalmi cum Letaniis a Kal. Octob. uſque in Paſcha dicantur, prout conſuetum eſt. Verſus Oremus pro fratribus noſtris abſentibus *per omnes horas diei, & noctis, omni tempore, ante orationem officii regularis dica-*

catur. Semper autem quum celebratur officium Sanctae Mariae, & adiungitur Oratio omnium Sanctorum; in eiusdem Orationis fine addatur: Et pacem tuam noſtris concede temporibus, & ab eccleſia tua cunctam repelle nequitiam, & iter filiorum tuorum in ſalutis tuae proſperitate diſpone, & animabus fidelium defunctorum vitam aeternam concede.

Si Monachus, vel Converſus percuſſerit aliquem ferro, vel maza, ſeu lapide, infra octo dies de ſuo monaſterio expellatur. Ieiunium regulare ab Idibus Septembris uſque in Paſcha continue peragatur. In aeſtate vero ieiunium IV. & VI. feriae, ſicut Regula dicit, in arbitrio ſit Abbatis. Evangelium in nocte diebus Dominicis, & feſtivis, ab Abbate in cuculla, & ſtola dicatur; in plenis quoque feſtivitatibus Abbas cum Subdiacono, & Acolytis ad dictum Evangelium, more ſolito praeparetur. Reverentiae circulares, quae ſolent fieri a fratribus in Conventu, remaneant, exceptis illis, quae fiunt a proficientibus, & revertentibus, & ab Hebdomadariis, Servitore ſcilicet coquinae, & menſae Lectore.

Item in Eremo Vallembroſana nullus Carcerarius ulterius admittatur.

Huic autem Capitulo interfuerunt, Venerabilis Pater Dominus Hugolinus Oſtienſis epiſcopus, & Dominus Io. Florentinus Praeſul, cum multis aliis Clericis, & Laicis.

In Capitulis hiſce Vallumbroſani Ordinis evolvendis animadverti frequenter variis delictis ab illis coetibus poenam excommunicationis infligi. Verum nomen excommunicationis uſurpatum in his non inveni ante annum MCXXXV. in Capitulo Vagiani celebrato. Nam in eo contra inobedientes ita ſancitur: *Si vero poſt haec obedire noluerit uſque ad integrum men-*

ſem

ſem proprio priventur officio, atque ab eccleſia, & Capitulo, & a menſa communi ſegregetur. Ad ultimum, ſi in ſua pertinacia perduraverit, gravioris excommunicationis poena plectatur. Heinc intelligitur, quid, & qualis huiuſmodi excommunicatio eſſet: non erat enim niſi quaedam poena regularis, ut ex Capitulo anni antecedentis agnoſcitur, ubi: *Quod ſi quiſquam obedire contemſerit, & in ſua pertinacia perduraverit, ſecundum praeceptum regulae, contemtoris poena graviter plectatur.* In Capitulo autem anni MCXXVIII. poenae quaedam ſanciuntur contra iracundos, & percuſſores ad invicem, hoc eſt: *Si ſunt ordinati, pro tanta temeritate, ſaltem per ſeptem dies ab officio, & menſae participatione ſegregentur, & in choro ultimi remaneant, &c.* Quare huiuſmodi excommunicationes illae erant, & non cenſurae quales nunc intelligimus; nam hae quidem fidelium omnium communione interdicunt, & ſacramentorum, atque orationum participatione privant: atque id ulterius ex beati Benedicti regula illuſtrari poteſt, in qua frequens illarum excommunicationum mentio. At, qualiſcumque fuerit excommunicatio, quam irrogabant Monachorum Vallumbroſanorum coetus generales, tamen non videtur de alia excommunicatione intelligendum, quam de canonica, & ordinaria, quod de Gregorio Vallumbroſano Abbate Coenobii Montis Scalarii perhibetur. Hic enim non dubitavit Fidem quemdam Presbyterum, Canonicum Eccleſiae S. Florentii, quae Florentiae extat, excommunicare, ut ex adpellatione ipſius Fidei conſtat, quae ita habet: *In Dei nomine Amen. Quum vos, Domine Gregori Abbas Monaſterii Montiscalarii, nullam iurisdictionem habeatis, vel oſtenderitis, quare me Presbyterum Fidem*

Ca-

Canonicum Eccleſiae S. Florentii excommunicare poſſitis, & non praemiſſa aliqua admonitione, abſque rationabili cauſa auſi fueritis me de facto, cum de iure non poſſitis, excommunicare, ſeu excommunicatum denuntiare, ideo reputans vos ſuſpectum, & inimicum, ab omni gravamine, quod contra me facere poſſetis de iure, vel de facto, ad Dominum Ardengum Epiſcopum Florentinum, & Sedem Apoſtolicam adpello, &c. Anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo primo ſeptimo Idus Septembris, Indictione quartadecima, &c. Ob quam adpellationem ita Epiſcopus Florentinus pronuntiavit: *In Dei nomine, Amen. Anno ab Incarnatione Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo primo, ſeptimo Idus Septembris, Indictione XIV. Quum Domnus Ardengus benignitate divina Florentinus Epiſcopus intellexiſſet, quod Domnus Gregorius Abbas Monaſterii Montiscalarii excommunicaſſet de facto Presbyterum Fidem Canonicum Eccleſiae S. Florentii Florentinae, & cum oſtenderetur ab ipſo presbytero humiliter requiſitus, qua auctoritate faceret excommunicationem praedictam, utrum Apoſtolica, vel alia, per quam excommunicare poſſet, cum conſideraret idem Dominus Epiſcopus, ac etiam iniurioſum reputaret & moleſtum, quod dictus Abbas in civitate Florentia, clericum de ſua iurisdictione, & ſibi ſubiectum, excommunicare praeſumpſerit abſque ſua licentia, & mandato, non oſtendendo, ut dictum eſt, qua auctoritate procederet, & ſi haberet poteſtatem faciendi praedicta, ſed tantum impetuoſe proceſſerit; propter iſtas cauſas, & alias denuntiavit, & dixit, dictum Presbyterum Fidem, clericum ſuum non teneri, nec ligatum eſſe, vel fuiſſe, &c.* Quo quidem iure Abbas Montiscalarii Presbyterum illum excommunicaverit non conſtat; ſed certe patet, ut

diximus , hanc excommunicationem, eam fuiſſe, quam nunc *maiorem* adpellare ſolemus: & tanto ulterius memoratus Abbas proceſſit, ut non Presbyterum tantum, Eccleſiae ſibi ſubiectae Canonicum excommunicaverit, ſed alia etiam intentaverit in Eccleſiae S.Florentii parochianos. Cauſa autem, cur Abbas Montis Scalarii Fidem Presbyterum excommunicavit, exprimitur in Bulla Innocentii IV. qua Scottum Abbatem pariter Vallumbroſanum Coenobii S. Salvatoris de Spongia Iudicem in hac cauſa delegat, quaeque ita habet: *Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Dilecto Filio Abbati Vulterranae Dioeceſis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Dilecti filii Abbas, & Conventus Monaſterii Montiscalarii, Ordinis Vallisumbroſae, tua nobis petitione monſtravit, quod quum ipſi Meliorem presbyterum, prout ſpectat ad ipſos de antiqua, & approbata conſuetudine, & hactenus pacifice obſervata, canonice inſtituiſſent Rectorem in Eccleſia S. Florentii Florentini, Parochiani eiusdem Eccleſiae Fidem presbyterum Florentinum elegerunt de facto, cum de iure non poſſent, nihilominus ad eamdem actionem huiusmodi Florentino Epiſcopo preſentantes, quam idem Epiſcopus poſt adpellationem ad nos legitime interiectam, fecit per Plebanum de Sexto Florentinae dioeceſis confirmari in eorum praeiudicium, & gravamen. Ideoque diſcretioni veſtrae per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod canonicum fuerit, appellatione remota, decernas, & facias quod decreveris auctoritate noſtra firmiter obſervari. Teſtes autem qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore, ſubtraxerint, per cenſuram Eccleſiaſticam, ceſſante adpellatione, compellas veritati teſtimonium perhibere. Datum Laterani Kal. Febr. Pontificatus noſtri anno primo.*

An vero excommunicatione ab Abbate Montiscalarii inrogata, praedictus presbyter Fides innodatus exſtiterit, mihi ſatis haud conſtat. Exploratae tamen fidei eſt, dictum Presbyterum ab omni excommunicatione abſolutionem petiiſſe, ſed unam tantum, ab hac diverſam, nominaſſe, ut ex ſequenti inſtrumento patet: *Pateat univerſis hoc inſtrumentum inſpecturis, quod Dominus Papa ſcripſit Archipresbytero Florentino in hunc modum;* Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilecto filio Archipresbytero Florentino, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Devotionem, quam habes ad Sedem Apoſtolicam, ſolicite ipſius procurando negotia, dignis in Domino laudibus commendantes, praeſentium tibi auctoritate mandamus, quatenus omnibus, qui redierint, vel redire voluerint ad devotionem Eccleſiae, iuxta formam Eccleſiae receptam, ſufficienti, & idonea cautione de parendo mandatis Eccleſiae, beneficium abſolutionis impendas, & facias in terris, quae ad devotionem praedictam redierint, divina officia celebrari, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam adpellatione poſtpoſita compeſcendo. Datum Lugduni XIII. Kal. Decemb. Pontificatus noſtri anno V. *Vnde Presbyter Fede, Rector Eccleſiae S. Florentii, de civitate Florentia, veniens ad praeſentiam praefati Archipresbyteri, & petens abſolvi ab omni excommunicatione, qua tenebatur, quia participaverat nuntiis, vel ſequacibus depoſiti Frederici, aut ex quacumque alia cauſa, iuravit praeceptis Eccleſiae, & Domini Papae, ac ipſius Archipresbyteri, & eorum mandatis in omnibus obedire. Vnde Archipresbyter ſaepedictus, auctoritate Domini Papae, qua fungebatur, abſolvit, recepta ab eo ſufficienti, & idonea cautione, praefatum presbyterum Fidem ab omni excommunicatio-*

 tio-

tione, qua tenebatur ex praedicta cauſſa, vel etiam ex quacumque alia cauſſa, praecipiens per ſacramentum eidem, quod Frederico depoſito, vel eius nuntiis, deinceps non praeſtet auxilium, ſed ſanctam Eccleſiam & eius Capitaneos, ſcilicet Guidumguerram, & Rugerium Comites, vel alios quoscumque pro Eccleſia Capitaneos, defendat, protegat, & ſequatur. Actum ad Montevarchi anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo octavo XIII. Kal. Decembr. Indict. VII. Teſtes presbyter Matthaeus S. Andreae, & Bartholus filius Bonaventurae, & al. Ego Orlandus filius quondam Bonoditi Iudex Ordinarius, & Notar. haec omnia de mandato dicti Archipresbyteri SS. & publicum, & authenticum praedictum litterarium Domini PP. cum ſigillo plumbeo eius vidi, & legi, & hoc exemplavi. Non pauca in hoc inſtrumento exſtant, quae hiſtoriam cum Eccleſiaſticam, tum profanam illuſtrare poſſunt: adeoque lubenter heic illud transſcripſi. Sed antequam hanc controverſiam Abbatis Vallumbroſani, & presbyteri Fidei miſsam faciam, obſervandum eſt, anno MCCXLVI. Innocentium IV. alios Iudices in hac cauſsa delegaſſe hoc reſcripto: *Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Archipresbytero Bononienſi, Rainerio de Viterbio, Remen. & Oddoni Caporio Sanctae Mariae Maioris de Vrbe Canon. Bononiae commorantibus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Presbyter Fides Rector Eccleſiae S. Florentii de Florentia, &c.* Et tandem quum controverſia quaedam circa bona, & poſſeſſiones Eccleſiae S. Florentii inter dictum pariter Abbatem, ſeu Monaſterium, & dictum Presbyterum verteret, hoc anno MCCXLVIII. coram Domino Ottone Curteſio Iudice, & Adſeſsore Domini Iacobi de Rota, Poteſtatis Florentiae, agitatam fuiſse ut, conſtat ex inſtrumento,

quod

quod legi in primo Volumine monumentorum Vallumbroſanorum, quae incredibili diligentia, labore, & eruditione, collegit Vir laude immortali digniſſimus *Fulgentius Nardius*, Abbas Reverendiſſimus Coenobii S. Trinitatis Florentiae, ex quo Volumine etiam reliqua inſtrumenta, vetereſque membranas, quas retuli, exacte & ſedulo exſcripſi. Denique indictum nolim ad Capituli conſtitutionum, quas exhibui, ulteriorem declarationem, recte a *Vaneſpenio Par. III. Iur. Eccleſ. Tit. XI. Cap. III.* obſervari, antiquitus excommunicationis nomine, poenas quasdam, & poenitentias, adpellatas fuiſse, alio prorſus ſenſu, quam nunc cenſuras intelligimus. Itemque animadvertendum, ſiquis reperiatur, qui nulla etiam iurisdictione aliquem excommunicaverit, nil aliud comprehendi deberi, quam illum proteſtatum fuiſse ſe cum illo in ſacris non communicaturum, ut explicare oportet, quae narrantur de audaci Monacho, qui Theodoſium Iuniorem excommunicare auſus eſt, ut narrat *Theodoretus Lib. V. Hiſtor. Eccleſiaſt.*

(3) Quare non mirum, ſi *Hippolytus Marraccius* in *Pontificibus Marianis*, Diſſertatione fabellis, & paradoxis ad miraculum ſcatenti, probare conatur, coronam, quam vocant Roſarii, ſeu calculos, quibus repetitae ſalutationes angelicae numerantur, ab Honorio in Eccleſia Sanctae Mariae in Campitello Romae collocatos fuiſſe, cuius facti litem meam facere nolo; nam Ordo Praedicatorum Roſarii preces maxime propagavit. Sed certe riſum continere non poſſum, ubi adfirmat, Apoſtolorum aetate, & eam ſalutationem a Chriſtianis recitari ſolitam, & ipſam B. Virginem id feciſſe: & huiuſmodi calculis, aut corona, tunc temporis Chriſtianos, ipſamque

ceſſor ſuus contra Fredericum fulminaverat, roboravit. Hic quum Concilium celebrare Romae nititur, & ab Imperatore viae per terram, & per mare, arctarentur, duo Cardinales, & multi Praelati, & Abbates, & Clerici, maxime per mare ad Concilium venientes per Imperatoris fautores (2) capiuntur. Hic Papa per Fratrem Raymundum Ordinis Fratrum Praedicatorum, & Capellanum, ex pluribus voluminibus decretalium (3) compilavit volumen unum, mandans ubique doctoribus illo uti. Hic Frater Raymundus fuit Magiſter Ordinis Praedicatorum; ſepeliturque in Barchinona, ubi multis miraculis coruſcavit. Hic Gregorius, quum ab Imperatore, qui tunc ex magna parte patrimonium occupaverat eccleſiae, in Vrbe obſideretur; videns etiam paene omnes Romanos per pecuniam corruptos eſſe, accipiens capita Apoſtolorum, & proceſſionem (4) a Laterano uſque ad ſanctum Petrum faciens, animos Romanorum ſic revocavit, ut paene omnes contra Imperatorem cruce ſignarentur. Quare Imperator, qui iam credebat ſe Vrbem intraturum, hoc audiens, timens longe ab Vrbe retroceſſit. Denique Gregorius Papa tantis tribulationibus concuſſus, Romae anno decimo tertio, menſe Auguſti, migravit ad Chriſtum. Hic Reate beatum

Dominicum inventorem, & Magiſtrum Ordinis Praedicatorum, Bononiae ſepultum, & miraculis innumeris coruſcantem, canonizavit (5).

(1) Solemnium Canonizationum initium ſaeculo X, probabiliter, vel non multo ante, adſignandum eſſe docet *Dan. Papebrochius in Conatu Chronico Hiſtor. Diſſert. XX.*

(2) Hi Piſani fuere, cuius facti narrationem texit *Io. Villanius Lib. V. Cap. XX.* & hanc cauſam eſſe credit, cur deinde Piſani tot calamitatibus, & infortuniis, obnoxii fuerint.

(3) Hiſtoriam variorum canonum compilationum habes apud *Natal. Alexandrum Tom. III. Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſert. XXI. in Saecul. I.* & *Vaneſpenium.*

(4) De Proceſſionibus, & Litaniis quaedam adnotavi ſuperius *pag.* 136. Nunc addiderim me legiſſe in antiquis Ritualibus Vallumbroſanorum Monachorum litanias quasdam & preces, quae tempore S. Ioannis Gualberti in uſu erant, XI ſcilicet ſaeculo, ab iis, quibus modo Eccleſia utitur, non multum diſſimiles, niſi quod pleraque Sanctorum nomina diverſa ſunt.

(5) Gregorii huius varias Epiſtolas prodimus:

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis in Chriſto Filiabus Agneti abbatiſſae Monaſterii ſancti Hillari in Epiſcopatu Feſulano ſiti, eiuſque Sororibus tam praeſentibus, quam futuris, regularem vitam profeſſis in perpetuum. Prudentibus Virginibus, quae ſub habitu Religionis, accenſis lampadibus per opera ſanctitatis iugiter ſe praeparant obviam ire ſponſo, Sedes Apoſtolica debet praeſidium impertiri, ne forte cu-

ius-

Cuiuslibet temeritatis incurſus aut ... a propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſanctae religionis infringat. Ea propter, dilectae in Chriſto Filiae, veſtris iuſtis poſtulationibus clementer adnuimus, & Praedeceſſorum noſtrorum felicis recordationis Alexandri, Coeleſtini, Eugenii, Hadriani, & Lucii Roman. Pontific. veſtigiis inhaerentes praedictum monaſterium ſancti Hillari in Epiſcopatu Feſulano ſitum, in quo divino eſtis obſequio mancipatae, ſub divi Petri ac noſtra protectione ſuſcipimus, & praeſentis ſcripti privilegio communimus, ſtatuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quaecumque bona, idem monaſterium in preſentiarum iuſte ac canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis iuſtis modis, praeſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis, & iis quae vobis ſucceſſerint, & illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus vocabulis exprimenda. Monaſterium ſancti Gorgonii cum pertinentiis ſuis. Monaſterium ſancti Mauri, cum pertinentiis ſuis. Monaſterium S. Gregorii, cum pertinentiis ſuis, quod eſt poſitum iuxta Bononiae Civitatem. Eccleſiam ſanctae Mariae de Agnano, cum pertinentiis ſuis. Eccleſiam ſancti Martini de monte Mignari, cum pertinentiis ſuis. Eccleſiam ſancti Laurentii de Pezzatolae, cum pertinentiis ſuis. Eccleſiam Sancti Stephani de Pitiana, cum pertinentiis ſuis. Eccleſiam, quae eſt in Caſtro ſancti Hillari, cum pertinentiis ſuis. Eccleſiam ſanctae Mariae, quae eſt inter Caſtrum, & Monaſterium, cum pertinentiis ſuis. Caſtrum ſancti Hillari, cum pertinentiis ſuis. Caſtrum de Remulo cum pertinentiis ſuis. Reditus quoque, Iurapatronatus, & rationabiles, & antiquas conſuetudines, quas habetis in monaſterio Vallisumbroſae ſito vobis nihilominus confirmamus. Sane novalium veſtrorum,

quae

quae propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſeu de nutrimentis animalium veſtrorum, nullus a vobis decimas exigere praeſumat. Liceat vobis feminas, ſaeculum fugientes, liberas, & abſolutas ad converſionem recipere, & eas abſque contradictione aliqua retinere. Cum autem generale interdictum Terrae fuerit, liceat vobis ianuis clauſis, excommunicatis excluſis, & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſa voce, divina Officia celebrare. In Parochialibus autem Eccleſiis, quas habetis, liceat vobis Sacerdotes eligere, & dioeceſano Epiſcopo praeſentare; quibus, ſi idonei fuerint, Epiſcopus animarum curam committat, ut ei de ſpiritualibus, vobis autem de temporalibus, debeat reſpondere. Praeterea Praedeceſſoris noſtri Lucii Papae tertii veſtigiis inhaerentes, ipſum monaſterium in eodem ſtatu, & religione, S. Monialum videlicet feminarum, quotidie in religione proficiens, ſicut ab exordio ſui ſtatutum eſt perpetuo manere ſancimus. Novas autem conſuetudines, vel exactiones, vobis, vel eccleſiis, aut hominibus, veſtris imponi auctoritate Apoſtolica prohibemus. Baptiſmus quoque, ſicut eſt antiquitus conſuetum, ita ſemper in Eccleſia veſtra omni cuilibet perſonae contradictione ceſſante ſuo tempore celebretur. Probibemus inſuper ut nullus eiusdem Coenobii Vicecomitatum ſibi audeat uſurpare, ſed liceat Abbatiſſae, quae pro tempore ipſi monaſterio praeficitur, communicato totius ſui Capituli conſilio, idem Officium dare, & culpa, vel alia manifeſta cauſa rationabili, exigente auferre. Chriſma vero, Oleum Sanctum, Conſecrationes Altarium ſeu Baſilicarum, Ordinationes Clericorum, qui ad ſacros ordines fuerint promovendi, a dioeceſano ſubſcipiatis Epiſcopo, ſiquidem Catholicus fuerit, & gratiam, & communionem, Apoſtolicae Sedis habuerit, & ea vobis gratis, & abſque

pra-

pravitate aliqua voluerit exhibere. Sepulturam praeterea monaſterii veſtri liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni, & extremae voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi forte excommunicati, vel interdicti ſint, aut etiam publice uſurarii, nullus obſiſtat, ſalva tamen illarum Eccleſiarum iuſtitia a quibus mortuorum corpora adſumuntur. Obeunte vero te, nunc eiusdem loci Abbatiſſa, vel earum qualibet, quae tibi ſucceſſerint, nulla ibi qualitate ſubreptionis, aſtutia, ſeu violentia, praeponatur, niſi quam Sorores communi conſenſu, vel Sororum pars conſilii ſanioris, ſecundum Dei timorem, & ſancti Benedicti regulam providerit eligendam. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas ſit praedictum monaſterium temere perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur earum, pro quarum gubernatione, ac ſubſtentatione, conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva Sedis Apoſtolicae auctoritate, & Dioeceſani Epiſcopi canonica iuſtitia. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſaeculariſve perſona hanc noſtrae conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo, tertiove commonita, niſi reatum ſuum digna ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino iudicio exſiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo Corpore ac Sanguine Dei, & Domini Redemtoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine divinae ultioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco ſua iura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & fructum bonae actionis percipiant, & apud diſtrictum Iudicem praemii aeternae pacis inveniant. Amen Amen Amen.

id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino Filii, veſtris iuſtis precibus inclinati, arbitrium, quod dilectus filius magiſter Martin. Archidiac. Senen. Vicecancellarius noſter, inter vos ex una parte, & dilectum filium Magiſtr. Bandinum rectorem, & Clericos Eccleſiae ſancti Petri de Ovili ex altera, ſuper Parochia, & iure Parochiali, aequitate protulit ſuadente, ſicut eſt aequum, & ab utraque parte ſponte receptum, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & praeſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praeſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beati Petri, & Pauli, Apoſtolorum eius, ſe noverit incurſurum. Datum Peruſii II. Kalendas Novembr. Pontificatus noſtri anno tertio.

S. P. A. † *S. P. A.*

GRE
GORIVS
PP. IX.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilecto filio Archipresbytero Senen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Dilecti filii Abbas, & Conventus de Cultubono ordinis Vallumbroſae ſuam ad nos quaerimoniam deſtinarunt, quod Prior de Campo, Raynerius de Ricaſolis, & quidam alii Clerici, & Laici Aretin. Feſulan. & Senen. Civitatum, & Dioec. ſuper quibuſdam legatis, decimis, poſſeſſionibus, & rebus aliis iniuriantur eisdem; ideoque diſcretioni tuae per Apo-

ſtoli-

ſtolica ſcripta mandamus, quatenus partibus convocatis audias cauſam, & appellatione remota debito fine decidas, faciens quod decreveris per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore, ſubtraxerint, per cenſuram eamdem adpellatione ceſſante compellas veritati teſtimonium perhibere. Dat. Viterbii XVI. Kal. Maii Pontificatus noſtri anno decimo. Anno vero Nativitatis MCCXXXVIII. indict. XII. ultimo die menſis Septemb. Actum in clauſtro Plebis Chanciani, & Pleban. eiusdem Plebis, & Marian. Diacon. ad hoc exemplum legendum, & auſcultandum interfuere. Et ego Cambius de Chanciano auct. imperial. Not. ut vidi in originalib. litteris Sigillo Domini PP. roboratis ita in hoc exemplo S. & cum autentico legi, & auſcultavi nihil immutando praeter Signum † praedictum meo ſigno appoſito.

Iuvat heic Epiſtolam Gregorii IX. licet Italice conversſam, adducere, quae ex Bibliotheca Riccardiana prodit, quae exſtat in Codice chartaceo, at in quo ita habetur.

„ Lettera di Papa Gregorio Nono a meſſer Fede-
„ rigo Secondo Imperadore, ed è riſpoſta di molte
„ altre lettere mandate, e ricevute dinanzi, le qua-
„ li qui non le pongo, parte, perocchè queſta è sì
„ generale, che dimoſtra quaſi ciò, che in quelle ſi
„ contiene; ma per meglio ſapere la materia, e il
„ tema di queſta, mi conviene un poco ritrarre in-
„ dietro in queſta forma, cioè:

„ Meſſer Federigo di Schuffo fu un grande Barone
„ della Magna, ed uomo d' alto cuore, e di grande
„ im-

„ impreſa. Avvenne, che vacando lo 'mperio, ed
„ eſſendo i Prencipi della Magna in diſcordia ſopra
„ la elezione di nuovo Imperadore, alla fine s' ac-
„ cordarono di rimetter le loro voci in detto meſ-
„ ſer Federigo: queſto procacciò eſſo per grande
„ ſottigliezza d' ingegno, e per valore di cuore.
„ Poi venuto al giorno ordinato, ed acconcio di
„ gente, e di potere, eſſo eleſſe ſe medeſimo, e fu
„ Imperadore di Roma, e fu molto contrario a
„ ſanta Chieſa, e fece un altro Papa, e miſe al-
„ tri Veſcovi nella Chieſa dello Imperio. Ma alla
„ fine andò a Vinegia, dove il diritto Papa era fug-
„ gito, e fece i ſuoi comandamenti, e paſsò oltre
„ mare, e bagnandoſi un giorno per grande caldo
„ in uno fiume, che ſi chiama Safef, che è a' confini
„ d' Erminia verſo Soria, annegò in detto fiume.
„ Eſſo laſciò due Figliuoli, cioè Filippo, ed Arri-
„ go. Filippo fu Signore nella Magna, ed Arrigo
„ fu chiamato Imperadore, e tolſe per moglie la
„ Reina Goſtanza, la quale fu figliuola del Re Rog-
„ gieri del lignaggio di Ruberto Guiſcardo. Ma
„ appreſſo la morte del Padre fu rinchiuſa Mona-
„ ca, e là dimorò lungo tempo, fral quale tenne
„ la Terra il Re Guglielmo, e poi lo Re Tancre-
„ di. Ma lo Arciveſcovo di Palermo, ch' era ni-
„ mico del Re Tancredi, procacciò tanto, che la
„ Monaca uſcì di Moniſtero, e tolſe per marito lo
„ Re Arrigo; però lui ebbe il Regno di Sicilia, e
„ lei ingenerò Federigo ſecondo, il quale era pu-
„ pillo, e quando la madre paſsò da queſta vita
„ ſi lo laſciò in guardia, ed in tutela della Chie-
„ ſa di Roma, e del Papa. Stando lui in queſta
„ guardia, fu fatto Imperadore Oddo, ovvero Otto
„ di Sanſognia; e dopo il ſuo trapaſſamento fu co-

„ ro-

„ ronato, e fatto Imperadore queſto meſſer Fede-
„ rigo ſecondo, e coronato della imperiale corona
„ per le mani di Papa Onorio gli anni di Criſto
„ MCCXX. Queſti fu uomo ſavio, e di grande
„ cuore, ed ebbe molta briga con ſanta Chieſa,
„ tantochè eſſo fu dipoſto, e diſpoſſeſſato delle ſue
„ dignitadi, per ſentenza di Papa Innocenzio quar-
„ to nel Concilio tenuto a Lione in ſul Rodano, e
„ poi morì lui anni MCCL. del meſe di Dicembre
„ a Fiorentina in Puglia. Vienſi alla Lettera.

„ Tu ſcriveſti a noi, che la noſtra lettera pare
„ molto da maravigliare ne' tuoi ſenſi, ma molto
„ più parve la tua ne' noſtri. Ma non pertanto ſe
„ tu aveſſi penſate le noſtre parole a eſaminamen-
„ to di giuſte bilance, & in preſenza di non ſo-
„ ſpetto ſpoſitore, e non aveſſi tratto la lettera a
„ baſtardo intendimento, partendoti dal diritto; tu
„ avereſti trovato in quella di che coſe tu ſe' tenu-
„ to allo ſpirituale Padre, e Madre, ed in altre
„ coſe. Contenea il tenore delle tue lettere, che
„ fuori dell' oppinione, e del conſiglio di tutti i
„ Principi, t' avemo ſempre trovato preſto a' no-
„ ſtri piaceri; ſicchè non ſi ricorda neſſuno de' tuoi
„ anteceſſori eſſere ſtato così divoto. Ma de' Pren-
„ cipi non informeremo noi altrimenti noſtro ar-
„ gomento, ſe non, come conviene, nella verace cre-
„ denza provata per ſperimento di fatto. Nè di lo-
„ ro non ſi muterà la fermezza dell' Appoſtolica
„ Sedia, nè il giudicio della buona credenza non ſi
„ cambierà per malvagio ſcommettimento, concioſ-
„ ſiacoſachè i fatti ſi debbono innanzi porre alle
„ parole. Se le coſe certane pregiudicano all' oſcu-
„ re, ecco che nella Sagreſtia di ſanta Chieſa ſi
„ trovano pubbliche carte guernite di ſuggello qua-

„ ſi

„ ſi di tutti i Prencipi, le quali contraſtano all' op-
„ penione, che tu pare volere impignere contro a
„ loro; perocchè non è veriſimile, che cotali, e
„ tanti Prencipi, aveſſino dato alla tua Altezza con-
„ ſiglio, il quale fuſſe contro allo ſcritto loro.
„ Degli anteceſſori tuoi ſe tu aveſſi voluto eſprie-
„ mere alcuna coſa, aremo forſe potuto miſurare
„ in loro quello, che noi dobbiamo ſperare in te.
„ Perciò ſe la tua intenzione ſi referiſce agli ante-
„ ceſſori del ſangue tuo, poca devozione ti baſta
„ a entrar loro innanzi. Ma ſe tu patiſci, che la
„ intenzione diſcenda di per gli anteceſſori, che fu-
„ rono nella fede preclari, nella carità ferventi, e
„ nella devozione ſmerati, facciendo il prode
„ di loro, e de' ſuggetti in parole, ed in eſempli,
„ e che guernirono ſanta Chieſa di nobili, e di
„ grandi privilegi, e libertadi, e che l' adottri-
„ narono, & inalzarono di molte ricchezze, a co-
„ loro, ſe ti piace, non s' agguagli, nè s' innan-
„ ziponga la tua Altezza; ma conſidera, ſe per
„ abbondanzia di cotali coſe tu puoi aggiugnere
„ ai loro termini, ed eſamina la ſentenza di vera-
„ ce ſavio, ſe tu degnamente ti poni nome di de-
„ vozione, quando tu ti sforzi di recare in dubbio
„ i benefici della Madre Ecleſia; altreſicome ſe per
„ involvimento d' uno ſi poteſſe celare quello, che
„ è ſaputo da molti. Ma non puote uno ſolo uo-
„ mo mettere in dubitanza quello, che è ſaputo da
„ tutta gente. E certo quella maniera di ſcono-
„ ſcenza, che niega i benefici ricevuti, ſuole ben
„ dare alcuno turbamento; ma quella contiene an-
„ guſtie di ſmiſurato dolore, la quale proſuma nel
„ bene male, e nell' amore odio. E non che altro
„ la tutela di te ſteſſo, la quale fu laſciata all' Ap-

„ poſtolica Sedia per la 'mperadrice Goſtanza Regina
„ di Sicilia tua madre, vuo' tu trarre della grazia
„ de' benefici? Ma conciossiacoſachè in quello tem-
„ po niuno articolo di neceſſità ſtrignieſſe la ſanta
„ Chieſa a ricievere quello non lieve peſo di te,
„ che eri abbandonato di tutto aiuto. E certo il
„ ricevimento della tutela, il quale ebbe comincia-
„ mento di grazia, non ti doverrebbe tornare così
„ ſconoſcente, che tu alla tutrice poneſſi tegha
„ di frodolente adminiſtrazione. Quando tu dici,
„ che la Chieſa ſotto moſtra di difenditrice traſmi-
„ ſe coverti nemici a perdere l' anima del Fanciul-
„ lo, a torgli il regno, e corona, aveva ancora
„ la tua lettera un' altra aggiunta di grande infa-
„ mazione, dicendo, che quando la tutrice ti do-
„ vea innalzare, sì t' abbaſsò, mettendo uomo
„ ſtrano nella ſedia del Padre tuo, il quale non
„ ſtando contento allo 'mperio, ſi sforzò d' avere
„ il regno. Ma certo la tua parola non è ſtata cota-
„ le per infino a ora, nè non ſi contenea queſto
„ nelle tue lettere, nelle quali dopo Iddio tu re-
„ putavi allo ſtudio della Madre Chieſa, ed alle
„ fatiche della tutrice ciò che tu eri. Ed ora, che
„ tu ti muti? Donde è adunque venuta coſa con-
„ traria nell' oppinione? Donde adunque è nata
„ così ſubitana, e così diverſa preſunzione? Certo,
„ che la tua coſcienza s' accordava con le molte
„ lettere, che tu mandavi, conciossiacoſachè poi
„ non ſia venuta niuna cagione di nuovo ſapere,
„ nè ſapere di nuova cagione: perchè s' impugna
„ calunnioſamente contrario, che la ſemplice veri-
„ tà non ſoſtiene. Ma ſe quelle cotali lettere non
„ erano accordanti alla tua credenza, penſi il tuo
„ ſapere, che di ciò ſi debba credere, o ſperare.

„ So-

„ Sono dunque queſti e' ſervigj, che tu promettevi
„ alla Chieſa di Dio, ſe biſogno veniſſe? E' queſto
„ l'effetto del guiderdone, che tu profferivi, ſe
„ gravezza appariſſe? Non aſpettava queſto la ma-
„ dre dal figliuolo, nè non dovea queſto ſperare
„ la tutrice dal ſuo pupillo. Ai Iddio! Che ſpe-
„ ranza rimane in cotale figliuolo, ſe così amo-
„ revole madre conviene diſperare! Ai Iddio!
„ Che eſemplo di favore prenderanno gli altri, ſe
„ così utile madre è così gravemente percoſſa! Ai
„ Iddio! Quante, e come grandi fatiche ha perdu-
„ te la Chieſa, ſe il mal figliuolo, che eſſa avea
„ piantato, e coltivato con tanta ſollecitudine, ſi
„ converte in amarezza di vite campeſtra. Accioc-
„ chè gli è minore danno a non ricevere frutto neſ-
„ ſuno, che tale che faccia danno. O quante, e co-
„ me amare lagrime ſparſe per molte fiate per te
„ il buono Papa Innocenzio noſtro anteceſſore! O
„ con quante ſollecitudini procacciò di trarti delle
„ nocitrici mani, e di ſcamparti de' lacci de' tuoi
„ avverſari, e di cavarti quaſi della foce di mor-
„ te! Ecco il merito, che la 'mperiale Altezza
„ ne proffera. Ecco la compenſazione, che ne ren-
„ de la Reale Altezza. Quando dice, che eſſo Pa-
„ pa fu naſcoſo inſidiatore della vita del pupillo,
„ e tacito rubatore de' ſuoi beni. Ma penſa, e
„ ripenſa, Figliuolo cariſſimo, e rivolgi nel petto
„ tuo, come picciolo, e come abbattuto ti rice-
„ vette quello ſommo Pontefice dopo la morte del-
„ la tua Madre; e come grande, e come inalza-
„ to ti laſciò dopo la ſua morte. Certo, ſiccome
„ noi crediamo, ancora non pure t'appreſſavi a' ter-
„ mini della tenera fanciullezza, quando Marcoval-
„ do crudele abbaſſatore del tuo nome, e deſideroſo

„ occupatore delle tue coſe, entrò ne' confini del tuo
„ Regno, e diſtendendo le toglitrici mani, poſe aſ-
„ ſedio a monte Caſſini, e grandi ed aſpri aſſalti
„ vi fece per molte fiate, adoperando tutto ſuo
„ potere per prendere, & avere la terra. Ma in
„ queſto non venne meno la ſollecitudine della
„ Chieſa, la quale per due Cardinali, e ſpeſa non
„ piccola, porſe agli aſſediati intera mano d' aiuto,
„ indebolendo la forza dello aſſediatore, e meno-
„ mando il potere del nemico. Ma conciofoſſecoſa-
„ chè lo fine non riſpondeſſe al ſuo deſiderio,
„ e veggendo, che la defenſione era lunga, e che
„ i nimici prendeano cuore di contaſtare, il detto
„ nimico ſi partì, & andonne in Sicilia, penſando,
„ che ſe egli della tua perſona poteſſe compiere
„ ſuo intendimento, leggermente poi arebbe la Si-
„ gnoria del Regno. Ma niente quivi ritraſſe San-
„ ta Chieſa la mano dell' uſata difenſione, anzi
„ tramiſe là oltre al Cardinale Carlo, e il Conte
„ Iacopo conſobrino del noſtro predeceſſore detto
„ con molti cavalieri in tuo aiuto, & un altro
„ Cardinale fu deputato alla guardia della tua per-
„ ſona propriamente, il quale non lento alle tue
„ utilitadi paſsò l' anno medeſimo da queſta vita;
„ & incontanente fu meſſo l' altro in ſuo luogo, ac-
„ ciocchè piena ſollecitudine non falliſſe intorno al-
„ la guardia di tua perſona. Ed infrattanto la ma-
„ lizia di Diapaldo crebbe tanto di lungi, e preſſo,
„ e preſe tanto di potere nelle parti di Puglia, e
„ Terra di lavoro, che avendo eſſo vittoria ſopra
„ il Conte Piero di Celano, quaſi la maggior par-
„ te del paeſe avea, e mettea ſotto ſua Signoria, e
„ quelli alquanti, che ſi difendevano, guaſtava, e
„ diſtruggeva; ſicchè non molto curava del contaſto

„ di

„ di pochi, e piccoli, quando eſſo avea trionfato
„ di molti, e grandi. E conciofoſſecoſachè non a-
„ veſſe la Chieſa chi la levaſſe in quello paeſe, an-
„ zi aveſſe perdute le molte ſpeſe, che eſſa per te
„ avea fatte negli uomini della contrada di mol-
„ te migliaia d' oncie, ricevette in ſuo nome paleſe-
„ mente dal Conte C. . . ſaramento di fedel-
„ tà; tramiſse lui nel regno per rompere le corna
„ al ſuperbo nimico. Fu adunque queſt' opera da
„ tradire il garzone? Fu queſta opera, che la Chie-
„ ſa voleſſe rubare il pupillo da credere. E' venga
„ la ſentenza del trono di Dio, ed apraſi il giu-
„ dizio della virtù dell' Altiſſimo, ſe alla tua Al-
„ tezza ſi conveniva di credere cotali coſe contro
„ alla madre Eclеſia, o ſe la conceputa credenza
„ doveaſi comparire che parola ſe ne trovaſſe. Ma
„ forſe la divina Provvidenza ha ciò voluto, perchè
„ ſi poſſa avere più ſicura cagione delle coſe vedu-
„ te intorno al convenente dell' uomo ſtrano, il qua-
„ le fu elevato nella ſedia del Padre tuo, ſe ſe-
„ dia di Padre ſi dee chiamare quella, che ſi con-
„ cede non per ragione d' eredità, ma per elezio-
„ ne. Certo il tuo trovamento ſi dovea ben tacere
„ contro alla Chieſa, imperocchè colui, che rie-
„ da, e niega la verità nelle coſe manifeſte, ritie-
„ ne meno fede nelle celate. Già ben ſaputa coſa
„ è da ogni canto dello 'mperio, che dopo la mor-
„ te dello 'mperadore Arrigo tuo Padre, le volon-
„ tà delle genti ſi diviſero, & alquanti s' apreſono
„ a Filippo Duca di Suavia, ed altri a Otto di
„ Sanſogna, il quale poi fu Imperadore: ed av-
„ vegnachè il detto Filippo moſtraſſe di prima fa-
„ re per te, ed a tuo nome; tutta fiata venendo
„ il fatto bene avventuroſamente, convertì eſſo le

,, coſe sì a ſua utilitade, che penſando lui, che
,, lo 'mperio non gli poteſse fallire, sì miſe il ſuo
,, intendimento in occupare lo regno di Sicilia;
,, ed a torlo tramiſe il Veſcovo di Guermagì, ed
,, altre genti. Nè in queſto non ti fallì la provvi-
,, denza dell' Appoſtolicale Sedia, anzi mandò a rin-
,, contro il detto Cardinale Carlo, e molti vaſ-
,, ſalli della Chieſa, i quali abbatterono le forze
,, de' nimici intro la Marca, e non gli laſciaro-
,, no approſſimare agli confini di detto regno.
,, Poi veramente paſſato il detto Filippo di vita,
,, convenne che noi conſentiſſimo alla elezione del
,, detto Otto di Sanſogna, la quale ne fu pre-
,, ſentata per concordia di tutti i Prencipi in tal ma-
,, niera, che a noi non fu lecito vietarli la 'mpe-
,, riale corona. Ma eſſo, ſiccome tu ſcriveſti, ſu-
,, bitamente divenne ingrato, volgendo le reni nel-
,, la faccia a Santa Chieſa, e avvegnachè eſſo la
,, provocaſſe di molta ingiuria, tuttavolta la Chieſa
,, infingea la miſericordia per la uſata pazienza.
,, Ma da che eſſo pure ſi ruppe nelle tue offeſe, non
,, potè la Chieſa patire tanto contrario in te, ſic-
,, come luce del ſuo occhio, anzi pensò molte vie
,, per le quali ella poteſſe pienamente ſovvenire al
,, ſuo Pupillo. O come tu eri proſſimano a' peri-
,, coli! O come tu eri apparecchiato alla caduta!
,, Per la qual coſa la Chieſa chiamò l'aiuto di co-
,, lui, che contaſta a' ſuperbi, e dà grazia agli
,, umili, e che comanda al mare, ed a' venti, e
,, caſſa le tempeſtadi; che dipone i potenti dalla
,, ſedia, e gli umili pone in alto. Chiamò anco-
,, ra i cuori de' fedeli Principi, ſollecitando i gran-
,, di, ed i piccoli, perchè le porgeſſero le loro aiu-
,, tatrici mani al rilevamento della tua rovina. Ma

,, alla

„ alla fine la divina potenza contraſtette allo ſfor-
„ zo del detto avverſario ; e fece in te ſegnale di
„ bene, perchè lui cadeſſe, e tu montaſſi; eſſo in-
„ debiliſse , e rinforzaſſe gaſtigo lui alla ſua ma-
„ lizia: eripreſe lui la ſua iniquità , per tal ma-
„ niera, che eſſo, che troppo avaramente deſidera-
„ va l'altrui coſe , per giuſto giudizio di Dio per-
„ dè le ſue proprie. Il perche tu , a cui appena
„ eran rimaſe l'eſtremità del tuo regno , acquiſta-
„ ſti lo 'mperio, e tutte le colui coſe, con tale ri-
„ medio , e ſalvamento , con l' aiuto de' Pren-
„ cipi , e con le virtù della divina Provviden-
„ za , innanzi riprovide la madre Ecleſia. Co-
„ tali benefizi porſe a te pupillo . Poſcia cre-
„ ſciuto , che dunque poteva più fare , e non lo
„ fece ; quando eſſa non laſciava a fare niente di
„ quello ſi conveniva, e di quello v'aggiugneva,
„ ond'ella non era tenuta? Onde noi ci maravi-
„ gliamo , che tu in queſto ricordi le tue fatiche,
„ dicendo , che veniſti mettendoti in grande avven-
„ tura, venendo a quella, onde altri ſi procacciava.
„ E così entraſti nell'altrui opere mietendo quello,
„ che tu non ſeminaſti; e ricogliendo ciò , che tu
„ non ſpargeſti. Ancora ne' tuoi trovamenti non di-
„ menticaſti la noſtra perſona , cioè che noi tro-
„ vammo buono ſeguitatore nell'opere del noſtro
„ anteceſſore , non bene conſiderando , che quan-
„ to era nelle tue proprie utilità, noi deſideramo in
„ tutte guiſe, non che lui aveva incominciato intor-
„ no al proponimento de tuoi onori . E a ciò fare
„ noi mettemmo potentemente, e paleſemente mol-
„ te coſe : patimmo di menomare il noſtro onore
„ per accreſcere il tuo ; divenimmo guaſtatori del-
„ la noſtra fama , e della tua ſcarſi. Ma per que-

„ ſti, e per altri benefici, ne riſpondi tu di cota-
„ le guiderdone, che dì che noi menomammo nel-
„ le noſtre coſtituzioni la ragione, la quale i Re
„ di Sicilia ſogliono avere per uſanza nelle elezioni
„ de' Prelati. Ma ſe tu aveſſi con ſollecita mano
„ rivedute, e rivolte le ſcritture tue, e della tua
„ Madre, e vedeſſi bene le coſtituzioni de' Santi
„ Padri, non incolpereſti la Chieſa intorno alla de-
„ fenſione della Ecleſiaſtica libertà, perciò, concioſ-
„ ſiacoſachè non debbe altrui biaſimare della giu-
„ ſtizia colui, il quale contende della mala uſan-
„ za. Diceſti ancora, che oltre alla forma comu-
„ nemente uſata, noi ſenza tuo conſiglio abbiamo
„ meſſi Prelati in alquante Chieſe del Regno vaca-
„ te. Ma chente ſi ſia quella forma non ſappiamo,
„ ſe non che troppo ſarebbe sformata, ſe il giudizio
„ dell' Appoſtolicale Sedia pendeſſe dal tuo arbitrio.
„ Ma per tanto non è di noſtra intenzione di pro-
„ movere perſona ſuſpetta, purchè tu non appon-
„ ga più ſuſpenſione, che l' ordine della ragione
„ non patiſca. Dopo tutto ciò non volemo noi la-
„ ſciare l' Arciveſcovo di Taranto, il quale eſſendo
„ appreſſo di te in altezza di grazia, ſubitamente
„ l' abbatteſti in profondo di malavoglienza; ſicchè
„ chi poco dinanzi era tenuto uno cuore, ed una ani-
„ ma con teco inſieme, di ſubito fu chiamato furo,
„ e ladro, e detto traditore del tuo ſangue. E ma-
„ raviglianci, che più n' aſpetti: che cacciato lui
„ dalla Sedia, e toltogli le ſue poſſeſſioni, e con-
„ tro a Dio, e contro a ragione, ſeguendo tuo
„ arbitrio di già l' ai punito, e la pena è venuta
„ prima che la ſentenza: ſicchè l' eſecuzione non
„ atteſe libello. Ma forſe è alcuno, che dice, che
„ la ſua perſona diſpiacque a' tuoi ſervigi, perocchè

„ ti

„ ti piacean le tue coſe. Ancor non vogliamo
„ obliare il Veſcovo di Cattania, per la cui ſuper-
„ bia, e larghezza, vai dicendo, che tutto il Re-
„ gno è divorato. Ma ſe la divorazione è già così
„ fatta in tutto, onde ſono ſoperchiate cotante re-
„ manenzie a divorare. Ed a colui ſe merito riſpon-
„ deſſe allo ſtudio ſuo, e frutto alle ſue fatiche,
„ altro ſenza fallo avrebbe, che non gli è dato di
„ quello, che tu prometteſti a noi nella Terra di Fio-
„ rentina. Quello ancora, che tu prometteſti a' no-
„ ſtri Frati in ſan Germano tu lo ſai bene. In queſta
„ maniera, & in molte altre, percuoti tu le colonne
„ della ſanta Chieſa, quando l'aſprezza del tuo grava-
„ mento ſi ſtende nelle perſone de' Prelati, e ne' gra-
„ di, e negli ordini de' Cherici, e quaſi volendo
„ coprire & emendare gli altrui difetti, vai dicen-
„ do la negligenza de Prelati, non penſando, che
„ ancora non è venuta manco l'autorità della mag-
„ gior Sedia, la quale i peccati eſaminati in dili-
„ gente giudicio puniſce con tanta giuſtizia, che la
„ diſtruzione della pena toglie eſemplo di colpa, e
„ la ſeverità della vendetta puote agli altri eſſer
„ termine di mal fare. E perciocchè noi non pote-
„ mo, nè vogliamo, nè dobbiamo venire alla ſan-
„ ta Chieſa di Dio ſopra tutte queſte coſe, e al-
„ tre, che toccano all' Ecleſiaſtica libertade, però
„ ſeguiremo noi in tal maniera in debito dell' ufi-
„ zio noſtro, che noi ſatisfaremo a Dio, ed al mon-
„ do. E di ciò faremo utilmente la vicenda della
„ noſtra ſalute, e della tua, concioſſiacoſachè piacere
„ agli uomini contra Dio ſia nuocere; il perdona-
„ re ſia condannare; acciocchè le mani delle pieto-
„ ſe madri cuocono agli loro figliuoli, perciocchè
„ 'l verace amore ha ſue piaghe, le quali diven-

„ tano

„ tano più dolci, quanto elle ſi danno più amara-
„ mente. Diceſti ancora, che dopo la tua tornata
„ nel regno, dacchè aveſti reintegrate le tue for-
„ ze, le quali erano diſperſe per lo ſvariamento
„ de tempi, e che aveſti ſcacciati i tuoi ribelli,
„ la madre Ecleſia, contro all'ufficio di madre, ave-
„ va ritenuti i ſuſpetti del figliuolo. E certo del
„ reintegramento delle forze ſiamo allegri. Ma Dio
„ voleſſe, che l'effezione del reintegratore foſſe sì
„ contenta de' diritti termini, che dalla giuſtizia
„ del ricoveramento delle ſue coſe non trapaſſaſſe ad
„ ingiuria, e ad uſurpamento dell' altrui; percioc-
„ chè fuori di quello, che al noviſſimo giorno ſi
„ renderà per diſtretta vendetta del ſovrano Giudi-
„ ce, conviene, che la ſuſtanza ci conſumi, la qua-
„ le nel beneavventuroſo tempo ſarà ammaſſata
„ per non legittimi accreſcimenti. Sopra al fatto
„ degli ſcacciati del regno potemo noi bene ſoffe-
„ rire la riſpoſta; ſe non che alcuna gente potreb-
„ be credere, che il tardamento di noſtra reſpon-
„ ſione giuſtificaſſe queſto tuo richiamo fatto già per
„ più volte. Ora riſponderemo per dimoſtrare che
„ l' affigimento del riſpondere è ritardato, ed ora
„ viene innanzi ad iſtanzia di richiarimento. Nè
„ non crediamo noi che ſia della tua memoria ca-
„ duto, che al Conte Ramondo, & a Rinaldo d'A-
„ verſa, ed a' loro fattori, anzi che eſſi rendeſſino
„ le Caſtella, che tu per forza avere non potevi,
„ intra l'altre coſe, le quali ſono ſcritte in patti
„ piuvichi, ed autentichi, ſi contiene ſpreſſamente
„ la piena ſicurtà, che tu deſti loro, e faceſti. E
„ perche ella aveſſe fermamento di maggiore ſicurtà,
„ pregaſti tu noi, ed i noſtri fratelli per meſſi, e
„ per lettere ſpeziali, le quali ſono probate per

„ chiara

„ chiara teſtimonianza, che la Chieſa di Roma ſi-
„ curamente gli riceveſſe ſopra ſe, e che tu piena-
„ mente atterreſti loro tutte ſicurtà, e promiſſioni.
„ Ma come i fatti ſeguono alle parole, e come fede
„ ſegue la promeſſione, più che non conviene all' Ap-
„ poſtolicale Sedia, & all' Imperiale Altezza dimo-
„ ſtrano le pubbliche afflizioni, e le manifeſte pene
„ di molti di loro, i quali dopo l' aſpettata fidan-
„ za ai cacciati, e sbanditi, ed altri dannati a vi-
„ tuperoſa morte; e perciò non ſanza verace cagio-
„ ne potemo noi temere nella noſtra pazienza, per
„ dare nome, ed effetto di verace pazienza. Per
„ la qual coſa non credere che ciò ſia dimenticato,
„ avvegnachè ſia ſtato ſoſpeſo. Ma perchè nelle ſi-
„ mili coſe il ſimigliante vedranno per tuo eſemplo
„ commettere i minori; e da queſto piccolo eſem-
„ plo potranno prendere ſpecchio, e veduta, nella
„ quale quanto ſia menomata la utilitade dell' Appo-
„ ſtolicale Sedia, la quale per molti tuoi prieghi
„ aveva ricevuti loro ſotto ſua ſicurtà, dicanlo quel-
„ li, che ſanno il fatto del Conte Matteo, il quale
„ tu ai diſpogliato di tutti i ſuoi beni, ſtando lui
„ a defenſione della Croce, ed in ſervigio del Croci-
„ fiſſo; e del Conte Ruggieri imperaddietro preſo co-
„ me ſai tu, e dappoi diliberato come ſapemo noi;
„ e di molti altri, i quali per la tua perſecuzione
„ ſono fuggiti a Roma, ed in quelle parti. Non
„ vogliamo ora più dire parole, ma taccian, e raf-
„ freninſi le doglienze dell' alto Prencipe, nè pure
„ ſmuova fuoco contro alla Chieſa, nè moſtri ſcen-
„ dere contro a te la ſua potenza. Già non trovi
„ tu queſto nella memoria di Giulio Ceſare, il quale
„ riſerbò in vita Domizio deſideratore di pena, e
„ diſpregiatore di perdono. E Metello, che pure ſi

„ offe-

„ offeriva alle coltella, l' ira di cotanto Principe
„ riputò che eſſo non foſſe degno di morte. Ma cer-
„ to le Città erano rifugio al Popolo d' Iſraelle, e il
„ Popolo Criſtiano non troverà Città dove rifugga?
„ David era ſoſtenitore degli afflitti, ed il Som-
„ mo Pontefice Vicario del grande David non
„ moſtrerà la faccia ai moleſtati, e maſſimamen-
„ te quando eſſi contra a te non fanno alcuna co-
„ ſa, ſe forſe tu non ti voglia recare a ingiuria,
„ che eſſi ſi laſcino vivere. Del Conte I......
„ di Brenna nobile ſuocero tuo, ſe noi aveſſimo ſa-
„ puto che non faceſſe verſo di te quello, che do-
„ vea, noi certo l' aremo ammonito, e pregato,
„ deſiderando che eſſo ſempre ti fuſſe grazioſo. Ma
„ in lui ſi maravigliano molte genti, che ſogliono
„ gli altri creſcere del parentado de' maggiori; ma
„ eſſo ne pare, che ne ſia menomato, non ſenza ſcan-
„ dolo di molti, nè ſenza gran danno della Terra
„ Santa, nè ſenza gran biaſimo del nome tuo.
„ Certo così fatte coſe non ſi trovano nei memo-
„ riali degl' Imperadori; queſte non ſono l' uſanze
„ degli altri Principi; così non ſi procura l' utilità
„ della Terra Santa, ſopra la quale tu dii, che noi
„ ti ponemo forti legami, e peſi da non portarne.
„ Ma non ti ricorda, che tu medeſimo per tua
„ ſpontanea volontà ti ſummetteſti a queſti peſi, già
„ ſono molti anni paſſati, quando nella Magna
„ tu prendeſti il ſegno della Croce? E non ti ri-
„ corda quanta gente, e grandi, e piccoli ſi ſono
„ botati al ſervigio della Croce? E non ti ricorda
„ quanto grande carico n' ha ſofferto la Chieſa nelle
„ decime de' Prebenti, e degli Ecleſiaſtici. Per gli
„ mercatanti di Roma ſappiamo bene, che t' avemo
„ più volte ſcritto, ſiccome tu diceſti. Ma poichè
„ eſſi

,, eſſi non ſono uditi di loro ragione, non debbe lo-
,, ro fallire l' Ecleſiaſtica giuſtizia. E de' vaſſalli,
,, de' quali tu ne ſcriveſti come piacque a te, la
,, ragione, che tu v' ai, ſi vede ne' privilegi tuoi,
,, e della tua Madre; e de' tuoi anteceſſori. E non
,, per quanto ſe tu aveſſi voluto di grazia alcuna
,, coſa in aiutorio della Chieſa ſanta, noi aremo
,, volentieri inteſa la tua petizione, ſe tu l' aveſſi
,, voluta dare. Però vedi ancora, che 'l nome che
,, tu ti poneſti d' Avocheria più ſono fiate, tu non
,, lo tragga a mala uſanza. Poichè Avvocato di
,, Chieſa, ſi debbe intendere quello medeſimo,
,, che n' è difenſore. E ſe tu laſci l' effetto delle di-
,, fenſioni, per niente ritieni il nome dell' Avo-
,, cheria. La qual coſa tu ai ben moſtra in Arco-
,, vata, ed in altre Caſtella di noſtri fedeli, le
,, le quali tu tieni occupate ſenza ragioni. E quan-
,, do eſſi ſe ne richiamano; tu dii che ne farai ra-
,, gione nella tua Corte. E ſopra queſto ſi racco-
,, vano novelle leggi, e regnano innanzi che l' an-
,, tiche non patiſcono. Ma perciocchè la mano di
,, Dio non è sì abbreviata, ch' ella non poſſa pie-
,, gare l' altezza degli uomini, ed umiliare la gran-
,, dezza de' grandi, guarda, che quando lo ſplen-
,, dore dei beneavventuroſi avvenimenti t' alluma
,, nei tuoi piaceri, tu non ti dimentichi nel ſe-
,, reno quello, che tu profferi nel turbato. Noi cre-
,, diamo, ad aviamo ſperanza, che dimenticanza
,, non adducerà tanto votamento nella memoria di
,, così diſcreta perſona, ch' ella caggia in vizio
,, d' ingratitudine. Non t' ingannino dunque le pro-
,, ſperitadi. Tanto ti debbiano avere inſegnato l'av-
,, verſitadi. Che la lumiera della nobiltade è tale,
,, che l' altre coſe non inorgogliſcano le menti de'

,, no-

„ nobili, nè le doloroſe non le abbaſſino. Per la „ qual coſa, Figliuolo cariſſimo, poichè ai provato l'effetto dell' Appoſtolica Sedia, non ti laſciare ſconvolgere ad altrui ſuggezione, perciocchè ſe troppa devozione non ingombra, ella non riſtrignerà la mano degli uſati benefici, nè non naſconderà il dolce volere; che non è coſa veriſimile, che ella voglia di fatto del deſideroſo cuore ritrarre da colui, cui eſſa con molte fatiche mantenne nel tempo della fanciullezza, e con molta ſollecitudine inalzò nel tempo della maggiore etade.

CAEleſtinus, natione Mediolanenſis, ſedit diebus viginti octo; & vacavit menſibus viginti, & diebus quatuordecim. Hic Epiſcopus Sabinenſis, vita & ſcientia laudabilis, ſenex & infirmus moritur; electus cito moritur, & in eccleſia ſancti Petri ſepelitur.

INnocentius, natione Ianuenſis, de Comitibus Lavaniae, ſedit annis ſedecim, menſibus ſex. Hic ſedes Cardinalium a multo tempore vacuas (1) de perſonis ex diverſis partibus mundi electis reſtauravit. Hic poſt magnum tractatum de pace cum Imperatore (2), dum ipſius adverſus Eccleſiam contumaciam perpendiſſet, clam Ianuen-

nuenſium auxilio devenit in Gallias, & celebrans Concilium in Lugduno, ipſum velut hoſtem Eccleſiae condemnavit Imperio privando; procuravitque Langravium Turingiae eligi in Regem Alamanniae; & mortuo ipſo, Comitem Hollandiae. Hic Lugduni canonizavit ſanctum Edmundum confeſſorem Cantuarienſem Archiepiſcopum. Ipſe etiam canonizavit Peruſii beatum Petrum Ordinis Praedicatorum, Veronenſem natione, quem haeretici, propter ipſius predicationem contra ipſos, inter Cumas, & Mediolanum, crudeliter occiderunt. Canonizavit etiam Vinceslaum (3) Aſſiſii, Cracovienſem Epiſcopum, qui ab iniquo Principe fuerat interfectus. Innocentius vero Papa, mortuo Frederico Imperatore, Apuliam cum magno exercitu ingreditur, ſed poſt paululum moritur Neapoli, & ſepelitur. Huius tempore floruit vita, & ſcientia, venerabilis Dominus Vgo Cardinalis Fratrum Praedicatorum Ordinis, qui Doctor perlucidus doctrina, & eximius, totam Bibliam poſtillavit; qui ſepultus eſt in Eccleſia Fratrum Praedicatorum de Vrbeveteri (4).

(1) Vide quae ſuperius adnotavimus *pag.* 23.
(2) Friderico videlicet.
(3) *Stanislaum* legendum eſt.

(4) Ipſe

(4) Ipſe tamen legi eius Epitaphium Lugduni in Eccleſia Fratrum Praedicatorum, niſi me fallit memoria. Lubet interea heic Innocentii IV. Epiſtolas quasdam proferre, ac ſunt quae ſequuntur.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Abbati, & Conventui Vallisumbroſae, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum a nobis petitur quod iuſtum eſt, & honeſtum, tam vigor aequitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filii veſtri iuſtis poſtulationibus annuentes, ſententiam latam a dilectis filiis, & Abbate de Muſignano, & M. Feſulano Archidiacono delegatis a nobis ſuper controverſia, quae inter vos ex una parte, & Ven. Fratrem noſtrum Livienſem Epiſcopum pro Monaſterio ſancti Mercurialis ex altera, vertebatur, ſicut iuſta eſt, nec legitima provocatione ſuſpenſa, & in inſtrumento publico plenius continetur, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & praeſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praeſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

Dat. Laterani IV *nonas Martii Pontific. noſtri anno* VI.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilecto filio Abbati Vallisumbroſae, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Tuae devotionis inſinuatione percepimus, quod fel. rec. Greg. PP. Praedeceſſor noſter, a longis temporibus intellecto, quod Monaſterium ſancti Fortunati Tudertin. proprietatis malitia habitantium in eodem adeo collapſum, in ſpiritualibus, & tem-

temporibus eveniſſe, ut de reformatione ipſius in ordine ſuo, nulla ſpes de cetero haberetur, mandavit illum per Fratres ſui ordinis reformari. Quia vero de mandato dicti Praedeceſſoris ordo Vallisumbroſae, prout aſſeris, fuit in ipſum Monaſterium introductus, & illud per te, ac ſucceſſores tuos, ſperabatur in melius reformandum; Nos correctionem, & reformationem ipſius tibi, & ſucceſſoribus tuis, ad inſtar Praedeceſſoris eiusdem, auctoritate praeſentium duximus concedendam, Dioeceſani Epiſcopi per omnia iure ſalvo in iis, quae ipſius ordinis non obſiſtant inſtitutis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare praeſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli, Apoſtolorum eius, ſe noverit incurſurum.

Datum Lugduni X. Kal. Octobris, Pontificatus noſtri anno VII.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilecto Filio Abbati Monaſterii Vallisumbroſae ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Conſtitutus in praeſentia noſtra retuliſti, quod cum tu, ſecundum ſtatuta tui Ordinis ad implendum viſitationis, & correctionis officium in monaſteriis ipſius Ordinis interdum accedas, nonnulli monaſteriorum ipſorum Abbates, ſeu fratres alii, conſanguineorum potentia, & nobilium, ac aliorum, qui ſe ius patronatus in eis habere proponunt, favore ſuffulti, viſitationem, & reformationem huiuſmodi damnabiliter impedire, ac bona ipſorum monaſteriorum diripere propria temeritate, in ſuae, ac aliorum degentium in eiſdem ſalutis diſpendium, to-

S *tius*

merario contraire. Si quis autem hoc attentare praeſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

Datum Peruſiii VI. Idus Februarii, Pontificatus noſtri anno X.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Abbati, & Conventui Monaſterii Vallisumbroſae, ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Proviſionis noſtrae provenire debet auxilio, ut monaſterium veſtrum quod ſincera in Domino diligimus charitate, ſpiritualibus bonis proficiat, & ſpiritualium proſperitate concreſcat. Eapropter dilecti in Domino filii, veſtris iuſtis precibus inclinati, ut nullus terras, poſſeſſiones, ſeu quaecumque alia bona veſtra, quae in praeſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum iuſtis modis poteritis adipiſci, alicui dare, vel quoquo modo alienare praeſumat, abſque conſenſu totius Capituli veſtri, ſeu maioris, aut ſanioris partis ipſius, auctoritate praeſentium diſtrictius inhibemus, decernentes irritum, & inane, ſiquid ſuper iis contra inhibentes huiuſmodi faceret attentatum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae inhibitionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare praeſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

Datum Peruſii VI. Idus Februarii Pontificatus noſtri anno X.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Abbati de Septimo, & F. Plebano de Cen-

toia Feſulanae, & Florentinae Dioeceſeos, & Priori ſancti Michaelis Bertel. de Florentia, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum in cauſa, quae inter dilectum filium Vivianum Priorem ſancti Bartholomaei de Caſtro Figin. & Ruſticellum Syndicum communis eiusdem Caſtri Feſulan. Dioec. ſuper Canonica de Scampato, fructibus, & aliis bonis ipſius, vertitur, Dilectum filium magiſtrum Rainerium de Viterbio Capellanum noſtrum dederimus partibus auditorem, quia lite coram eo ſuper iis legitime conteſtata, & factis hinc inde poſitionibus, & reſponſionibus ſecutis ad eas, plene non potuit de cauſa liquere; Diſcretioni veſtrae per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus teſtes, quos utraque pars ſuper articulis ad vos ab eodem magiſtro, una cum interrogatorio dictarum partium, ſub ſigillo ſuo tranſmiſſis, coram vobis duxerint producendos, infra duos menſes poſt receptionem praeſentium prudenter recipere, ac iuxta interrogatorium ipſum diligenter examinare curetis, & eorum dicta fideliter in ſcriptis redacta, nobis ſub ſigillis veſtris tranſmittatis incluſa, praefigentes partibus terminum peremptorium competentem, quo per ſe, vel reſponſales idoneos noſtro ſe conſpectui repraeſentent, in cauſa ipſa, ſicut de iure fuerit, proceſſurum. Teſtes autem qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione ceſſante, cogatis veritati teſtimonium perhibere. Quod ſi non omnes iis exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominus exequantur.

Dat. Peruſii II. Non. Iulii, Pontific. noſtri anno X.

Innocentius PP. IIII.
S. P. A. S. P. E.

In-

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilecto filio Abbati Vallisumbroſae ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iuſtum eſt, & honeſtum, tam vigor aequitatis, quam ordo exigit rationis, ut per id ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecte in Domino fili, tuis iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, arbitrium quod dilecti filii Archipresbyter Florentinus, & Archidiaconus Feſulanus, in quos compromiſiſtis tu, & venerabilis frater noſter Epiſcopus Florentinus, ſuper monaſterio S. Bartholomaei de Ripolis protulerunt, ſicut provide latum eſt, & ab utraque parte ſponte receptum, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & praeſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praeſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli, Apoſtolorum eius, ſe noverit incurſurum.

Dat. Laterani IV. Idus Maii, Pontific. noſtri anno X.

Alias duas *Innocentii IV.* Epiſtolas protulimus ſuperius *pag.* 142. 143.

ALexander, natione Campanus, ſedit annis ſeptem, & ceſſavit menſibus tribus, & diebus quatuor. Hic moritur Viterbii, & in eccleſia ſancti Laurentii tumulatur. Huius tempore Manfredus filius naturalis quondam Frederici Imperatoris, ſe gerens pro paedagogo Corradini praedicti Frederici nepotis, ipſo Corradino mendaciter publicato mortuo, ſibi ipſius coronam

nam adſumpſit ; quod factum , quia in praeiudicium domini Papae fuit , primo excomunicatur , poſt magnus exercitus contra ipſum , ſed in nullo proficiens mittitur. Hic canonizavit ſanctam Claram , quae fuit Ordinis ſancti Damiani (2). Huius tempore Electores Principes Alemanniae , in duo ſe dividentes , quidam Regem Caſtellae , & quidam Riccardum Comitem Cornubiae de Anglia , in Imperatorem elegerunt ; quare ſchiſma duravit multis annis. Hic reprobavit duos peſtiferos libellos , quorum unus dicebat , quod omnes Religioſi etiam verbum Domini praedicantes de eleemoſynis vivendo , ſalvari non (1) poſſent. Alter vero adſerebat , inter cetera erronea , quod Evangelium Chriſti , & doctrina novi Teſtamenti neminem ad perfectum perduxit , & evacuanda erat poſt mille ducentos ſexaginta annos , & a ſexageſimo anno deberet inchoari doctrina Ioachim (3) , quam conditor libri *Evangelium Eternum* nominavit , totam perfectionem ſalvandorum hominum illi attribuendo ; dicebatur etiam ibi , quod Sacramenta novae legis in ſexageſimo anno evacuarentur , quae omnia , & auctoritas Apoſtolica , & praedicti temporis experientia exſufflavit (4).

(1) *Mar-*

(1) *Martinus* habet: *quae fuit Ordinis S. Damiani, & Franciſci.*

(2) Huius libelli auctor erat *Gulielmus de S. Amore.* Platina.

(3) Quod ex libris Abbatis *Ioachimi* ſumta diceretur. Vide *Platinam.* Ceterum Ioachimi Abbatis ſanctitatem defendunt *Bollandiani*, quos conſule, & *Natal. Alexand. Tom. VII. Hiſt. Eccleſiaſt. Diſſert. II. in Saecul. XIII. Ioachimum* Abbatem indicari exiſtimo in verſibus, quos ad Vrbanum adduco, ubi dicitur: *Hincque Propheta novus, &c.*

(4) Illuſtrari haec poſſunt verſibus, quos ad ſequentis Pontificis vitam adferimus.

Plures Alexandri IV. Epiſtolas heic edimus.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Priori de Pozzale Peruſin. Dioeceſis, & Ioanni Capoccio Canonico Eccleſiae S. Mariae maioris de Vrbe, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ex *parte dilectorum filiorum Abbatis, & Conventus monaſterii Vallisumbroſae ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, nobis extitit intimatum, quod Abbas & Monachi Monaſterii ſancti Fortunati cum clauſtro, & domibus, plateis, hortis, & quibusdam aliis domibus, & appenditiis ſuis, ſub certis confinibus, & conditionibus, exceptis poſſeſſionibus, eccleſiis, capellis, iuribus, inſtrumentis, privilegiis, libertatibus, iurisdictionibus, actionibus, & quibuſcumque aliis bonis ipſius monaſterii, pro Eccleſia, & loco fratrum minorum Tudertinorum, ipſorum Abbatis, & Conventus Vallisumbroſae ad id accedente conſenſu, cum ipſius loci Guardiano, & fratribus minoribus permutarunt, prout in inſtrumento publico ſuper hoc confecto plenius dicitur contineri. Nos igitur eorumdem Abbatis, & Conventus Vallisumbroſae, ſupplicationibus inclinati,*

poſſeſſiones, eccleſias, capellas, iura, inſtrumenta, libertates, privilegia, iurisdictiones, actiones, & alia praedicta bona ipſius monaſterii praedictis Eccleſiae S. Angeli de Fontanellis, & loco Fratrum Minorum totaliter adnectentes, & unientes Eccleſiam, ac locum ipſum cum praedictis omnibus ipſis, & per ipſos eorum ordini de Fratrum noſtrorum conſenſu per noſtras litteras duximus concedendum, ut ipſum locum, & eccleſiam, & omnia ſupradicta habeant, & poſſideant cum illis iuribus, & libertatibus, cum quibus habebant, & poſſidebant monaſterium ſancti Fortunati, dum erant ibidem. Ideoque diſcretioni veſtrae per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eosdem Abbatem, & Conventum Vallisumbroſae non permittatis ſuper iis contra conceſſionis noſtrae tenorem ab aliquibus indebite moleſtari, moleſtantes huiuſmodi per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo.

Datum Neapoli V. Kalend. Ianuarii, Pontificatus noſtri anno primo.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Abbati, & Conventui Vallisumbroſae ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iuſtum eſt, & honeſtum, tam vigor aequitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Ex parte ſiquidem veſtra fuit propoſitum coram nobis, quod cum olim ad noſtram audientiam perveniſſet, monaſterium S. Hillari ordinis S. Benedicti Feſulanae Dioeceſis fere adeo in ſpiritualibus, temporalibuſque collapſum, quod pertingens exinanitionis extremae profundum, reſurgere non valeret, Dilectus filius magi-

ſter

ſter Petrus Henrici Baſilicae Principis Apoſtolorum Canonicus, prout in mandatis a nobis receperat, perſonaliter ad partes illas accedens, & amovens expulſam ſententialiter Dionyſiam tunc Abbatiſſam, & moniales monaſterii ſupraſcripti, illud cum caſtris, vaſſallis, poſſeſſionibus, iuribus, ceteriſque pertinentiis ſuis, huiuſmodi mandati forma ſervata, duxit monaſterio veſtro uniendum, ſicut in inſtrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri. Nos igitur veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ab eodem magiſtro factum eſt, in hac parte ratum, & gratum habentes, id auctoritate Apoſtolica confirmamus, & praeſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare praeſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli, Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

Datum Laterani Id. Decembris, Pontificatus noſtri anno primo.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilecto filio Magiſtro Petro Henrici Baſilicae Principis Apoſtolorum Canonico ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Audiendo vix credimus, & credendo miramur, quod dilectorum filiorum . . . Poteſtatis . . . Capitanei, Antianorum, & Conſilii Florentini praecellens devotio, quae ſemper apud Romanam Eccleſiam intemerata permanſit, his diebus, quaſi tenebroſis obducta conſiliis, improvide ſe violari permittit, exceſſibus inconſultis, quibus Deus offenditur, & libertatis Eccleſiae privilegio derogatur. Sane ad noſtrum pervenit auditum, quod cum tu Monaſterium S. Hillari Feſulanae Dioeceſis, Monaſterio Vallisumbroſae de ſpeciali mandato noſtro du-

duxeris uniendum ; quod Poteſtas ; Capitaneus , Antiani , & Conſilium Florentinum non ſolum tibi contra Dionyſiam , olim Abbatiſſam , & Moniales praedicti monaſterii S. Hillari , ſequaces eius ſe tibi ſuper his rebellionis aſſumpto ſpiritu , contumaciter opponentes non praeſtiterunt ; iuxta preces , & mandatum noſtrum , auxilium , vel favorem ; imo potius in ipſius monaſterii contemptum , ad dictum monaſterium Vallisumbroſae Petrum Camerarium , Argumentum monachum ; & quosdam alios familiares eiusdem in certa quantitate pecuniae condemnarunt ; dicentes iudicialiter ; ſe velle cognoſcere , ſi dicta unio de iure fieri poterat , vel debebat . Cum autem in hac parte proceſſus ipſorum Poteſtatis ; Capitanei ; Antianorum , & Conſilii Florentini deteſtabiles habeantur , nec deceat illos aequanimiter tolerari ; volumus ; & auctoritate litterarum noſtrarum eidem Poteſtati , & aliis diſtricte praecipiendo mandamus , ut condemnationem huiuſmodi ; quae merito dici poteſt ipſorum famae damnatio ; ſine difficultatis obſtaculo revocantes ; & a praedictis exceſſibus deſiſtentes ; omnino ſibi in exequendis iniunctis contra praedictas Dionyſiam , & Moniales ; ſeu perſonas alias eiusdem unionis actione prolatis , & etiam proferendis ; ad requiſitionem tuam opportunum auxilium praebere procurent ; ita quod non de ingratitudine reprehendi ; ſed velut gratitudinis filii poſſint de filiali reverentia cum gratiarum actionibus merito condemnari . Quocirca diſcretioni tuae per Apoſtolica ſcripta mandamus ; quatenus ſi praedicti Poteſtas , & alii ; praeceptis noſtris non curaverint obedire , tu in eos nominatam ſententiam excommunicationis , & Civitatem eorum interdicti , ferre facias , ac denunciare publice per te , vel alios, eosdem ipſis ſubiacere ſententiis , in locis , in quibus expedire videris , non omittas . Non obſtante , ſi eis communiter ,

vel

vel diviſim, a Sede Apoſtolica ſit indultum quod excommunicari, ſeu quod eorum civitas Eccleſiaſtico interdicto ſupponi per litteras Sedis eiusdem nequeant, non facientes plenam, & expreſſam de indulto huiuſmodi mentionem, ſeu aliquo ſtatuto dictae Civitatis contrario iuramento, vel quacumque alia firmitate vallato, per quod mandati noſtri executio valeat impediri. Nos quoque bona mercatorum eorum, nihilominus faciemus ubicumque inveniri poterunt, detineri.

Datum Laterani XIX. Kal. Ianuar. Pontificatus noſtri anno primo.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Abbati, & Conventui Monaſterii Vallisumbroſae Feſulanae Dioeceſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ea quae iudicio, vel concordia terminantur, firma debent, & illibata perſiſtere, & ne in recidivae contentionis ſcrupulum relabantur, Apoſtolico convenit praeſidio communiri. Sane petitio veſtra nobis exhibita continebat, quod orta olim inter vos ex parte una, & Vener. fratrem noſtrum Epiſcopum Forolivienſem, & Albertum monachum, qui ſe gerit pro Abbate Monaſterii Sanctae Mariae de Flumana Forolivienſis Dioeceſis, ad monaſterium veſtrum ſpectantis, ſuper translatione ipſius monaſterii ſanctae Mariae facta per eosdem Epiſcopum, & Albertum, ac ſuper eo quod idem Epiſcopus in monachos ipſius monaſterii ſanctae Mariae excommunicationis ſententiam tulerat, nec non quibusdam aliis articulis ex altera materia quaeſtionis, felicis recordationis Innocentius PP. praedeceſſor noſter dilectum filium Roſtandum Capellanum noſtrum dedit partibus auditorem, coram quo Iacobo de Arretio veſtro, & Guidone Canonico Forolivienſis par-

tis alterius Procuratoribus comparentibus, ac lite ſuper praemiſſis legitime conteſtata, dictuſque Auditor hinc inde propoſitis diligenter auditis, necnon viſis inſtrumentis, & privilegiis utriuſque partis, & ſuper iis omnibus facta relatione fideli Praedeceſſori praefato, ac obtenta ab ipſo licentia de ſententia proferenda, dictam translationem pronunciavit ſententialiter minime valuiſſe, caſſans, & irritans eamdem, & quidquid ex ea ſequutum eſt, decrevit etiam non valere. Nihilominus praedictum Monaſterium Sanctae Mariae de Flumana ad ſtatum priſtinum, in quo erat ante praedictam translationem, reſtituendum fore decrevit. Sententias quoque excommunicationis latas per eumdem Epiſcopum in Monachos, & Converſos dicti Monaſterii Sanctae Mariae, occaſione ipſius translationis penitus relaxavit. A petitionibus vero quas dicti Epiſcopus, & Albertus, ſeu praedictus Guido Procurator eorum vobis, & eidem Iacobo nomine veſtro faciebat, vos, & dictum Procuratorem veſtrum, duxit ſententialiter abſolvendos, praedictis Epiſcopo, Alberto, & Guidoni Procuratori eorum perpetuum imponens ſilentium ſuper his ipſis, prout in inſtrumento publico ipſius Auditoris ſigillo ſignato, cuius tenorem de verbo ad verbum praeſentibus inſeri fecimus, plenius continetur. Nos igitur veſtris ſupplicationibus inclinati, ſententiam ipſam provide latam, ratam, & gratam habentes, ipſam auctoritate Apoſtolica confirmamus, & praeſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenor autem Inſtrumenti ipſius talis eſt.

In

In nomine Domini Amen. Cum inter Abbatem, & Conventum Monaſterii Vallisumbroſae, & Iacobum de Arretio Procuratorem ipſorum, pro eis ex una parte, & Venerabilem Petrum Epiſcopum Foroliviensem, & D. Albertum monachum, qui ſe gerit pro Abbate Monaſterii ſanctae Mariae de Flumana Forolivien. Dioecesis, & Guidonem Canonicum Foroliviensem Procuratorem ipſorum pro eis ex altera, ſuper translatione monaſterii ſanctae Mariae de Flumana praedictae, & quibusdam aliis articulis in libellis contentis orta fuiſſet materia quaeſtionis, felicis recordationis Innocentius Papa nos magiſtrum Roſlandum Capellanum ſuum dedit partibus auditorem, coram quo Iacobus de Arretio Procurator dicti Abbatis, & Conventus Vallisumbroſae contra praedictos Epiſcopum; & Dominum Albertum, & Guidonem Canonicum Foroliviensem Procuratorem eorumdem, libellos obtulit in hac forma: *Coram vobis Domino Roſtando Domini Papae Capellano partibus Auditore conceſſo, dicit, & proponit Iacobus de Arretio Procurator Abbatis, & Conventus Monaſterii de Valleumbroſa, contra Venerabilem Patrem Epiſcopum Foroliviensem, dicens, quod cum Monaſterium ſanctae Mariae de Flumana eiusdem ordinis ſitum ſit in Dioeceſi praedicti Epiſcopi, quod Monaſterium ad dictum Abbatem pertinebat immediate tamquam eiusdem ordinis illo capiti, & eſſet in poſſeſſione eiusdem, vel quaſi ipſe Epiſcopus una cum Domino Alberto monacho Vallisumbroſae Ordinis, qui gerebat ſe pro Abbate eiusdem ſanctae Mariae de Flumana, ipſo Abbate inrequiſito, eiusdem Vallisumbroſae dictum Monaſterium S. Mariae tranſtulit in Capella S. Antonii eiusdem Civitatis Forolivienſis, de facto, cum de iure non poſſet, & mo-*

monachos, & converſos, eiuſdem monaſterii ſanctae Mariae de dicto monaſterio expulit, & expelli fecit, & expelli procuravit, & etiam eos banniri fecit per Poteſtatem eiuſdem Civitatis, & expelli procuravit per potentiam laicalem, & eos, & Vicarium, quem Abbas poſuerat in dicto monaſterio, ſine rationabili cauſſa etiam excommunicatos denunciari fecit. Quae omnia fecit in grave damnum ipſius Abbatis, & Conventus Vallisumbroſae, & non modicam iniuriam, & periculum animae ſuae, & ſcandalum plurimorum. Vnde petit nomine ipſius Abbatis, praedictam translationem monaſterio ſanctae Mariae, quatenus proceſſit de facto, cum de iure non poſſet, caſſari, & irritari, caſſam, & irritam pronunciari, & nullius eſſe momenti, nec ullius valoris. Petit etiam, ut monachos eiuſdem monaſterii, & converſos in dicto monaſterio permanere in pace, & in quiete more ſolito permittat, & ut dictam ſententiam excommunicationis relaxent, vel eam caſſari, & irritari, & nullius eſſe momenti, & nec valoris pronunciari, & de dicto banno eos extrahi faciat. Petit etiam nomine eiuſdem Abbatis pro damnis, & iniuriis ſibi inlatis mille marchas argenti, de quibus omnibus petit per vos, Domine Iudex, auctoritate Apoſtolica legitime condemnari, & ad ſatisfactionem compelli. Item alium libellum dicit, & proponit Iacobus de Arretio Procurator Abbatis, & Conventus de Monaſterio Vallisumbroſae contra D. Albertum monachum eiuſdem Ordinis dicens, quod cum praedictus Dominus Albertus gereret ſe pro Abbate monaſterii S. Mariae de Flumana Forolivienſis, Dioeceſis Ordinis Vallis umbroſae, & ſubiecti eidem monaſterio, tamquam membrum ſuo capiti, dictus Dominus Albertus dictum monaſterium una cum Venerabili Patre Epiſcopo ipſius Civitatis in Capella S. Antonii

tonii Civitatis eiuſdem ſe tranſtulit, & dictum monaſterium cum conventu, & iuribus ſuis transferre procuravit, & de facto tranſtulit, cum de iure non poſſet, D. Abbate, & Conventu inconſultis, & eis ignorantibus, & invitis, & quasdam res mobiles eiusdem monaſterii de dicto monaſterio aſportavit, & aſportari fecit, & monitus ab eodem Abbate, ut obedientiam ſibi faceret, ut tenetur, cum ſit monachus eiusdem monaſterii, & eiusdem profeſſionis, hoc facere recuſavit. Propter quod a praedicto Abbate fuit legitime excommunicatus. Qua contempta ab eodem D. Alberto, divina officia celebravit, ſeu prophanavit. Vnde petit nomine eiuſdem, ut dicti translationem monaſterii, quatenus de facto proceſſit caſſetis, & irritetis, & caſſam, & irritam, & nullius eſſe momenti, nec valoris pronuncietis, & eum compellatis, ut res quas aſportavit, ſeu aſportari fecit de praedicto monaſterio de Flumana reſtituat, & ut ei obedientiam exhibeat, ut tenetur, & dictam ſententiam auctoritate Apoſtolica confirmari, & inviolabiliter obſervari, & eam de praedictis exceſſibus poena canonica puniri. E contra Guido Canonicus Forolivienſis Procurator dicti Epiſcopi, & Alberti contra praedictos Abbatem, & Conventum Vallisumbroſae, ac Iacobum Procuratorem ipſorum alios libellos obtulit in hac forma. Coram vobis Magiſtro Roſtando D. Papae Capellano partibus ſpecialiter auditore conceſſo dicit, & proponit Guido Canonicus Forolivien. Procurator Venerabilis Patris D. Richelini Forolivien. Epiſcopi contra Abbatem, & Conventum monaſterii Vallisumbroſae, & Iacobum de Arretio Procuratorem ipſorum, quod idem Epiſcopus, & Capitulum Forolivienſis Eccleſiae provide attendentes, quod quondam monaſterium ſanctae Mariae de Flumana in Forolivienſi Dioeceſi conſtitutum, & eidem Epiſcopo

ſub-

ſubiectum perſecutiones plurimas ſubſtinebat, & adeo premebatur incurſibus malignorum, & diverſis diſcriminibus, maxime propter virorum, & mulierum frequentiam ſubiacebat; quod Religio non ſervabatur ibidem, nec poterat commode obſervari, imo diſſolutio multa in eodem loco pervenerat, quae non poterat ſine ſcandalo tolerari. Communicato conſilio, & deliberatione praehabita, ac Abbatis, & Conventus praedicti loci de Flumana voluntate explorata, & conſenſu obtento, utile fore, ac neceſſarium providerunt, ut Collegium ipſius monaſterii de Flumana deberet ad alium locum tutiorem, & commodiorem transferri, & ſic praedictus Epiſcopus decrevit, & conſenſu ſui Capituli Forolivien. & Capitulum cum ipſo conſenſerunt, & licentiam expreſſam dederunt, ut ſe ac Collegium ſuum ſeu ipſius monaſterii ad civitatem Forolivii ad locum, qui dicitur Eccleſia ſancti Antonii, quae erat monaſterio de Flumana ſubiecta, transferrent, ut ſic facta translatione de cetero vocabulum D. Mariae Maioris illi loco imponeretur, & monaſterium nuncuparetur, ſicut nuncupabatur, S. Maria de Flumana, & in praedicto loco S. Antonii, & non apud Flumanam eſſe caput, & Conventus monachorum, & in eo Abbas, Monachi, & converſi, tamquam in capite morarentur, ac conventus, ſeu collegium monachorum ordinaretur, & perſeveraret in praedicto loco S. Antonii, ad vocabulum & honorem Divae Mariae Maioris, ſicut conſueverat ordinari, & perſeverare monaſterio antedicto. Verum cum per conceſſionem, & ordinationem praemiſſas, Abbas, & Fratres praenominati quondam Monaſterii de Flumana, ſe ad memoratam Eccleſiam S. Antonii, cui fuit impoſitum vocabulum ſanctae Mariae Maioris humiliter tranſtuliſſent, & per biennium, & amplius ſub obſervantia regulari perſeveraſſent ibidem, Abbas

Val-

Vallisumbroſae tranſlationem huiuſmodi impedire, & quietem Abbatis, & fratrum degentium in ipſo monaſterio S. Mariae maioris perturbare praeſumens ad dictum locum de Flumana pro monaſterio Vallisumbroſae, & Conventu ſuo, ut dicebat, nuper acceſſit, & in eodem loco, ad quem monaſterium ſanctae Mariae maioris revocare intendebat, tamquam in monaſterio D. Iacobum de Caviola pro Vicario, D. Nicolaum, & D. Rainerium pro Monachis, & Genarium pro converſo ordinare, & inſtituere, ac Capellanum & familiares ibidem pro Monaſterio S. Mariae maioris reſidentes ab eodem loco de Flumana deiicere, attentavit. Quos Vicarius, & Monachi, & Converſi monaſterii S. Mariae maioris frumento, vino, & oleo, & aliis rebus uſque ad valorem centum librarum Ravennat. temere ſpoliarunt. Praeſumpſit etiam idem Abbas, ut dicitur, in Abbatem S. Mariae maioris, excommunicationis, & privationis ab illo loco de Flumana, ſententias de facto, & contra iuſtitiam promulgare. Quae omnia attentata fuerunt in ipſius Epiſcopi, & dicti monaſterii iniuriam non modicam, & gravamen. Praefati quoque Abbas, & Conventus Vallisumbroſae dictum monaſterium ſanctae Mariae maioris ad praenominatum locum de Flumana revocare, & reducere molientes, ordinationi, & translationi praemiſſis contra iuſtitiam ſe opponunt, & ipſum Epiſcopum, & monaſterium S. Mariae maioris ſuper eis impediunt multipliciter, & moleſtant. Quare petit praedictus Procurator translationem, & ordinationem praedictas ſuper praemiſſis factas, iuſtas fuiſſe decerni, ac ratas haberi, auctoritate Apoſtolica approbari, & eoſdem Abbatem; & Conventum, ne eam impediant, vel perturbent, aut reducere illuc monaſterium S. Mariae maioris, ſeu caput ipſius monaſterii ad illum locum de Flu-

mana attentent, ſed permittant Abbatem, & conventum morari, & perſeverare apud monaſterium S. Mariae maioris iuxta ordinationem praedictam compelli, & ſententialiter condemnari, ac eis ſuper impedimento, & oppoſitione praemiſſis perpetuum ſilentium imponi, & ordinationem, ac inſtitutionem de praedictis monachis in loco de Flumana attentatas, & praemiſſas excommunicationis, & privationis ſententias per eumdem de facto latas non tenuiſſe, nec valuiſſe, & nullas fore decerni, & pronunciari, & eas, & quidquid attentatum exſtitit, occaſione ipſorum, quatenus de facto proceſſerunt, in irritum revocari, & quia facto dicti Abbatis ſuper iis attentatis damnificatum fuit dictum monaſterium in centum marchis argenti, petit ipſos in quantitate huiuſmodi condemnari, & haec omnia petit cum damnis, & expenſis legitimis, & quae, & quas aeſtimat mille libras Ravennat. & proteſtatur futuras expenſas, quas cum debuerit, declarabit. Proteſtatur etiam, quod non arctat ſe ad probandum omnia, & ſingula ſupradicta, ſed id, vel ea ſolummodo quae ſuae intentioni ſufficiant praemiſſis, ſalvo iure addendi, & minuendi, &c. Coram vobis magiſtro Roſtando D. Papae Capellano partibus ſpecialiter auditore conceſſo, dicit, & proponit Guido Canonicus Foroliuienſis Procurator D. Alberti Abbatis monaſterii S. Mariae maioris de Civitate Foroliuienſi contra Abbatem, & conventum monaſterii Vallisumbroſae, & Iacobum de Arretio Procuratorem ipſorum, quod Epiſcopus Foroliuienſis, & Capitulum Foroliuien. Eccleſiae attendentes, quod quondam monaſterium S. Mariae de Flumana in Foroliuienſi Dioeceſi conſtitutum, & eidem Epiſcopo ſubiectum, in quo exſiſtebat Abbas idem Albertus, perſequutiones plurimas ſubſtinebat, & adeo premebatur incurſibus malignorum, & diverſis diſcriminibus, maxime propter

vi-

virorum, & mulierum frequentiam ſubiacebat, quod religio non ſervabatur ibidem, nec poterat commode obſervari, imo diſſolutio multa in eodem loco pervenerat, quae non poterat ſine ſcandalo tolerari, communicato conſilio, & deliberatione praehabita, ac ipſius Alberti Abbatis, & conventus praedicti loci de Flumana voluntate explorata, & conſenſu obtento, utile fore ac neceſſarium providerunt, ut Collegium ipſius monaſterii de Flumana deberet ad alium locum tutiorem, & commodiorem transferri, & ſic praedictus Epiſcopus decrevit, & cum conſenſu Capituli Foroliv. & Capitulum cum ipſo ipſi Alberto Abbati, ac Fratribus eiusdem monaſterii conſenſerunt, & licentiam dederunt, ut ſe ad Collegium ſuum, ſeu ipſius monaſterii, ad civitatem Forolivienſem, ad locum qui dicitur Eccleſia S. Antonii, quae erat dicto monaſterio de Flumana ſubiecta, transferrent, vt ſic facta translatione de cetero vocabulum B. Mariae Maioris illi loco imponeretur, & monaſterium nuncuparetur, veluti nuncupabatur S. Maria de Flumana, & in praedicto loco S. Antonii, & non apud Flumanam eſſet caput & conventus monachorum, & in eo Abas, monachi, & converſi, tamquam in capite de cetero morarentur, ac conventus, ſeu collegium monachorum ordinaretur, & perſeveraret in praedicto loco S. Antonii ad vocabulum & honorem B. Mariae maioris, ſicut conſueverat ordinari, & perſeverari in monaſterio antedicto. Verum cum per conceſſionem, & ordinationem praemiſſas Abbas ipſe Albertus, & fratres praenominati quondam monaſterii de Flumana, ſe ad memoratam Eccleſiam S. Antonii, cui fuit impoſitum vocabulum S. Mariae maioris, humiliter tranſtuliſſent, & per biennium & amplius ſub obſervantia regulari perſeveraſſent, ibidem Abbas Vallisumbroſae translationem huiuſmodi impedire, & quietē ipſius Abbatis, & fratrum degentiū in ipſo monaſterio S. Mariae

 ma-

maioris perturbare praeſumens ad dictum locum de Flumana pro monaſterio Vallisumbroſae, & Conventu ſuo, ut dicebat, nuper acceſſit, & in eodem loco, ad quem monaſterium ſanctae Mariae maioris revocare intendebat tamquam in monaſterio D. Iacobum de Caviola pro Vicario, & D. Nicolaum, & D. Rainerium pro monachis, & Zenarium pro converſo ordinare, & inſtituere, ac Capellanum, & familiares ibidem pro monaſterio S. Mariae maioris, reſidentes ab eodem loco de Flumana deiicere attentavit; quos Vicarius, Monachi, & Converſi monaſterii S. Mariae maioris, frumento, vino, oleo, & rebus aliis uſque ad valorem centum librarum Ravennatium temere ſpoliarunt. Praeſumpſit etiam idem Abbas, ut dicitur, in ipſum Albertum, Abbatem S. Mariae maioris excommunicationis, & privationis ab illo loco de Flumana ſententias de facto, & contra iuſtitiam promulgare, quae omnia attentata fuerunt in ipſius Epiſcopi, & dicti monaſterii, iniuriam non modicam, & gravamen, Praefati quoque Abbas, & Conventus Vallisumbroſae dictum monaſterium S. Mariae maioris ad praenominatum locum de Flumana revocare, ac reducere molientes ordinationi, & translationi praemiſſis contra iuſtitiam ſe opponunt, & ipſum Epiſcopum, ac monaſterium ſanctae Mariae maioris ſuper eis impediunt multipliciter, & moleſtant. Quare petit praedictus Procurator translationem, & ordinationem, praedictas ſuper praemiſſis factas iuſtas fuiſſe decerni, ac ratas haberi, & auctoritate Apoſtolica approbari, & eumdem Abbatem, & Conventum ne eam impediant, vel perturbent, aut reducere illuc monaſterium ſanctae Mariae maioris, ſeu caput ipſius monaſterii ad illum locum de Flumana attentent, ſed permittant ipſum Albertum Abbatem, & conventum morari, & perſeverari apud monaſterium

rium S. Mariae maioris iuxta ordinationem praedictam compelli, & ſententialiter condemnari, ac eis ſuper impedimento, & oppoſitione praemiſſis perpetuum ſilentium imponi, & ordinationem, ac inſtitutionem de praedictis monachis in loco de Flumana attentatas, & praemiſſas excommunicationis, & privationis ſententias per eumdem Abbatem de facto, & ſine cauſa rationabili in dictum Albertum Abbatem prolatas non tenuiſſe, nec valuiſſe, & nullas fore decerni, & pronunciari, & proceſſum ſuper iis habitum, & quidquid occaſione ipſarum attentatum exſtitit, quatenus de facto proceſſerunt, irritum revocari, dictoſque Capellanum, & familiares, qui in praedicto loco pro monaſterio S. Mariae maioris erant, & reſidebant ad ipſum locum de Flumana cum integritate ablatorum reſtitui, & cum eius facto, & proceſſu D. Abbatis ſuper iis attentatis damnificatum fuerit dictum monaſterium in centum marchis argenti, petit ipſos in quantitate huiuſmodi condemnari, & haec omnia petit cum damnis, & expenſis legitimis a lite quoque ſuper praedictis libellis legitime conteſtata, multiſque poſitionibus hinc inde factis, ac reſponſionibus ad eaſdem, productiſque inſtrumentis utriuſque partis, ac privilegiis coram nobis, dicebat Procurator Vallisumbroſae ſententiam pro ſe fore ferendam, nam in iudicio oſtendebat quod Epiſcopus Forolivienſis una cum conſenſu, & voluntate Capituli ſui, & Conſules, & commune eiusdem Civitatis dictum monaſterium de Flumana dederant, & conceſſerant Abbati, & conventui Vallisumbroſae, prout in inſtrumento exinde confecto plenius continetur, & quod dictum monaſterium de Flumana erat eiuſdem ordinis Vallisumbroſae, quod Procurator dicti Epiſcopi, & Alberti confitebatur. Dicebatur etiam ex parte eiusdem monaſterii, quod cum contentio fuiſſet ſuper

ipſo monaſterio inter Abbatem, & Conventum ex parte una, & Epiſcopum Forolivienſem ex altera, D. Honorius Papa dictum monaſterium de Flumana Abbati, & Conventui Vallisumbroſae adiudicaverat, ſalvis quibusdam iuribus Epiſcopalibus, quae eidem Epiſcopo reſervavit, ut in ſententia eiusdem Honorii plenius continetur, ſuper quibus litterae Apoſtolicae eiuſdem Honorii oſtendebantur. Dicebatur inſuper eidem Abbati, & conventui Vallisumbroſae eſſe indultum a Sede Apoſtolica, ut monaſteria ſui ordinis, ipſis inſciis, invitis, & irrequiſitis, de uno loco ad alterum transferri non poſſent, nec deberent, ad quod per bandum privilegia ſummorum Pontificum producebantur. Vnde cum ſuper omnibus, & ſingulis felicis recordationis Innocentio Papae diligenter relationem feciſſemus, quia tamen Procurator dicti Epiſcopi, & Alberti, dictam translationem eſſe factam de conſenſu & voluntate praedictorum Abbatis, & conventus Vallisumbroſae, ſe obtulit probaturum, articulos ſuper hoc factos eumdem Procuratorem admiſimus ad probandum. Poſtmodum idem D. Papa S. Hippolyti, & S. Mariae foris portam, Abbatibus, & Praepoſito Faventinis, dedit ſuis litteris in mandatis, ut ſuper articulis ſub noſtro ſigillo incluſis teſtes reciperent, & diligenter examinare curarent, & infra certum temporis ſpatium atteſtationes ad curiam remittere procurarent. Cumque dictus Epiſcopus & Albertus monachus, ſeu Guido Procurator eorum, vel alius pro eis, nec atteſtationes reportaſſet, nec coram nobis poſt lapſum terminum per ſe vel alterum comparuiſſet, praemiſſis citationibus, prout moris eſt in audientia, ut in audientia, ut ſi quis pro eisdem Epiſcopo, & Alberto eſſet, coram nobis comparere deberet; Presbyter Albertus Procurator praedictorum Epiſcopi, & Alberti comparuit, qui a nobis interroga-

rogatus ſi ſuper praedictis articulis aliquas probationes habebat, reſpondit quod nequaquam; unde praelibato Iacobo de Arretio Procuratore dictorum Abbatis, & Conventus Vallisumbroſae, cum inſtantia ſententiam poſtulante per ea, quae vidimus, & cognovimus obtenta tamen a Domino Papa pronuntiandi licentia, dictam translationem non valuiſſe ſententialiter pronuntiamus, caſſantes, & irritantes eamdem, & quidquid ex ea ſequutum eſt, decernimus non valere. Nihilominus praedictum monaſterium ſanctae Mariae de Flumana ad ſtatum priſtinum in quo erat ante praedictam tsanslationem decernimus fore reſtituendum. Sententias quoque excommunicationis latas per eumdem Epiſcopum in monachos, & converſos, occaſione translationis ipſius, penitus relaxamus. A petitionibus vero, quas faciebant dictus Epiſcopus, & Albertus, ſeu Guido Procurator ipſorum eorum nomine, Abbati, & conventui Vallisumbroſae, ac Iacobo ipſorum Procuratori eorum nomine, eosdam Abbatem, & conventum, ac ipſum Procuratorem eorum nomine, ſententialiter duximus abſolvendos, eisdemque Epiſcopo, & Alberto, ac Guidoni Procuratori eorum ipſorum nomine, ſuper ipſis perpetuum ſilentium imponentes. Lata eſt haec ſententia Neapoli in Palatio quondam Iudicis Petri de Vineis Anno Domini MCCLV. Indictione XIII. Pontificatus Domini Alexandri PP. IIII. anno primo, menſe Martii, die XIX. Praeſentibus magiſtro Bernardo Hiſpano Domini Papae Capellano, magiſtro Angelo Romano, magiſtro Fernando Advocatis in Romana Curia, Domino Oddone Vicecomite Capellano, Venerab. P. D. O. ſanctae Mariae in Via Lata Diacono Cardinali, magiſtro Elia, & Berardo de Mevania notario, magiſtro Bartholomaeo de Cerſin.

& Formoſo ſerviente praedicti magiſtri Angeli, & pluribus aliis ibidem praeſentibus. Ad maiorem autem fidem huic ſententiae in poſterum adhibendam ipſam cum noſtri ſigilli appenſione munitam per Leonardum infraſcriptum Notarium redigi fecimus in publica documenta. Ego Leonardus Imperiali auctoritate Notarius prolationi praedictae ſententiae interfui, & ipſam de mandato, & auctoritate praedicti Magiſtri Roſtandi ſcripſi, & publicavi. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praeſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli, Apoſtolorum eius, ſe noverit incurſurum.

Datum Neapoli V. Idus Aprilis, Pontificatus noſtri anno X.

Iuvat etiam exemplum Privilegii felicis recordationis Paſchalis II. Vallumbroſano ordini conceſſi, & ab Alexandro IV. confirmati, in medium afferre, quod quidem Privilegium Reverendiſsimus D. Abbas *Fulgentius Nardius* ſaepe a nobis laudatus ſumma diligentia eruit ex Archivo Abbatiae Sancti Salvatoris de Vaiano, & Tomo VII. ſuorum monumentorum tranſcripſit *pag.* 2828. atque ita habet.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Abbati, & conventui monaſterii Vallisumbroſae ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Privilegium feli-

felicis recordationis Paſchalis Papae praedeceſſoris noſtri monaſterio veſtro conceſſum de cuius conſumptione propter vetuſtatem nimiam timebatur de verbo ad verbum nihil addito vel diminuto, quod mutare poſſit ſubſtantiae veritatem, veſtris precibus inclinati transſcribi fecimus, & transſcriptum Bullae noſtrae appenſione muniri, cuius tenor talis eſt: Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Ademaro Abbati, ceteriſque Vallumbroſanae Congregationis Fratribus tam praeſentibus, quam futuris in perpetuum. Deſiderium quod ad religioſum propoſitum, & animarum ſalutem pertinere monſtratur, auctore Domino, ſine aliqua eſt dilatione complendum. Quia igitur propoſitum veſtrum, divina praeveniente, ac ſubſequente clementia, religionis veſtrae ſimplicitas, bonae opinionis odor, & longe poſitis adſpiravit, nos veſtro provectui, annuente Domino, provectus adiungere cupientes, coenobium veſtrum, quod pro beatae Mariae ſemper Virginis reverentia, cui dicatum eſt, in Romanae Eccleſiae proprietatem, ac tutelam, atque protectionem Apoſtolicae Sedis accipimus, & Apoſtolicae illud auctoritatis privilegio munientes, ab omnium perſonarum iugo liberum permanere decernimus. Per praeſentem igitur Privilegii noſtri paginam Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, ut quaecumque hodie veſtrum coenobium iure poſſidet, ſive in craſtinum conceſſione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium, iuſte atque canonice poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. Illis ſucceſſoribus dico, qui idem religionis praeceptum & fidei conſtantiam conſervare, & ſtrenue omnipotenti Deo propoſito deſervire ſategerint. Chriſma, Oleum ſanctum, conſecrationes alta-

alicui perſonae facultas ſit aliqua veſtrae Congregationis monaſterium a loci ſui ſtabilitate revellere ac removere ſine Abbatis, ac Congregationis conſenſu. Conſtituimus autem, ut eorum omnium caput, quod in Valleumbroſa ſitum eſt, monaſterium habeatur. Sane cum terminus vitae Paſtori veſtro divina diſpoſitione contigerit, qui eius loco ſubſtituendus fuerit, quia & vobis, & aliis omnibus praeeſſe debebit, omnium, qui ceteris praeſunt monaſteriis, conſenſu, & iudicio eligatur. Quod ſi forte ex ipſis Abbatibus quilibet, Domino diſponente, ad hoc generale regimen electus fuerit, ad veſtrum principale coenobium principaliter tranſeat, & eius mox iudicio, ſicut in diebus venerandae memoriae Ioannis primi Abbatis veſtri factum conſtat, cetera alia unita vobis monaſteria diſponantur. Ad indicium autem perceptae huius Romanae Eccleſiae libertatis per annos ſingulos duodecim ſagi Cilicini brachia Laterano Palatio perſolvetis. Siquis igitur in craſtinum Archiepiſcopus aut Epiſcopus, Imperator aut Rex, Princeps aut Dux, Comes, Vicecomes, Iudex, Caſtaldus, aut Eccleſiaſtica quaelibet, ſecularisſve perſona, hanc noſtrae conſtitutionis paginam ſenſerit, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reumque ſe divino iudicio exſiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei, & Domini noſtri Redemptoris Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictae ultioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco iura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud diſtrictum Iudicem praemia aeter-

nae

nae pacis inveniant. Amen. Amen. Scriptum per manum Gervaſii Scrinarii regionarii & Notarii ſacri Palatii.

Ego Paſchalis Catholicae Eccleſiae Epiſcopus ſubſcripſi.

Datum Laterani per manum Iohannis Sanctae Romanae Eccleſiae Diac. Cardinalis, & Bibliothecarii VI. Idus Februarii, Indict. VIII. Incarnationis Dominicae anno MCXV. Pontificatus autem Domini Paſchalis ſecundi Papae anno XVI.

Volumus autem per tranſumptum huiuſmodi, libertates, & iura integra conſervari more ſicut hactenus per autenticum ſunt ſervata.

Dat. Anagniae XIII. Kal. Septembris Pontificatus noſtri anno primo.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Ne Legati, ſeu Nuntii, quos plerumque Sedes Apoſtolica mittit, Eccleſias indebitis exactionibus de facili admodo aggravare attentent, de fratrum noſtrorum conſilio duximus ſtatuendum, ut cum iidem a Praelatis, vel aliis perſonis Eccleſiaſticis aliquid poſtulaverint, eis, quando videlicet ipſi Legati, vel Nuntii praeſentes fuerint, ſeu vicini litteras Apoſtolicas continentes perſonarum numerum cum quo recipi debeant, quando autem praeſentes, vel vicini non fuerint illarum tranſcriptum ſigillo authentico conſignatum oſtendere teneantur. Alioquin iidem Praelati, vel perſonae, non teneantur illis in aliquo reſpondere. Univerſos tamen Praelatos, & perſonas eccleſiaſticas monemus, & hortamur attente, ut eisdem legatis, ſive nuntiis, in ſuis neceſſitatibus victualia pro perſonarum

&

& equorum numero in litteris Apoſtolicis comprehenſo iuxta tempus, in quo ipſos morari contigerit, competenter ſtudeant miniſtrare. Si vero alia, quae ex litterarum beneficio exigere forſan poterunt, ut puta equos, vel veſtes, aut pecuniam procurationibus, vel alia cauſa, ſeu neceſſitate ab eisdem Praelatis, aut perſonis, ſive ad eos declinaverint, ſive non duxerint exigenda, illa exigentibus exhibere minime teneantur, niſi eis litteras ſuas patentes conceſſerint exigere, quae expreſſe contineant quid, quantum, & quando receperint ab eisdem, quae quidem litterae locorum ordinariis adſignentur. Quod ſi Legatos, vel Nuntios in his conſtiterit exceſſiſſe, hoc Romano Pontifici nunciare procurent, ut poena condigna puniant excedentes. Quando autem abſentes per Procuratorem, aut Nuntium praemiſſa petierint ii a quibus illa petent litteras eorum ſuper hoc directas, vel earum tranſcriptum authentico ſigillo ſignatum, ſi forte pluribus dirigantur, retineant in rerum teſtimonio petitarum, & ſub aliquorum teſtimonio illi Procuratori, aut Nuncio petita, illa videlicet quae ex forma earumdem litterarum Apoſtolicarum exhibere tenebuntur, exhibeant, ut ſic de exhibitione huiuſmodi poſtmodum haberi valeat certitudo. Ceterum inhibemus, ne ab aliis, quam ab illis per quorum Dioeceſes tranſierint, procurationes, vel alia recipiant, niſi eos ex cauſſa neceſſaria trahere moram alicubi contingeret, vel aliqua Dioeceſis forſitan ſecundum tempus morae factae inibi nimis in procurationibus gravaretur. Quod ſi contra huiuſmodi noſtram conſtitutionem aut inhibitionem facere praeſumpſerint, ſententia, ſiqua occaſione huiuſmodi a praeſumptoribus ipſis lata fuerit, non teneat, neque liget. Porro quantum ad Legatos, quibus in aliqua provincia plene legationis officium non committitur, ſervanda intelligimus,

mus, quae ſuperius ſunt expreſſa. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae conſtitutionis, & inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare praeſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe noverit incurſurum.

Datum Laterani tertio Kalendas Maii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Abbati, ceteriſque Vallisumbroſae Congregationis fratribus, tam praeſentibus quam futuris religioſam vitam profeſſis in perpetuum.

Deſiderium quod ad religioſum propoſitum, & animarum ſalutem pertinere monſtratur, authore Deo, ſine aliqua eſt dilatione complendum. Quia igitur propoſitum veſtrum divina praeveniente ac ſubſequente clementia, religionis veſtrae ſimplicitas, bonae opinionis odor & prope, & longe poſitis adſpiravit; Nos veſtro provectui, annuente Domino, provectus adiungere cupientes, Coenobium veſtrum pro D. Mariae ſemper Virginis reverentia, cui dicatum eſt, ad inſtar fel. recordat. Paſchalis Papae Praedeceſſoris noſtri in Romanae Eccleſiae proprietatem, & tutelam, atque protectionem, Apoſtolicae Sedis ſuſcipimus, & Apoſtolicae illud auctoritatis privilegio munientes, ab omnium perſonarum iugo liberum permanere decernimus. Per praeſentem igitur privilegii noſtri paginam Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, ut quaecumque hodie veſtrum coenobium iure poſſidet, ſive in craſtinum conceſſione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium iure, ac canonice poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant, illis ſucceſ-

ſori-

ſoribus dicimus, qui eiusdem religionis ritum, & fidei conſtantiam conſervare, & ſtrenue omnipotenti Domino in eodem propoſito deſervire ſategerint. Chriſma vero, Oleum ſanctum, conſecrationes altarium, ſeu Baſilicarum, ordines clericorum, qui ad ordines fuerint promovendi, liceat vobis a quocumque volueritis Catholico Epiſcopo, & Romanae Eccleſiae gratiam, atque communionem obtinente, percipere, qui noſtra functus auctoritate, quae poſtulantur, indulgeat. Ad haec cenſemus, atque ſtatuimus, ne ulli omnino hominum liceat idem coenobium temere perturbare, aut ei ſubditas poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnino integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione, ac ſubſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva Sedis Apoſtolicae auctoritate. Nec ulli Epiſcopo poteſtas ſit excommunicationem, vel interdictionem vobis ingerere, ut qui in ſpeciales eſtis filios Sedis Apoſtolicae aſſumpti, nullius alterius iudicio temere exponamini. Quia vero plura veſtra monaſteria, inſpirante Domino, in eamdem vobiſcum formam religionis conſenſerunt, videlicet monaſterium ſancti Salvii iuxta Florentiam, ſancti Fidelis de Strumis, ſancti Salvatoris de Soffena, ſanctae Mariae de Nerana, ſancti Caſſiani de monte Scalario, ſancti Angeli de Paſſiniano, ſancti Salvatoris de Ficiclo, ſancti Angeli Piſtorienſis, ſancti Salvatoris de Vaiano, ſancti Salvatoris de Fontana Thaonis, S. Mariae de Griniano, ſancti Petri de Muſceto, ſancti Pauli de Razuolo, ſanctae Reparatae de Faventina Dioeceſi, & Congregatio de Rivis Caeſaris, & Congregatio de Monte armato, ſancti Pauli de Piſis, ſancti Bartholomaei de Cappiano, ſanctae Trinitatis de Florentia, ſancti Laurentii de Cultubono, ſancti Marci de Placentia, S. Baſilidis

de

*de Parmen. Dioec. de monte plano, ſancti Gennaſii de Dioeceſi Brixienſi; Nos & ipſis, & omnibus, qui ſe in craſtinum eidem Religionis uſui ex integro ſociare voluerint praeſentis privilegii libertatem Apoſtolica auctoritate concedimus, quamdiu in eadem Religionis, & conſuetudinis unitate perſiſtere procuraverint; nec alicui perſonae facultas ſit aliquod veſtrae congregationis monaſterium a loci ſui ſtabilitate revellere, ac removere, ſine Abbatis, & congregationis communi conſenſu. Conſtituimus autem, ut eorum omnium caput veſtrum, quod in Valleumbroſa factum eſt monaſterium habeatur. Sane cum terminus vitae Paſtori veſtro divina diſpoſitione contigerit, qui eius loco ſubſtituendus fuerit, quia vobis, & aliis omnibus praeeſſe debebit, omnium, qui ceteris praeſunt monaſteriis, conſenſu, & iudicio eligatur, quod ſi forte ex ipſis Abbatibus quilibet, Domino diſponente, ad hoc generale regimen electus fuerit, ad veſtrum principale coenobium principaliter tranſeat, & eius mox iudicio ſicut in diebus Ven. mem. Ioannis primi Abbatis veſtri factum conſtat, cetera omnia unita vobis monaſteria diſponantur. Ad indicium autem perceptae huius a Romana Eccleſia * earum quaelibet ſeculariſve perſona hanc noſtrae Conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui careat dignitate, reamque ſe divino iudicio exſiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo Corpore, ac Sanguine Dei, & Domini Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictae ſubiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco ſua iura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hinc fructum bonae actionis percipiant, & apud diſtrictum Iudicem prae-*

praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

In fine vero dicti privilegii erat circulus quidam cum Cruce ſurſum ducta, in cuius circumſtantiis erant hae litterae, quae ſic legi videbantur. *S. Petrus. S. Paulus. Alexander Papa Quartus.* Erant etiam hae ſubſcriptiones.

Ego Alexander Catholicae Eccleſiae Epiſcopus S.
Ego Oddo Tuſculanus Epiſcopus S.
Ego Stephanus Praeneſtinus Epiſcopus S.
Ego Frater Ioannes tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis S.
Ego Riccardus S. Angeli Diaconus Cardinalis S.
Ego Octavianus S. Mariae in Via lata Diaconus Cardinalis S.
Ego Petrus S. Georgii Diaconus Cardinalis S.
Datum Laterani per manum Rolandi S. R. E. Vicecancellarii, V. Kalen. Februarii, Indictione XV. Incarnationis anno MCCLVI. Pontificatus vero Domini Alexandri PP. IV. anno tertio.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilecto filio Theſauro Abbati Monaſterii Vallisumbroſae ad Romanam Eccleſiam nullo modo pertinentis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Deſideriis tuis in iis effectu benevolo libere adnuimus, per quae ſtatus tui tranquillitas procuratur. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod ſaepe contingit, quod Abbates, & conventus, ac etiam monachi, & converſi tui Ordinis, cum ad correctionem exceſſuum ipſorum procedis, prout ad tuum officium noſcitur pertinere, ut

regularem effugiant diſciplinam, ad Sedem Apoſtolicam fruſtatoriae adpellationis obſtaculum interponunt, & interdum eorum aliqui te ſuper hoc conveniunt coram Iudicibus a Sede delegatis eadem, in tui diſpendium non modicum, ac gravamen, ſuper quo petiſtis per Sedis ipſius providentiam ſalubre remedium adhiberi. Nos itaque tuis ſupplicationibus inclinati, auctoritate tibi praeſentium indulgemus, ut ab Abbatibus, conventibus, monachis, & converſis praedictis extra Romanam curiam per litteras Sedis ipſius nequeas conveniri quae de Indulto huiuſmodi non fecerint mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praeſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ſe noverit incurſurum.

Datum Laterani VI. Kalend. Februarii, Pontificatus noſtri anno tertio.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Abbati, & Conventui Vallisumbroſae ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum a vobis petitur quod iuſtum eſt, & honeſtum, tam vigor aequitudinis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem, & officium noſtrum ad debitum perducatur effectum. Sane petitio veſtra nobis exhibita continebat, quod dilecti filii Abbas, & Conventus monaſterii ſanctae Mariae de Maſia tunc ordinis ſancti Benedicti Vulterranae Dioeceſis, ſe ad idem monaſterium vobis, & veſtro monaſterio dederunt, & etiam ſubiecerunt, prout in in-

ſtrumentis publicis inde confectis plenius dicitur contineri. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ſuper hoc ab Abbate, & Conventu praedictis proinde factum eſt ratum, & firmum habentes, ac ſupplentes defectum ſiquod in hoc fuit de plenitudine poteſtatis, Dioeceſani iure ſalvo, id authoritate Apoſtolica confirmamus, & praeſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtrae confirmationis, & ſuppletionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare praeſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

Datum Laterani Kalendis Martii, Pontificatus noſtri anno tertio.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilecto filio Abbati Monaſterii Vallisumbroſae ad Romanam eccleſiam nullo medio pertinentis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ad audientiam noſtram, te ſignificante, pervenit, quod in ordine tuo ex antiqua conſuetudine, & inſtitutis ipſius Ordinis eſt oſtenſum, ut monachi, & converſi eiusdem Ordinis, qui monaſteria dicti Ordinis exeunt animi levitate, vel alias, clauſtra ſua ſine Praelatorum ſuorum licentia derelinquunt, ſeu ſaepius ad invicem leviter manus iniiciunt violentas, ad monaſterium Vallisumbroſae accedunt, ut ibidem ab Abbate ipſius monaſterii ſuper iis abſolutionis beneficium aſſequantur. Vnde nos dilectis filiis univerſis & ſingulis Abbatibus dicti ordinis per noſtras litteras duximus diſtinctius inhibendum, ne aliquem monachum, vel converſum contra conſuetudinem, & Inſtituta praedicta in ſuis monaſteriis

riis recipere, ſeu retinere praeſumant. Quocirca diſcretioni tuae per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper hoc officii tui debitum exequaris.

Datum Laterani II. Kalend. Martii, Pontificatus noſtri anno tertio.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Abbati, & conventui Vallisumbroſae ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ea quae iudicio, vel concordia terminantur, firma debent, & illibata perſiſtere, & ne in reciduae contentionis ſcrupulum relabantur, Apoſtolico convenit praeſidio conveniri. In cauſa ſiquidem, quae inter vos ex parte una, & dilectum filium fratrem Iacobum Abbatem monaſterii ſancti Mercurialis Foriliavienſis ordinis veſtri ſuper ſubiectione ipſius monaſterii vobis debita, & quibusdam proceſſibus per te, fili Abbas, contra eumdem fratrem Iacobum habitis ex altera orta exſtitit; dilectum filium noſtrum Octavianum ſanctae Mariae in Via lata Diaconum Cardinalem dedimus partibus auditorem. Cumque poſtmodum Procuratores veſtri nomine veſtro, & idem frater Iacobus, ſuper praemiſſis ordinationi praedicti Cardinalis, ſe ſponte, & concorditer duxerint ſupponendos, poteſtate iudiciaria ſibi nihilominus reſervata, demum idem Cardinalis a nobis ordinandi, diſponendi, & ſtatuendi quidquid in praedictis ſibi viſum eſſet, obtenta licentia, & mandato, tam auctoritate ſibi commiſſa, quam arbitraria, & iudiciaria poteſtate, dictis quoque fratre Iacobo, & Procuratoribus praeſentibus certam ordinationem ſtatuendo edidit inter partes, prout in patentibus litteris confectis exinde, ac ſuo ſigillo ſignatis, plenius continetur. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, ordinatio-

tio-

tionem ipſam proinde factam, ratam, & firmam habentes, eam auctoritate Apoſtolica confirmamus, & praeſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenorem autem litterarum ipſarum de verbo ad verbum praeſentibus fecimus adnotari, qui talis eſt.

In Dei nomine Amen. Orta iamdudum materia quaeſtionis inter viros religioſos Abbatem, & conventum Vallisumbroſae ex una parte; & fratrem Iacobum Abbatem monaſterii S. Mercurialis Forolivienſis ex altera, ſuper qua quaeſtione Dominus Papa nos Octavianum ſanctae Mariae in via lata Diaconum Cardinalem dedit partibus auditorem. Abbate, & Conventu praedictis Vallisumbroſae per Procuratores legitimos ordinatos ſcilicet per fratrem Ioannem converſum eiusdem Ordinis, & Iacobum de Arretio, & Domino Iacobo Abbate perſonaliter comparentibus in noſtra praeſentia ex parte Procuratoris praedictorum Abbatis, & conventus; propoſitum fuit, quod D. Abbas Vallisumbroſae accedens ad praedictum monaſterium ſancti Mercurialis eiusdem Ordinis, & profeſſionis, volens dictum monaſterium tamquam membrum ſuum, & ſibi ſubiectum viſitare, corrigere, & reformare, viſitando, & inquirendo de ſtatu eiusdem Abbatis, invenit eum multis criminibus irretitum, propter quod ſententialiter eum amovit ab adminiſtratione dictae Abbatiae, & a conventu dicti monaſterii; poſtmodum ſibi, ſuper hoc plenaria poteſtate conceſſa, fratrem Alexandrum monachum eiusdem Ordinis praefecit eidem monaſterio in Abbatem. Propter quod dictus frater Iacobus contra D. Abbatem irreverenter ſe gerens, per ſe, ſuoſque, damna, & iniurias eidem Abbati intulit, & inferri fecit, quum omnia nollet ſubſtinuiſſe pro ducentis marcis argenti, de quibus petebat

eum condemnari, vel alia canonica poena puniri. Ex parte verò dicti Iacobi dicebatur, proceſſum dicti Abbatis Vallisumbroſae nullatenus valuiſſe, cum poſt appellationem legitimam ad Legatum Apoſtolicae Sedis ex parte dicti Iacobi factam praedictus Abbas Vallisumbroſae contra eum proceſſiſſet, & a praedictis proceſſibus ex parte dicti Iacobi foret ad praedictum Legatum legitime appellatum, qui Legatus in negocio procedens, proceſſum Abbatis Vallisumbroſae caſſavit, & nullius eſſe momenti pronunciavit, partibus in noſtra praeſentia conſtitutis, ante ingreſſum litis dicti procuratores habentes mandatum ad componendum a praedictis Abbate, & conventu Vallisumbroſae, & promittentes, & caventes de ratihabitione ſub certa poena, prout in compromiſſo plenius continetur, & D. frater Iacobus noſtrae ordinationi ſe ſuppoſuerunt, compromittentes in nos, tamquam in arbitrum ad arbitratorem, & amicabilem compoſitorem, retenta nihilominus iudiciaria poteſtate ſuper omnibus quaeſtionibus, & contentionibus, quas inter ſe habent, vel habere poſſent ex praedictis omnibus. Nos autem obtenta licentia, & ſpeciali mandato a Domino Papa ordinandi, diſponendi, abſolvendi, relaxandi, reſtituendi, diſpenſandi, & ſtatuendi quidquid in praedictis, vel circa praedicta nobis viſum eſſet; viſis, & intellectis, quae partes coram nobis dicere voluerunt, taliter dicimus, ordinamus, atque ſtatuimus, tam auctoritate nobis a D. Papa commiſſa, quam ordinaria & iudiciaria poteſtate, in primis caſſamus, & irritamus, & nullius eſſe momenti pronunciamus omnes proceſſus habitos, & electiones factas contra d. fratrem Iacobum, necnon & ſententias latas per praedictum Abbatem Vallisumbroſae,
ſeu

ſeu per aliquem eius auctoritate, vel mandato, & dictum Iacobum Abbatem S. Mercurialis Forolivien. ad ipſum monaſterium plenarie reſtituimus, & in eum ſtatum reducimus, in quo erat ante dictam viſitationem, & motam litem. Caſſamus etiam & irritamus omnes proceſſus habitos per praedictum Legatum contra Abbatem Vallisumbroſae, & nullius eſſe momenti pronunciamus. Relaxamus etiam omnes ſententias interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis, & privationis a praedicto Abbate Vallisumbroſae contra praedictum Iacobum Abbatem, ſeu in dictum Abbatem Vallisumbroſae a quocumque cuiuſcumque auctoritate latas; diſpenſantes nihilominus ſuper irregularitatibus, ſiquas praedicti contraxerint, vel ſi quae intervenerint occaſione praedicta. Omnes inſuper litteras, indulgentias, privilegia, & confirmationes ab utraque parte contra alteram poſt motam dictam controverſionem ab Apoſtolica Sede obtentas, & proceſſus habitos per easdem iuribus carere decernimus, & pronunciamus; & ordinamus praedictum fratrem Iacobum Abbatem ſuper exceſſibus ab hinc retro commiſſis a ſe, vel ſuis non eſſe a praedicto Abbate Vallisumbroſae ulterius inquietandum, corrigendum, vel moleſtandum occaſione praedicta praecipimus. Nihilominus condemnamus D. Abbatem fratrem Iacobum eidem Abbati Vallisumbroſae in ducentis libris Senenſium pro damnis & expenſis, & ut iuret ſtare mandatis eius tamquam domini ſui, & ſibi ſubiectus ſuper omnibus iniuriis hactenus eidem Abbati illatis, ita tamen, quod dictus Abbas Vallisumbroſae occaſione dicti iuramenti ſine noſtra licentia expreſſa aliquid praecipere ei non poſſit, nec debeat. Dicimus, & praecipimus, & ordinamus de ipſius Domini ſpeciali

mandato, quod monaſterium S. Mercurialis monaſterio Vallisumbroſae tamquam membrum ſuum, & eiusdem ordinis, & profeſſionis ſit omnino ſubiectum; ſicut quod Abbas Vallisumbroſae, & ſucceſſores eius in memorato monaſterio S. Mercurialis viſitationem, correctionem, reformationem, inſtitutionem, & deſtitutionem obtineat, ſicut in ſuis membris ſibi ſubiectis noſcitur obtinere; & quod dictus frater Iacobus Abbas, & quilibet ſucceſſor ipſius obediat, & intendat Abbati Vallisumbroſae, qui nunc eſt, & qui pro tempore fuerit tamquam ſuo Domino, & ſicut membrum debet ſuo capiti obedire; atque admittat ipſe, & ſucceſſores eius praedictum Abbatem Abbatem Vallisumbroſae, & ſucceſſores ipſius ad viſitandum, corrigendum, & reformandum dictum monaſterium tamquam membrum eiusdem monaſterii Vallisumbroſae, & tamquam membrum ſibi ſubiectum, & ſibi tamquam ſuo capiti obediat, & intendat. Reſervamus propterea nobis poteſtatem, ut ſi qua ſuper praemiſſis quaeſtio inter eos, vel aliqua pro tempore dubia orirentur, nos de iis ordinare, diſponere, arbitrari, & ſtatuere poſſimus quod nobis videtur expedire. In cuius rei memoriam, ſtabilitatem, ac firmitatem praemiſſa omnia publicari mandavimus per Notarium infraſcriptum, & ſigilli etiam noſtri munimine roborari. Actum Viterbii in Camera noſtra ſub anno Domini MCCLVII. Pontificatus D. Alexandri Papae IV. anno III. die Martii VII. Kalen. Auguſti XV. Indictione, praeſentibus Vener. Patre fratre A. Epiſcopo Numanat. & fratre Gregorio de Ordine Praedicatorum Capellanis noſtris, Viro nobili Bernardino de Forolivio, fratre Thoma, & Bernardino Notario de Placentia familiaribus

ribus noſtris, ad haec vocatis, ac Notario infraſcripto,

Ego Ioannes de Campulo Apoſtolicae Sedis auctoritate Notarius praedictis omnibus interfui, & ea de mandato dicti Domini Cardinalis in publicam formam redegi.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare praeſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe noverit incurſurum.

Datum Viterbii IV. Idus Octobris, Pontificatus noſtri anno tertio.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Praepoſitis, Plebanis, & aliis Eccleſiarum Praelatis per Lombardiam, & Tuſciam conſtitutis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Non abſque dolore cordis, & plurima turbatione didicimus, quod ita in pleriſque partibus Eccleſiaſtica cenſura diſſolvitur, & canonicae ſententiae ſeveritas enervatur, ut viri religioſi, & ii maxime, qui per Sedis Apoſtolicae privilegia maiori ornati ſunt libertate, paſſim a malefactoribus ſuis iniurias ſubſtineant, & rapinas; dum vix invenitur, qui congrua illis protectione ſubveniat, & pro ferenda pauperum innocentia ſe murum defenſionis opponat. Specialiter autem dilecti filii Abbas, & fratres Vallumbroſanae Congregationis, tam de frequentibus iniuriis, quam de quotidiano defectu iuſtitiae conquerentes, univerſitatem veſtram litteris pe-

tie-

tierunt Apoſtolicis excitari, ut ita ulterius eis in tribulationibus ſuis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate conſurgere, quod ab anguſtiis, quas ſubſtinent, & preſſuris, veſtro poſſint praeſidio reſpirare. Ideoque univerſitati veſtrae ad inſtar felic. recordat. Honorii PP. praedeceſſoris noſtri per Apoſtolica ſcripta mandamus, atque praecipimus, quatenus illos, qui poſſeſſione, vel res, ſeu domos praedictorum fratrum, vel hominum ſuorum inreverenter invaſerint, aut ea iniuſte detinuerint, quae praedictis fratribus ex teſtamento decedentium relinquuntur, ſeu in ipſos fratres, vel ipſorum aliquem contra Apoſtolicae Sedis indulta, ſententiam excommunicationis, vel interdicti praeſumpſerint promulgare, vel decimas laborum de terris habitis ante Concilium generale, quas propriis manibus, aut ſumptibus, excolunt, ſeu nutrimentis animalium ſuorum, ſpretis Apoſtolicae Sedis privilegiis extorquere, monitione praemiſſa, ſi laici fuerint, publice candelis accenſis ſinguli veſtrum in Dioeceſibus, & Eccleſiis veſtris excommunicationis ſententia percellatis. Si vero clerici, vel canonici regulares, ſeu monachi fuerint, eos, appellatione remota, ab officio, & beneficio ſuſpendatis, neutram relaxaturi ſententiam, donec praedictis fratribus plenarie ſatisfaciant, & tam laici, quam clerici ſaeculares, qui pro violenta manuum iniectione in fratres eosdem, vel ipſorum aliquem anathematis vinculo fuerint innodati, cum Dioeceſani Epiſcopi litteris ad Sedem Apoſtolicam venientes, ab eodem vinculo mereantur abſolvi.

Datum Viterbii Quinto Idus Maii, Pontificatus noſtri anno quarto.

Ale-

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Praepoſitis, Plebanis, & aliis Eccleſiarum Praelatis per Romandiolam, & Sardiniam conſtitutis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Non abſque dolore cordis, & plurima turbatione didicimus, quod ita in pleriſque partibus Eccleſiaſtica cenſura diſſolvitur, & canonicae ſententiae ſeveritas enervatur, ut viri religioſi, & ii maxime, qui per Sedis Apoſtolicae privilegia maiori donati ſunt libertate, paſſim a malefactoribus ſuis iniurias ſubſtineant, & rapinas, dum vix invenitur, qui congrua illis protectione ſubveniat, & pro fovenda pauperum innocentia ſe murum offenſionis opponat. Specialiter autem dilecti filii Abbas, & fratres Vallumbroſanae Congregationis, tam de frequentibus iniuriis, quam de ipſo quotidiano defectu iuſtitiae conquerentes, univerſitatem veſtram litteris petierunt Apoſtolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus ſuis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate conſurgere, quod anguſtiis, quas ſubſtinent, & preſſuris, veſtro poſſint praeſidio reſpirare. Ideoque univerſitati veſtrae ad inſtar fel. record. Honorii Papae Praedeceſſoris noſtri, per Apoſtolica ſcripta mandamus, atque praecipimus, quatenus illos, qui poſſeſſiones, vel res, ſeu domos praedictorum fratrum, vel hominum ſuorum irreverenter invaſerint, aut ea iniuſte detinuerint, quae praedictis fratribus ex teſtamento decedentium relinquuntur, ſeu in ipſos fratres, vel ipſorum aliquem, contra Apoſtolicae Sedis indulta ſententiam excommunicationis, vel interdicti, praeſumpſerint promulgare, vel decimas laborum de terris habitis ante Concilium generale, quas propriis manibus,

aut

aut ſumptibus excolunt, ſeu nutrimentis animalium ſuorum, ſpretis Apoſtolicae Sedis privilegiis extorquere, monitione praemiſſa, ſi laici fuerint, publicis candelis accenſis, ſingulos veſtrum in Dioeceſibus, & Eccleſiis veſtris excommunicationis ſententia percellatis, ſi verò Clerici, vel Canonici regulares, ſeu monachi fuerint; eos, appellatione remota, ab officio, & beneficio ſuſpendatis, neutram relaxaturi ſententiam, donec praedictis fratribus plenarie ſatisfaciant, & tam laici, quam clerici ſaeculares, qui pro violenta manuum iniectione in fratres eosdem, vel ipſorum aliquem anathematis vinculo fuerint innodati, cum Dioeceſani Epiſcopi litteris ad Sedem Apoſtolicam venientes, ab eodem vinculo mereantur abſolvi.

Datum Viterbii quinto Idus Maii, Pontificatus noſtri anno quarto,

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Venerabili fratri . . . . . . Epiſcopo . . . . . . & dilectis filiis Capitulo Florentino, Abbatibus, Prioribus, Plebanis, & aliis Eccleſiarum Praelatis, tam exemptis, quam non exemptis Civitatis, & Dioeceſeos Florentinae, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem, Decet, & expedit, ut gravati ſuper proviſionibus aliorum per Sedem Apoſtolicam, quae velut pia mater, illorum preces plerumque non poteſt indurata fronte pertranſire, per eam interdum ſentiat ſublevamen, Attendentes igitur, quod ſicut veſtra petitio nobis exhibita continebat in providendo nonnullis clericis, & laicis ad mandatum Apoſtolicum onus non leve tuliſtis, ac per hoc alicuius ſublevationis ſolatio vos gaudere volentes ad inſtar felic. recordat. Innocentii Papae Praedeceſſoris noſtri, auctoritate vobis praeſenium indulgemus,

ut

ut ad proviſionem aliquorum exulum in aliqua pecuniae quantitate compelli de cetero non poſſitis inviti per literas eiusdem Sedis, vel Legatorum ipſius expreſſam non facientes de indulgentia huiuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praeſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

Datum Anagniae VI. Idus Iunii, Pontificatus noſtri anno quinto.

Alexander Epiſcopus ſervus ſesvorum Dei. Dilectis filiis Abbati, & Conventui Vallisumbroſae Feſulanae Dioeceſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Religionis veſtrae meretur honeſtas, ut vos favore ſpecialis gratiae proſequentes, in his vobis ſimus favorabiles, & benigni, quae veſtris eſſe noſcuntur neceſſitatibus opportuna. Hinc eſt, quod veſtris ſupplicationibus inclinati, ut ad exhibendum extra monaſterium veſtrum quibuſcumque Legatis, vel Nuntiis Sedis Apoſtolicae, exceptis Romanae Eccleſiae Cardinalibus, aliquas procurationes, vel ad contribuendum cum Clero Feſulano, & Florentino Civitatum, & Dioeceſum in procurationibus eorumdem, dummodo parati ſitis, ipſis, ſi eos ad praedictum monaſterium declinare contigerit, in neceſſariis providere minime teneamini, nec ad id compelli poſſitis inviti, auctoritate litterarum Sedis eiusdem, quae de indulto huiuſmodi, & eodem monaſterio plenam non fecerint mentionem, vobis auctoritate praeſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae conceſ-

ſionis

ſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praeſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

Datum Anagniae V. Idus Iulii, Pontificatus noſtri anno ſexto.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilecto filio Theſauro Abbati monaſterii Vallisumbroſae ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Deſideriis tuis in iis affectu benevolo libenter adnuimus, per quae ſtatus ſui tranquillitas procuratur. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod ſaepe contingit, quod Abbates, & conventus, ac etiam monachi, & converſi tui ordinis cum ad correctionem exceſſuum ipſorum procedis, prout ad tuum officium noſcitur pertinere, ut regularem effugiant diſciplinam, ad Sedem Apoſtolicam fruſtratoriae approbationis obſtaculum interponunt, & interdum aliqui te ſuper hoc conveniunt coram Iudicibus a Sede delegatis eadem, in tuum diſpendium, necnon modicum gravamen; ſuper quo petiiſtis per Sedis ipſius providentiam ſalubre remedium adhiberi. Nos itaque tuis ſupplicationibus inclinati, auctoritate tibi praeſentium indulgemus, ut ab Abbatibus, conventibus, monachis, & converſis praedictis extra Romanam Curiam per litteras Sedis ipſius nequeas conveniri, quae de indulto huiuſmodi non fecerint mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare praeſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

Dat. Laterani VI. Febr. Pontific. noſtri anno ſeptimo.

Ale-

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Abbati, & conventui monaſterii Vallisumbroſae ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Petitio veſtra nobis exhibita continebat, quod nos dudum intellecto, quod monaſterium S. Hillari, tunc ordinis S. Benedicti Feſulanae Dioeceſis adeo in ſpiritualibus, & temporalibus collapſum erat, quod vix, aut numquam in ſuo poſſet ordine reformari, & ipſius monaſterii providere ſaluti; & vobis, ac monaſterio veſtro in religionis veſtrae favorem gratiam facere intendentes; & conſiderantes etiam, quod pro ſpeciali devotione, quam vos ad Romanam Eccleſiam matrem veſtram habuiſtis hactenus, & habetis, frequenter ſubſtinueritis, & ſubſtineatis in perſonis iniurias, & in poſſeſſionibus, ac aliis bonis veſtris non modicum detrimentum, dictum monaſterium S. Hillari cum Eccleſiis, caſtris, villis, capellis, privilegiis, inſtrumentis, iurisdictionibus, libertatibus, immunitatibus, actionibus, poſſeſſionibus, & omnibus aliis iuribus, & bonis ſuis ubicumque, & in quibuſcumque locis haberet, dicto monaſterio veſtro perpetuo iure unimus, & illud cum praedictis omnibus vobis, & per vos eidem monaſterio veſtro de conſilio fratrum noſtrorum duximus concedendum; ſtatuentes, ut idem monaſterium S. Hillari cum monaſterio veſtro Vallisumbroſae unum cenſeri debeat, & utrumque ſub cura, & adminiſtratione Abbatis Vallisumbroſae, & ſucceſſorum ſuorum perpetuis temporibus gubernari. Sed licet diverſae literae pro iis, & ſuper iis emanarint a nobis, nullum tamen ex hoc eſtis commodum aſſecuti. Volentes igitur, quod in hac parte pro vobis gratioſe incepimus ad debitum effectum perduci, vobis auctoritate praeſentium indulgemus, ut huiuſmodi noſtra gratia uti libere valeatis, non obſtantibus aliquibus litteris cuiuscumque tenoris exſiſtant a Sede Apoſtolica impetratis, per quas hu-

huiuſmodi unionem, & conceſſionem, ac conſtitutionem dicimur ad quorumdam inſtantiam propter ſcandalum revocaſſe. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare praeſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

Datum Laterani quinto Kalendas Martii, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilecto filio . . . . . Vulterrano electo ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Petitio dilectorum filiorum Abbatis, & conventus monaſterii Vallisumbroſae ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, Feſulanae Dioeceſis nobis exhibita continebat, quod, nos dudum intellecto, quod monaſterium S. Hillari tunc Ordinis S. Benedicti Feſulan. Dioeceſ. adeo in ſpiritualibus, & temporalibus collapſum erat, quod vix, aut numquam in ſuo poſſet ordine reformari, ipſius monaſterii S. Hillari providere ſaluti, ac dictis Abbati, & conventui, & ipſorum monaſteriorum in religionis ſuae favorem, gratiam facere intendentes; & conſiderantes etiam, quod pro ſpeciali devotione, quam ipſi ad Romanam Eccleſiam matrem ſuam hactenus habuerunt, & habent, frequenter ſubſtinuerint, & ſubſtineant, & in poſſeſſionibus, ac aliis bonis ſuis non modicum detrimentum; dictum monaſterium S. Hillari cum Eccleſiis, caſtris, villis, capellis, privilegiis, inſtrumentis, iurisdictionibus, libertatibus, immunitatibus, poſſeſſionibus, & omnibus aliis iuribus, & bonis ſuis ubicumque, & in quibuſcumque locis haberet dicto monaſte-

naſterio Vallisumbroſae perpetuo iure univimus, & illud cum praedictis omnibus dictis Abbati, & conventui, & per eos ipſorum monaſteriorum de conſilio fratrum noſtrorum duximus concedendum; ſtatuentes ut idem monaſterium S. Hillari cum praedicto monaſterio Vallisumbroſae unum cenſeri debeat, & utrumque ſub cura, & adminiſtratione eiusdem Abbatis, & ſucceſſorum ſuorum perpetuis temporibus gubernari. Sed licet diverſae litterae ſuper iis, & pro iis, emanarint a nobis, nullum tamen ſunt ex hoc commodum adſecuti. Volentes igitur, quod in hac parte pro eis gratioſe incepimus, ad debitum effectum, perduci, eis auctoritate Apoſtolica duximus indulgendum, ut huiuſmodi noſtra gratia libere uti poſſint, non obſtantibus aliquibus litteris cuiuscumque tenoris exſiſtant, a Sede Apoſtolica impetratis, per quas huiuſmodi unionem, & conceſſionem, ac conſtitutionem, dicimur, ad quorumdam inſtantiam, propter ſcandalum revocaſſe. Quocirca diſcretioni tuae per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus dictum Abbatem, vel conventum, vel Procuratorem ſuum, eorum nomine in poſſeſſionem, vel quaſi, eiusdem monaſterii ſancti Hillari, ac iurium, & pertinentiarum eius per ſe, vel alium, inducas, & defendas, inductis monachis dicti monaſterii ſancti Hillari, qui ordinem Vallisumbroſae profiteri voluerint, per alia monaſteria ſui ordinis collocatis; contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, adpellatione poſtpoſita, compeſcendo, non obſtante, ſi aliquibus a Sede ſit indultum eisdem, quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici non poſſint per litteras Apoſtoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam de indulto huiuſmodi mentionem, ſeu qualibet alia indulgentia dictae Sedis, per quam effectus praeſentium impediri valeat, vel differri.

Dat. Later. V. Kal. Martii, Pontific. noſtri anno tertio.

VRbanus, natione Gallicus, ex Civitate Trecenſi, ſedit annis tribus, menſe uno, & ceſſavit menſibus quinque. Hic duas ordinationes fecit. Exercitum Saracenorum, quem Manfredus in Patrimonium Eccleſiae miſerat, per Cruce ſignatos fugavit; Comiti Provinciae Carolo fratri Regis Franciae, regnum Siciliae, ut a Manfredo detentore ipſius recuperaret, contulit. Moritur Peruſii, & ibidem ſepelitur (1).

(1) Mirum a Leone Vrbevetano ſilentio tranſiliri hunc Vrbanum Vrbevetere commoratum eſſe, & inſigni Euchariſtiae miraculo ibidem interfuiſſe, de quo *Onuphrius ad Platinam*.

Lubet heic exſcribere excerpta quaedam ex verſibus Cardinalis Albi (forte Albani), quae exſtant in MS. Codice Bibliothecae Riccardianae, qui Codex exaratus, & compoſitus fuit ab alias memorato *Voglino* Emporienſi, anno MCCCLXXXI. qui quidem verſus deducti anno MCCLVI, quatuor ſcilicet aut quinque annis ante Vrbani IV. Pontificatum, indicare poſſunt, quam turbulenta ob haereſes & pravas opiniones Eccleſiae conditio tunc eſſet, & quid iam ſub Alexandro Pontifice animo verſarent Eccleſiaſtici, ut ſe a Friderici & Manfredi moleſtiis adſererent: alterius regis ſcilicet vocationem, quod in Carolo Andegavenſi effectum eſt. Sunt autem verſus, qui ſequuntur:

Nulla fides, nec amicus erit, nec foedus amoris
Inter terrigenas, nec pietatis opus.

Nam-

Namque Sacerdotes Domini, fideique miniſtri,
Foedera turbabunt, Catholicamque fidem.
Proh! dolor, ordo ſacer fratrum, ſi dicere fas eſt,
In laqueos hereſis, & labyrintha cadet.
Hos rapiet mundana lues, & gloria vana,
Fervor avaritiae, luxurieſque putris.
AEmula nam rabies illos mordebit atroci
Morſu, torquentes relligione ſua.
Sicque moras poterit ſacrae deflere quadrigae
Zacharias, quoniam non trahet ullus eam.
Sicque propheta novus veniet ſub tempore, per quem
Gens erit, & dubia credulitate ſua.
Inter Chriſticolas erit altercatio ſectae;
Fiet in orbe fides diſcolor alma Dei.
Papabunt pariter, & eodem tempore plures.

. . . .

Rex novus adveniet totum ruiturus in orbem,
Vt domet extremam Matris honore plagam.
Ex inſperato properans de montibus altis
Atque cavernoſis, mitis, & abſque dolo.
Pauper opum, dives morum, ditiſſimus almi
Pectoris, ob meritum cui Deus augur erit.
Hic Siculos, pravamque tribum ſaevi Friderici
Conteret, ulterius nec ſibi nomen erit.
Cuncta reformabit quae trux Fridericus, & eius
Subvertit ſoboles ſaeva, ſuuſque ſequax.
Hic ſub Apoſtolico Romanos ponet in arctum,
Vim dantes Romae ſic patientur onus.
Sic trahet ad Chriſtum Machometi Marte ſequaces,
Sic & ovile unum, paſtor & unus erit.
Vos igitur haec cuncta mihi ſperate ſodales
Eſſe revelata mobilis arte poli.
Tunc quinquaginta ſex anni mille ducenti
Currebant, factum quum fuit iſtud opus.

Vrbani IV. Epiſtolas duas heic edo.

Vrbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Abbati, & conventui Vallisumbroſae, & univerſis Abbatibus, Prioribus, & Conventibus ordinis Vallisumbroſae praedictae ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Exigentibus religionis, ac devotionis veſtrae meritis, dignum ducimus, ut vos benigno proſequentes favore veſtris petitionibus, in iis maxime, quae divinum cultum reſpiciunt, facile annuamus. Cum igitur a Salvatoris laude ceſſare non debeat lingua carnis, nos veſtris precibus inclinati, auctoritate vobis praeſentium indulgemus, ut generalis tempore interdicti, liceat vobis, non pulſatis campanis, clauſis ianuis, interdictis, & excommunicatis excluſis, ſubmiſſa voce, divina officia celebrare, dummodo cauſſam non dederitis interdicto, nec id vobis in tempore contingat ſpecialiter interdici. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praeſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli, Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum, praeſentibus poſt triennium minime valituris.

Datum apud Montem Flaſconem Idibus Septembris, Pontificatus noſtri anno primo.

Vrbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Venerabili fratri Epiſcopo, & dilectis filiis Capitulo Florentino, Abbatibus, Prioribus, Plebanis, & aliis Eccleſiarum Praelatis, tam exemptis, quam non exemptis, Civitatis, & Dioeceſ. Florentinae ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Decet, & expedit, ut gravati

vati ſuper proviſionibus aliorum per Sedem Apoſtolicam, quae velut pia mater, illorum preces plerumque non poteſt viduata facie pertranſire, per eam interdum ſentiant ſublevamen. Attendentes igitur, quod ſicut veſtra petitio nobis exhibita continebat in providendo nonnullis clericis, & laicis, ac mandatum Apoſtolicum onus non bene tuliſtis, ac per hoc alicuius conſolationis ſolatio vos gaudere volentes, ad inſtar felic. recordat. Innocentii, & Alexandri Romanorum Pontificum praedeceſſorum noſtrorum, auctoritate vobis Apoſtolica indulgemus, ut ad proviſionem aliquorum exſulum in aliqua pecuniae quantitate compelli de cetero non poſſitis inviti per litteras Sedis eiusdem, vel Legatorum ipſius, expreſſam non facientes de indulgentia mentionem huiuſmodi, praeſentibus poſt triennium minime valituris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare praeſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe noverit incurſurum.

Datum apud Vrbem veterem VI. Idus Martii, Pontificatus noſtri anno tertio.

CLemens, natione Provincialis, de Villa ſancti AEgidii, ſedit annis tribus, menſibus novem, diebus viginti uno; & ceſſavit menſibus quatuor, diebus octo. Mortuus eſt Viterbii, & in Eccleſia Fratrum Praedicatorum, quae dicitur Sancta Maria ad Gradus, & in tumba ſumtuo-

ſe requieſcit, ubi ſepeliri elegit. Hic uxorem, & liberos habens, primum fuit famoſus Advocatus, & Regis Franciae Conſiliarius; demum mortua uxore, propter vitam, & laudabilem ſcientiam, primo Podienſis Epiſcopus, & poſt Narbonenſis Archiepiſcopus, tandem Sabinenſis Epiſcopus, efficitur. Sed quum poſt in Angliam propter pacis reformationem a Papa Vrbano quarto Legatus miſſus fuiſſet, abſens a Cardinalibus Peruſii in Papam electus, ſic ieiuniis, vigiliis, & orationibus, & aliis bonis operibus intentus fuit, quod multas, quas tunc Eccleſia ſuſtinebat tribulationes, omnes ſuis meritis creditur extinxiſſe. Huius primo anno, dominus Carolus frater Regis Franciae, Comes Provinciae, & Andegaviae, qui olim pro regni Siciliae recuperatione a Manfredo detentore per Vrbanum vocatus fuerat, navigio Romam venit, & demum in Apuliam intrans, bello campeſtri habito, praedictum Manfredum regno, & vita, privavit. Quarto vero eiusdem Papae Clementis anno Corradinus nepos olim Friderici Imperatoris, ſuorum Patrum ſequens veſtigium, parvipendens domini Papae excommunicationem, contra Eccleſiam, & contra dominum Carolum tunc Regem Siciliae inſurgens, ad Teutonicos, quos habuit, quamplurimis

Lom-

Lombardis, & Tuſcis adiunctis, pervenit uſque Romam, ubi quum Imperiali more ſolemniter fuiſſet receptus, adiuncto ſibi Senatore urbis Henrico fratre Regis Caſtellae, & quamplurimis Romanis, Regem Carolum debellaturus Apuliam intravit; ſed poſt durum campeſtre bellum, & multorum caſum, Corradinus, & quidam, qui dicebatur Dux Auſtriae, & multi Comites, & nobiles in fuga capti, per Regem Carolum decollantur. Hic Papa in Eccleſia Praedicatorum Fratrum cum magna ſolemnitate, canonizavit ſanctam Heduigem quondam Duciſſam Poloniae, mirae devotionis viduam; quae inter alia mirabilia, quum Canonizationis ſuae negotium per plures annos protraheretur, procuratori ſuo propter hoc in triſtitia exſiſtenti per viſum adparuit, ipſum de expeditione, & die expeditionis, certificando.

GRegorius, natione Lombardus, de civitate Placentia, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo; ab electione ſua ſedit annis quatuor, & diebus viginti; & ceſſavit diebus decem. Hic quum Archidiaconus eſſet Leodienſis, & devotionis cauſa iviſſet ultra mare, ibidem exſiſtens, in Palatio Viterbienſi, in

Papam eſt electus. Hic fecit unam ordinationem quinque Epiſcoporum Cardinalium quamplurimum laudabilem, quia honeſtas, & valentes perſonas adſumſit. Hic tertio Pontificatus ſui anno, pro utilitate Terrae ſanctae, quam perſonaliter viſitare intendebat, Lugduni ſolemne celebravit Concilium, in quo & Graecorum, & Tartarorum, ſolemnes nuncii interfuerunt. Graeci ad unitatem fidei redire promittentes, in cuius ſignum, Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere confeſſi ſunt, Symbolum in Concilio ſolemniter decantantes; Nuntii vero Tartarorum intra Concilium baptizati, ad propria redierunt. Numerus autem Praelatorum, qui fuerunt in Concilio, ſunt quingenti Epiſcopi, ſexaginta Abbates, & alii Praelati circa mille. Hic in Concilio multa bona inſtituit, videlicet pro ſubſidio Terrae Sanctae, pro electione Summi Pontificis, & pro ſtatu Eccleſiae univerſalis. Huius tempore Rex Romanorum, & Rex Francorum, cum multis Baronibus, pro ſubſidio Terrae Sanctae Cruce ſignati ſunt. Hic Papa mirae experientiae in ſaecularibus fuit; nec intendebat pecuniarum lucris, ſed eleemoſynis. Mortuus eſt Arretii, & ſepultus ibidem.

In-

INnocentius quinctus, natione Lombardus de Tarrentina (1), anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto; ſedit menſibus quinque, & duobus diebus; & ceſſavit diebus duodeviginti. Hic a pueritia in ordine Fratrum Praedicatorum exſiſtens, Doctor in Sacra Scriptura eximius efficitur, & pleroſque libros in ſacra Theologia compcſuit. Vocatus fuit primo Frater Petrus; demum in Archiepiſcopum Lugdunenſem, & poſt in Epiſcopum Oſtienſem, tandem in Summum Pontificem adſumitur. Hic licet multa facere propoſuiſſet, morte praeventus nil nobile fecit. Mortuus eſt Romae, & in Lateranenſi Eccleſia honorifice eſt ſepultus.

(1) Natione Burgundus de Tarantaſia. *Platina*.

HAdrianus, natione Ianuenſis, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto, ſedit menſe uno, & diebus novem. Romae eligitur in Lateranenſi Palatio, & Viterbii moritur, & ſepelitur; & ceſſavit diebus viginti octo. Iſte fuit nepos Innocentii quarti, & ab ipſo in Cardinalem Diaconum tituli (1) ſancti Hadriani promotus, a Domino Clemente Papa quarto Legatus in Angliam, pro guerra,

ra , quae inter Regem , & Barones exorta eſt, ſedanda, miſſus fuit. Hic Papa factus, ſtatim conſtitutionem, quam Papa Gregorius decimus in Concilio Lugdunenſi de reſtitutione Cardinalium propter electionem Summi Pontificis accelerandam ediderat , ſuſpendit ; proponens eam aliter ordinare , ſed morte praeventus conſtitutionem ſic ſuſpenſam reliquit. Hic non fuit Sacerdos , quia ante ordinationis tempora , mortuus eſt . Hic non fuit coronatus.

(1) Obſerva Titulos Diaconorum Cardinalium , quum tamen Titulo nominato numquam ſe ſubſcribant, ut videre eſt apud *Mabillonium in Ord. Roman.* §. III. & ex Epiſtolarum Pontificiarum, quas paſſim adduximus, ſubſcriptionibus evidenter elucet.

IOannes, natione Hiſpanus Portugallenſis, vigeſimus primus, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto, ſedit menſibus octo . Hic conſtitutionem , quam Dominus Gregorius fecerat de creatione Papae, quam dominus Hadrianus ſuſpenderat , publice revocavit . Hic fuit magnus in Philoſophia , parum habens de experientia naturali. Religioſos exoſos habuit . Curialis fuit ; in faciendis gratiis indiſcrete

diſcrete tamen, & ſine difficultate omnes ingrediebantur ad eum. Hic Pontificalem dignitatem, morum quadam ſtoliditate deformavit. Hic quum ſibi vitae ſpatium in annos plurimos extendi crederet, & hoc etiam coram aliis adſereret, ſubito cum camera nova, quam per ſe Viterbii circa Palatium conſtruxerat, ſolus corruit, & inter ligna, & lapides, colliſus, ſexto die poſt caſum, ſacramentis omnibus Eccleſiaſticis perceptis, expiravit, & ibidem in eccleſia ſancti Laurentii ſepultus eſt.

NIcolaus, natione Romanus, de Vrſinis, electus fuit in Palatio Viterbii, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, & ſedit annis duobus, menſibus octo, diebus viginti octo; & ceſſavit menſibus ſex. Hic fecit una ordinatione novem Cardinales, inter quos plures fecit de genere ſuo. Hic in ſaecularibus prudentiſſimus fuit. Amator fuit Religioſorum. Hic Regulam beatiſſimi Patris noſtri Franciſci, quam multi malevoli impugnare conabantur, dicentes illam inobſervabilem, & diſcriminoſam, lucidiſſime declaravit, adprobando ipſam non ſolum obſervabilem, verum & meritoriam, & ſanctam; excommunicando omnes contradi-

ctores,

ctores, & impugnatores ipſius ſanctiſſimae Regulae; notabili etiam amore diligendo ipſam Regulam ac eius profeſſores. Conſanguineos autem, & ſuos, nimis carnaliter dilexit. In paucis temporibus multa fecit. Nam Epiſcopos multos per diverſa loca inſtituit. Hic ampliavit Palatium Papale apud ſanctum Petrum in immenſum, & ibidem fecit hortum latiſſimum, quem circumdedit muris. Hic per Fratrem Latinum Nepotem ſuum Ordinis Fratrum Praedicatorum Epiſcopum Oſtienſem Cardinalem, fecit fieri pacem inter Guelfos, & Ghibellinos Florentiae. Eodem tempore, fuerunt terraemotus terribiles in Romandiola, & Tuſcia, ita ut Caſtra, & Eccleſiae multae ruerent cum occiſione nimia hominum. Huius tempore plenarie habuit dominium Eccleſia Romandiolae, & Bononiae, facta etiam ibidem per ſupradictum Dominum Oſtienſem inter Guelfos & Ghibellinos pace. Hic Papa privavit Regem Carolum dominatione Tuſciae,& Lombardiae. Hic moritur Suriani, quod eſt Caſtrum prope Viterbium, & ſepelitur Romae in Eccleſia ſancti Petri, in capella ſancti Nicolai, quam ipſe conſtruxerat. De hoc Papa dixit quidam, quod non erat ſimilis in mundo, ſi fuiſſet ſine genealogia, ſicut Melchiſedech; hoc ideo dixit,quia notabatur nimis de amore con-

conſanguineorum. Hic fecit Cardinalem dominum Robertum Anglicum Ordinis Praedicatorum, Magiſtrum in Theologia, & Archiepiſcopum Cantuarienſem.

MArtinus, natione Gallicus de Turonis, ſedit annis quatuor, menſe uno, & diebus quinque; & ceſſavit diebus quindecim. Hic Viterbii eligitur cum multa conflictione Cardinalium. Huius tempore rebellaverunt plures Civitates in Romandiola, contra quas miſit exercitus plures, & debellationes plures hinc inde factae ſunt, & ſanguis nimius effuſus eſt. Hic fecit unam ordinationem, in Vrbeveteri, Cardinalium, ubi multos poſuit de patria ſua. Eleemoſynarius fuit magnus, & parum carnalis de conſanguineis. Ipſe dilatavit Palatium in Monte Flaſcone, & in Vrbeveteri, & in Peruſio. Tempore ſuo rebellavit Sicilia, & Rex Aragonum Petrus in eam ingreditur, quem ipſe excommunicavit, & regno ſuo privavit, & donavit illud filio Regis Francorum. Carolus autem Rex Siciliae cum magno exercitu Siciliam ingreditur; ſed nihil profecit. Graecos, quos Gregorius Papa reduxerat ad unitatem Eccleſiae, publice excommunicavit in Vrbeveteri, non ſine multa

ad-

admiratione Chriſtianorum. Hic coronatus fuit in Vrbeveteri, in eccleſia ſancti Andreae Apoſtoli. Huius tempore, primo anno Pontificatus ſui, eodem reſidente in Vrbeveteri, piſcis marinus in effigie leonis captus eſt in illa plaga marina, quae ſita eſt verſus Montem Altum, & portatus apud Vrbemveterem; multitudo Curialium illic reſidentium ad videndum huiuſmodi monſtrum, nec mirum, accedebant; quia pellis piloſa, pedes breves, cauda leonina; caput vero leoninum, aures, os, & infra dentes, & linguam, habebat quaſi leo. Referebatur itaque, quod in eius captione planctus horribiles emiſerat; ſicque multi prognoſtica futurorum exinde adſerebant. Et ecce parum poſt in regno Siciliae, Panormitani ſuccenſa rabie, Gallicos, qui morabantur ibidem, omnes, tam mares, quam feminas, ac ſenes, & iuvenes, in praedicti Regis contemtum occiderunt; & quod deteſtabilius fuit, latus aperientes mulierum Latinarum praegnantium, quae dicebantur a Gallicis concepiſſe, partus occidebant, ante quam naſcerentur. Deinde tota Scilia ſic rebellans ſupradictum Petrum Regem Aragoniae in ſuum defenſorem, & dominum, vocaverunt. Huius tempore, Soldanus Babyloniae a Tartaris fugatur, & per octo dietas occiſi dicuntur

cuntur Pagani ultra quinquaginta millia; ſed viribus, & armis, reſumtis, Soldanus dictos Tartaros Orientales fugans, circa triginta millia Tartarorum in hac fuga dicitur occidiſſe. Huius etiam tempore Peruſini ſuper Fulginates exercitum fecerunt, & quidquid extra Civitatis muros fuit undique devaſtaverunt; propter quod praedictus Papa, contra Peruſinos ſententiam excommunicationis duriſſimam fulminavit. Hic Pontifex Peruſii moritur, & ſepelitur ibidem in Eccleſia maiori, quae dicitur Sanctus Laurentius.

HOnorius quartus, natione Romanus de domo Sabellorum, anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo quarto, die primo menſis Aprilis, eligitur in Peruſio in concordia Cardinalium prima die, qua convenerunt ad electionem Summi Pontificis celebrandam; & die tertia menſis Maii, licet impotens ad id crederetur, & penitus inhabilis famoſe diceretur, in Sacerdotem eſt per dominum Latinum Oſtienſem Epiſcopum Cardinalem promotus, apud ſanctum Petrum, & ibidem die Dominica craſtina coronatus per eum in altari ſancti Petri, primitus divino Miſſae officio celebrato. Hic ſtatim poſt eius electionem tam Comiti

miti Atrebatenſi in Apulia viriliter militanti, quam ceteris ſtipendiariis ex incertis partibus per dominum Martinum Papam praedeceſſorem ſuum ordinatis, eos animoſe confovendo praeſtitit ſtipendia, & animavit ad ſuſcepta negotia ſolicite proſequenda. Hic fecit unum Cardinalem, ſcilicet dominum Ioannem de Bocchamazis, quem intitulavit ad Epiſcopatum Tuſculanum, quem dictus Pontifex miſit Legatum in Alemanniam. Hic fuit ab omnibus habitus homo valde diſcretus, & ſapiens; & apud ſanctam Sabinam conſtruxit Palatia pulcerrima, in quibus cum ſua familia multo tempore inhabitavit. Hic moritur Romae, & in Baſilica ſancti Petri honorifice ſepelitur.

NIcolaus, natione civitatis Aſculi ſedit annis ſex, menſibus quatuor, diebus viginti. Hic fuit de Ordine Fratrum Minorum, in divina pagina Magiſter, & Doctor eximius, vir vita laudabilis, ſanctitate famoſus, ſed in negotiis adgrediendis timidus, & puſillanimis, ac in expediendis tardus. Huius tempore Soldanus cum magno exercitu venit ad obſidendum Acchon, & capta civitate multos Chriſtianos occidit utriuſque ſexus; ac etiam pueros,

ros, & mulieres, nec non, & viros quam plurimos captivos, duxit; ac ablatis inde omnibus, civitatem funditus deſtruxerunt. Huius tempore Florentini cum Lucenſibus, Senenſibus, & aliis de Tuſcia fecerunt exercitum contra Arretinos; & in receſſu dicti Arretini iverunt poſt Senenſes, & debellaverunt eos, iuxta Plebem quae vocatur de Tuppo, & multos occiderunt, & captos duxerunt quam plures. In ſequenti anno dicti Florentini cum praedictis Lucenſibus, Senenſibus, & quam pluribus aliis de Tuſcia, Romandiola, & aliis partibus, potentiſſime venerunt contra dictos Arretinos, & dicti Arretini cum multis aliis Ghibellinis exierunt obviam dictis Florentinis, & duriſſimum inter eos bellum committitur in campo, qui dicitur Campaldinus, & poſt multam ſanguinis effuſionem utriuſque partis, tandem dicti Florentini victoriam obtinuerunt, & multos occiderunt de Arretinis, & eorum complicibus; in quo bello mortuus eſt Epiſcopus Arretinus, cum multis aliis nobilibus, & probis viris, & multi capti fuerunt. Hic moritur Romae, & ſepelitur in eccleſia ſancti Petri, & ceſſavit menſibus quinque, & diebus quindecim.

COeleſtinus, natione de Morone, ſedit annis duobus, menſibus duobus, & diebus ſex. Hic Coeleſtinus, primum dictus Petrus, vir religioſus, & ſanctitate, & vitae auſteritate, valde famoſus, columbina ſimplicitate, morum honeſtate; ſed quidem inlitteratus. Hic fecit ordinationem unam. Hic poſtquam factus eſt Pontifex, voluit Cardinales ad priſtinum reducere ſtatum, ſcilicet ad ſtatum humilitatis; unde ad imitandum Chiſti exemplum, ipſe pro ſe elegit aſellum ad equitandum, & voluit quod omnes Cardinales, aſellos equitarent; & multa alia facere incepit, propter quae ipſe dictis Cardinalibus exoſus fuit. Vnde quidam de Cardinalibus, qui vocabatur dominus Benedictus Gatanus, vir utique aſtutus, & omni malitia plenus, in nocte ſupra domum, in qua Pontifex erat, pueros mittebat, qui plane Pontificem clamabant, & dicebant, quod ipſe erat in malo ſtatu, & in perditione animae ſuae, nec ſalvari poterat, niſi renuntiaret. Quare Pontifex hoc audiens, & Angelos eſſe credens, habito conſilio cum Cardinalibus, Papatui renuntiavit, & Dominus Benedictus Gatanus, inventor huius malitiae, eligitur in ſummum Pontificem; qui ſtatim dictum Dominum Coeleſtinum capiens, quid de ipſo fecerit,

rit, a paucis ſciri potuit, & ſic vitam ſuam finivit.

BOnifacius octavus, natione civitatis Ananiae, ſedit annis novem, menſibus ſex, diebus duodecim. Hic Bonifacius primo dictus fuit Benedictus, vir utique omni malitia, & aſtutia plenus, magnanimus, ſuperbus, avarus, ſive avidus in lucrando, ſed in expendendo largus, religioſos parum diligens, in adgrediendo magnalia magnanimus. Hic domus Columnenſium perſequutor fuit peſſimus, in tantum ut duos Cardinales de ipſis, ſcilicet dominum Iacobum, & dominum Petrum de Cardinalatu depoſuerit, & ipſos, & nepotes dicti domini Iacobi, ſcilicet Agapitum, Stephanum, & Sciarram, cum familiis eorum omnes de Roma expulit, & ipſos perſequens contra eos crucem per totam quaſi Italiam praedicari fecit, & congregans exercitum innumerabilem omnia caſtella eorum accepit, & Piliſtrinum; & duriſſimam ſententiam excommunicationis contra ipſos fulminando tulit, in tantum, quod vagabundi per diverſas mundi partes occulte fugiendo, & incogniti, vix de ipſis nova ſciebantur, & tamquam mortui, & diſperſi putabantur. Hic Bonifacius miſit

pro domino Carolo fratre domini Philippi Regis Francorum, & miſit eum ad recuperandum Siciliam, in quam ſcilicet dictus Carolus tranſiens contra Fridericum filium Regis Aragoniae, & videns quod nihil proficere poterat contra illum, contraxit cum eo, & reliquit eum in pace, & totam Siciliam dimiſit ei, dotis nomine; quod diſplicuit ſummo Pontifici, & indignatus contra Regem Francorum excommunicavit eum, ac Regno privavit, & ſic orta eſt non modica indignatio inter Summum Pontificem, & Regem (1). Carolus autem veniens Florentiam ſub nomine paciatoris expulit de Vrbe partem illam, quae Albi, & Ghibellini nominantur, & ſic facta eſt diſceſſio magna non ſolum in civitate Florentina, verum etiam per totam Tuſciam; domus comburuntur, homines occiduntur, & capiuntur, intra & extra, & ſic tota patria ponitur in ruinam, & diſperſionem, & confuſionem magnam, quia fratrer fratrem, pater filium, & vicinus convicinum, & proximus proximum in mortem tradebat. Carolus autem reverſus eſt in Franciam, & una cum Rege fratre ſuo, & cum illis de Columna, cogitaverunt contra Papam, & exſiſtente Papa in Civitate ſua Anania, Stephanus, & Sciarra de Columna, cum aliquibus Baronibus

nibus Regis Franciae, clam venerunt per mare, non ſine conſenſu aliquorum civium, & ſummum Pontificem exſiſtentem in Aniana coeperunt. Deinde volentes ipſum ſic captum ducere in Franciam, Romanis, & civibus non aſſentientibus, qui liberum duxerunt Romam; & ibi videns ſe adhuc non ad plenum in ſua eſſe poteſtate, iracundiae plenus, ex dolore vehementi quaſi rabiendo, mortuus eſt, & ſepultus in ſepulcro ſuo novo, quod autea conſtrui pro ſe fecerat, in Eccleſia ſancti Petri (2). Hic fecit ſextum librum Decretalium, in quo multa bona, & utilia continentur; & ceſſavit menſibus quinque, & diebus octo (3).

(1) De huius diſſidii origine & progreſſu vide quae diſputat *Natal. Alexander Tom. VII. Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſertat. IX. in Saecul. XIII. & XIV.*

(2) Marmoreum Bonifacii VIII. ſimulacrum, ſedens, & veſtibus Pontificalibus indutum, eius, ut videtur, aetate ſculptum, exſtat Florentiae in Hortis Riccardianis; in quo illud obſervatione dignum, tiaram praelongam habere, & nonniſi una corona inſignem.

(3) Bonifacius VIII. primus ſaeculare Iubilaeum anno MCCC. inſtituit; cuius inſtitutionis memoria in lapidaria inſcriptione exſtat Florentiae in via dicta *della Fogna*, atque ita habet:

Ad perpetuam rei memoriam patea-
t omnibus evidenter hanc paginam i-
nſpecturis qualiter omnipotens Deus in anno
Dñi Noſtri IHV. XPI. MCCC ſpecialem g-
tām contulit XPIANIS. Sūm Sepulcr-
ū, quod exſtiterat a Saracenis occu-
patum reconvictum eſt a Tartaris & X-
p̄nis reſtitutum, & cum eodem anno f-
uiſſet a Papa Bonifatio ſollepnis
remiſſio omnium peccatorum, videlic-
et culparum & poenarum omnibus eunti-
bus Romam indulta, multi ex Chriſtianis, & Tar-
taris ad dictam indulgentiam Rom-
am acceſſerunt .·. e andovvi Vgoli-
no con la molgle.

Bonifacii VIII. Epiſtolam heic edere iuvat.

Bonifacius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Abbati, & conventui monaſterii Vallisumbroſae ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis Feſulanae Dioeceſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Impoſitum nobis a Domino exſequentes debitum Apoſtolicae ſervitutis, illud inter innumeras ſolicitudinis noſtrae curas, quibus efficax mentis noſtrae arcanum ſolicitat praecipuum eſt, ut Eccleſiis, & locis Eccleſiaſticis, ac potiſſimum monaſteriis, & ceteris religioſis domibus, quae veriſimiliter collabuntur, ne ad extremam deſolationem deveniant, ſalubriter per noſtrae proviſionis remedium ſuccurratur. Profecto fide digna, & iam noſtris auribus inculcata relatio noſtro fuit auditui, quod monaſterium ſancti Salvatoris de Spongea ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis

or-

ordinis ſancti Benedicti Vulterranae Dioeceſis, quod olim florere in ſpiritualibus, & temporalibus conſuevit, adeo eſt, malignorum faciente malitia, collapſum in temporalibus, & ſpiritualibus deformatum, quod niſi ei contingat de celeris, & opportuni remedii adhibitione ſuccurri, veriſimiliter formidari poteſt, quod ad exinanitionis extremae diſpendium deducetur. Quapropter nos graves ex iis ſentientes anguſtias, & deſiderantes, prout officii noſtri cura requirit, opportunum & efficax in hac parte remedium adhibere; conſiderantes quoque, quod per noſtrae circumſpectionis induſtriam, honeſtatis providentiam, & adfluentiam caritatis, monaſterium ipſum ſancti Salvatoris, quod ſatis vobis vicinum eſſe dignoſcitur, ſpiritualiter, & temporaliter plenam, & laudabilem reparationem, & reformationem adſumere poterit, & in ſuis bonis, & iuribus defendi favorabiliter, & utiliter conſervari, ac diverſimode proſperis reparari ſucceſſibus ſtatus eius, & propterea intendentes ad laudem illius, qui omnium bonorum eſt actor & auctor, vos & ordinem veſtrum in praedicto monaſterio ſancti Salvatoris, ipſumque monaſterium in vobis veſtroque ordine favoribus proſequi gratioſis, & tam veſtra, & eiusdem veſtri ordinis, quam praefati monaſterii ſalubria commoda, paternae caritatis ſtudio promovere, praedictum monaſterium ſancti Salvatoris cum omnibus Prioratibus, membris, ac bonis, iuribus, & pertinentiis ſuis ubilibet conſtitutis, & Abbate, Prioribus, & Monachis, & Perſonis eorumdem monaſterii Prioratuum, & membrorum, qui nunc degunt, & in futurum degent in ipſis eisdem tamen Prioratibus, membris, bonis, iuribus, & pertinentiis in ipſius monaſterii S. Salvatoris proprietate manentibus, vobis, & eidem ordini veſtro concedimus, ſubiicimus, incorporamus, & adnectimus

 de

de Apoſtolicae plenitudine poteſtatis. Ita quod ſpiritualiter, ac temporaliter ſit proprium membrum veſtri Vallisumbroſae ordinis memorati; & eadem, monaſterium, prioratus, membra, bona, iura, pertinentiae ac perſonae ſub tua, fili Abbas, & ſucceſſorum tuorum, & conventus monaſterii Vallisumbroſae obedientia maneant, & perſiſtant, ſicut & cetera eiusdem ordinis Vallisumbroſae membra, & eorum perſonae, bona, pertinentiae, atque iura. Et quia cupimus, ut in praelibato monaſterio ſancti Salvatoris cultui divini nominis intendatur, eadem auctoritate praecipimus, ut in ipſo monaſterio ſancti Salvatoris per Abbatem, & competentem conventum Monachorum, & perſonarum ipſius ordinis Vallisumbroſae perpetuo ſervetur ſub eiusdem ordinis Vallisumbroſae obſervantia, & ſub praefata obedientia permanſuros. Quoties autem praedictum monaſterium Abbate carere contigerit in futurum, illud ſuper eius proviſione ſervetur quod in ſimilibus caſibus de aliis monaſteriis & membris praedicti ordinis Vallisumbroſae rite ſervatum eſt hactenus, & in poſterum contigerit obſervari. De amplioris quoque gratiae munificentia volumus, & concedimus, ut ſaepe praefatum monaſterium ſancti Salvatoris, eiuſque Abbas, & conventus, monachi, Prioratus, membra, bona, & perſonae praedictae omnibus privilegiis immunitatibus, & indulgentiis vobis, & praefato ordini Vallisumbroſae ipſiuſque perſonis, & locis ab Apoſtolica Sede conceſſis gaudeant, & utantur, ſicut alia membra, & membrorum perſonae Vallisumbroſae ordinis memorati vobis, & eius etiam auctoritate praeſentium indulgemus ut omnibus Privilegiis & Indulgentis olim ipſis a Sede praefata conceſſis, vos libere valeatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae conceſſionis ſubiectionis in-

cor-

corporationis, adnexionis, & praecepti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare praeſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum.

Dat. Laterani IV. idus Februarii Pontiſic. noſtri anno ſeptimo.

BEnedictus, natione Lombardus, de civitate Placentia, ſedit annis duobus, menſibus quinque, diebus duodeviginti. Hic fecit ordinationem unam, in qua dominum Nicholaum Pratenſem Epiſcopum Civitatis Aſculi Cardinalem fecit, & Epiſcopum Oſtienſem, & fecit ipſum Legatum in Civitate Florentia, & in tota Thuſcia ad pacificandum ipſos Florentinos praecipue, & alios qui expulſi fuerant, propter diſceſſionem, & guerram, quae inter eos orta fuerat, occaſione domini Caroli fratris Regis Franciae, qui de Florentia, unam partem, ſcilicet Albos, & Ghibellinos expulerat; & veniens Florentiam, a Florentinis honorifice receptus fuit, ſed malitia ipſorum, videns quod nihil proficere ibi poterat, ſed potius ſibi periculum, & ſuae familiae immineret, quia Florentini miſerant pro Lucanis; qui veniebant, & iam prope erant Civtatem, in periculum

lum dicti Legati, quidem occulte mane tempeſtive cum ſuis adripuit fugam, & reverſus eſt ad dominum Papam. Summus autem Pontifex, videns hoc, indignatus contra praedictos Florentinos, & Lucanos, duram dictavit ſententiam; ſed morte praeventus ad exequutionem mãdare non potuit. Mortuus eſt autem Peruſii in Eccleſia Fratrum Praedicatorum, ibidem & ſepultus; & ceſſavit anno uno, & diebus duodecim.

CLemens, natione Burdigalenſis, ſedit annis ſeptem, menſibus novem, diebus quindecim. Hic celebravit Concilium generale apud Viennam, in quo depoſuit Templarios (1), quoniam multos Haereticos, & Schiſmaticos inter eos invenit, & ideo multos de ipſis per diverſa loca capi fecit, & incarcerari; & Pariſiis Rex Franciae quinquagintaquinque comburi fecit, & omnes privati fuerunt omnibus poſſeſſionibus, & domibus, & datae fuerunt Fratribus ſancti Ioannis; & ordo eorum in perpetuum privatus eſt. Item in illo Concilio Rex Franciae, quem Papa Bonifacius excommunicaverat reconciliatus eſt Eccleſiae Romanae. Hic coronavit Henricum Comitem de Luxemburgo, genere

re Teutonicum in Imperatorem, & ordinavit paſſagium (2); ſed morte praeoccupatus, adimplere non potuit.

(1) De Templariis, & iudicio in eos in hoc Concilio lato, vide quae diſputat *Natal. Alexander Tom. VII. Hiſtor. Eccleſiaſt. Diſſertat. X. in Saecul. XIII. & XIV.*

(2) Hoc eſt, in Palaeſtinam procinctum.

FINIS.

ADmodum Reverendus Pater D. Octavius Ruſtici Ven. Congregationis Caſſinenſis Philoſophiae, & Sacrae Theologiae Profeſſor, attente perlegat Librum hunc, cui titulus *Deliciae Eruditorum, ſeu veterum, &c.* & videat ſi quid contineat, quod bonis moribus, & Chriſtianae Fidei adverſetur, ac referat.

Dat. 10. Martii 1736. ab Inc.

Dominicus de Bardi Vic. Gen.

LIbrum, cui titulus *Deliciae Eruditorum &c.* ut mihi eſt demandatum, attente perlegi. In eo quod Fidem, aut mores laederet offendi nihil; plura vero in notis ipſis utilia aeque, atque iucunda paſſim inveni: dignum itaque cenſeo, qui Typis mandetur, in quorum fide, &c.

Ex Abbatia Florentina die Aprilis 4.

D. Octavius Ruſtici Mon. Caſſinenſis in eadem Abbatia Philoſoph. & S. Theolog. Lector.

Attenta ſupradicta relatione imprimatnr.

Dominicus de Bardi Vic. Gen.

ADmodum Reverendus Pater Theologus Thomas Maria Griſelli Cenſor huius Sanctae Inquiſitionis videat, & referat.

Ex AEdibus S. Officii Florentiae 7. Aprilis 1737.

Fr. Franciſcus Antonius Benoſſi Min. Conv. Vicarius Gen. S. Officii Florentiae.

IVſſu Reverendi admodum Patris Magiſtri Franciſci Antonii Benoſſi Vicarii Generalis S. Officii Florentiae attente perlegi Librum, qui inſcribitur *Deliciae Eruditorum*, *&c.* ipſumque dignum cenſeo, qui publica luce donetur,

Datum Florentiae in Collegio D. Marci Ordinis Praedicatorum 27. Aprilis 1737.

Fr. Thomas M. Griſelli in ſuprad. Collegio Sac. Theol. Lector, & Cenſor pro S. Inquiſ.

Attenta ſupradicta relatione imprimatur.

F. Franciſcus Antonius Benoſſi Min. Conv. Vic. Gen. S. Off. Florentiae.

Carolus Ginori pro Reg. Celſ. vidit.

ERRATA CORRIGE.

	ERRATA	CORRIGE.
Pag. XLIII	Rhethoras.	Rhetoras.
XLIII	σϛοιχεῖ.	συϛοιχεῖ.
XLV	הלן	הלך
XLVII	οἱ δ' ἐπί.	ὡς δ' ἐπί.
LI	non rete huiuſmodi	non rete huiuſmodi heic.
LIV	Niſea.	Niſaea
LXXXI	λογον ἀντιῤῥητικῶν	λόγον ἀντιῤῥητικῶν
Pag. 3	Hormiſdas.	Hormiſda.
4	Siſinius.	Siſinnius
	95. Stephanus II.	95. Stephanus III.
30	Eudoxiae.	Eudoxae.
43	*Nat. Alex. Diſſert.* laudata.	*Nat. Alexander.*
67	Mentio.	Mentio fit.
	Salmat.	Salmaſius.
77	αὐτοαρετή.	αὐταρετή.
	αὐτύθεον.	αὐτόθεον
78	Qui enim.	At qui
88	Vidernt.	Viderint
106	*Praefat. ad Act. Sanctor.*	*Praefat. in Saecul. Benedictin.*
107	Bonifacius quartus.	Bonifacius tertius.
108	*Baronium.*	*Baronius.*
109	Bonifacius tertius.	Bonifacius quartus
127	Arelate.	Arelatae
134	*In Acta Sanctorum Benedictin.*	*In ſaecula Benedictina.*
180	utiliter.	futiliter
	Cabrielis.	Gabrielis
	tradunt.	tradant
254	quae exſtat.	atque exſtat
	at in quo.	in quo
257	contraſtano.	contaſtano